



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Ivventvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphalorvm, 1615

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900



Th. 2427.

KIII


18











SPECVLVM IV-
VENTVTIS,
SIVE

INSIGNIO-
RES PVERITIÆ

ATQVE ADOLESCENTIAE
SANCTORVM, IN QVIBVS AR-
CHETYPÆ VIRTVTVM EXEMPLA-
ria, & nobiliora eorundem certami-
na, quibus de vitijs, Mundo, Carne,
ac Dæmone triumphârunt,
commemoran-

Liber Collegij tur. *Societatis Iesv. Paderbornæ.*

AD FORMANDOS
STVDIOSAE IVENTVTIS MO-
res, & amorem virtutis susci-
tandum, hortatu RR. PP. So-
cietatis Iesu, collectæ à Ber-
nardo Dörhoff.

Cum permissu Superiorum & Priuilegio &c.

MONASTERII VVESTPHALORVM

Typis Lamberti Rassfeldij,

ANNO M. DC. XV.



AD MODVM RE-
VERENDO, PRÆNOBILI ET
Equestris ordinis Viro, ac Domino, D.
Theodoro à Pleitenberg Cathedralium Ec-
clesiarum Monasteriensis & Paderbornen-
sis respectiue Cellario & Cantori, Collegiatæ
Ecclesiæ S. Andreae ibidem Præposito,
Domino & Mecenati suo pluri-
mum colendo.



Irabitur fortasse Reueren-
da & Prænobilis Domina-
tio Tua, quorsum iam con-
firmatæ ætatis Viro, pueros
atque adolescentes, & pru-
dentissimo homini ætatem illam im-
prouidam dedicârim. Sed huius facti
duplex mihi est ratio. Prior, quod Re-
uerenda & Prænobilis Dominatio Tua
ad hæc primordia sanctorum & tyro-
cinia virtutum aspiciens, non sine iu-
cundissima recordatione meminisse
possit antea ætatis, quam in optima-
rum rerum studijs & Philosophia ac
Theologia perdiscenda in alma Ro-
mana Vrbe præclare collocavit. Vbi
pererudita & celebri thesaurum philo-
sophicarum propugnatione Illustris-
simos

EPISTOLA

simos qui aderant Cardinales multa de se exspectatione compleuit. Quam etiam Vestra hæc ætas ea pietatis & prudentiæ laude superauit, vt alios Nobilitate generis præstantes honesta atq; perutili Sui æmulatione possit accendere. Tantum enim ad gerendas dignitates, ad danda de rebus grauissimis cōsilia, ad gubernandos populos valet longo literarum vsu atq; exercitatione parta Sapientia. Quæ Reuerendam & Prænobilem Dominationem Tuam non solum Reuer. & Prænobilibus Dominis Collegis suis venerabilem, sed etiam R.^{dissimo} & Seren.^{mo} nostro Archiepiscopo & Electori Domino D. Ferdinando, itemq; Reuer.^{mo} & Illust. Domino Theodoro Principi Paderbornensi charissimum atq; intimum reddit. Quamobrem gratiorem Tuæ Reuerendæ & Prænobili Dominationi fore confido isthanc puerorum atque adolescentulorum stupendam sapientiam, in quibus scriptores vniuersi sapientiam supra ætatem, canā prudentiam, morumq; maturitatem venerantur: quos pueros quidem ætate,

viros

DEDICATORIA.

viros autem prudentia vocitant: quorum pueritiam annis breuem computant, sed senectutem mentis immensam (prout de B. Agnete S. inquit, Ambrosius) deprædicant. Altera causa est quod pluribus iam annis à Reuerenda & Prænobili Dominatione Tua multis me beneficijs cum insigni humanitate affectum meminerim, quorū recordatio cum me debitæ gratitudinis ostendendæ cōmone faceret, cœpi, nō tam quid sua dignum amplitudine, quam quid meo gratificandi studio opportunum esset disquirere. Tractabam id temporis pueritias atq; adolescentias sanctorū, qui aut stirpe regia aut Ducū sanguine prognati, aut Marchionum, Comitum atque Nobilium progenie generosi atq; inclyti, aut deniq; propria virtute ac Christiana fortitudine inter vitæ primordia clari existerunt. Hos vt R^{dæ} & Prænob. Dominationi Tuæ dedicarem, & ipsorum generositas, & tui auiti stemmatis præclara Nobilitas postularunt. Habet enim familiam longa vetustatis atq; ætatum serie, multis bellicis ornamen-

) (3 tis,

EPISTOLA

tis, multa progenitorum virtute sanè
 pereximiam. Quorum vnus Gerardus
 à Plettenberg circa An. Dom. 1353. Co-
 mitis Engelberti de Marca dapifer siue
 officiatus fuit, & præ alijs vehementer
 laudatus, vti Chronica illius Comita-
 tus testatur. Hic enim in antedicti Co-
 mitatus administratione nō solū per-
 petuo æquitatis studio subditorū in se
 animos conuertit, sed etiam fidelitate
 sua optimè de eodē Comitatu meruit.
*Castrum enim Swartenberg & oppidum
 Newstade recenter adificata communiuit
 & perfecit, & castrum nouum adiecit oppi-
 do supradictō. Castrum item in Rode cum
 oppido adiacente à fundamentis construxit
 & firmavit, & multa ibidem circumcirca
 bona acquisiuit ad vsū castri prædicti. Idem
 castrū de Clusensten construxit & firmavit.*
 Quo cum nomine Lenoldus de Nort-
 hoff Abbas Viferensis (in sua ad Comi-
 tem Engelbertū de Marca epistola de-
 dicatoria) cæteris quidem officiatis i-
 mitandū, ipsi vero Comiti ad similes
 suo Comitatu præficiendos, propo-
 suit. Idem scriptor mentionem facit
 alterius Ioannis à Plettenberg VVest-
 phaliæ Marschalci, qui cum Rutgero
 de Al.

DEDICATORIA.

de Altena dapifero Comitis de Mar-
cabellum gessit. Alium item confli-
ctum memorat eodem propè tempo-
re circa annum Domini 1301. inter
Bertholdum deTunen officiatū Ham-
monensem, qui castellanos de Mar-
ca ducebat, & Hunoldum de Pletten-
berg Satrapam in *Houestatt*. Huc ac-
cedit stemmatis vestri illustre decus
celeberrimus ille VValterus à Plet-
tenberg Teutonici ordinis (quem bea-
tissimæ Mariæ Hierosolymitanæ vo-
cant) summus Magister, strenuissimus
belli dux, Liunionæ gubernator, &
præpotens eius temporis Ecclesiæ pro-
pugnator, Abau Vestri frater, de quo i-
ta Thomas Bosius libro de robore bel-
lico Catholicorum scribit. Anno 1500.

*Moschouia Dux irrupit in fines Liunionæ sub
signis habens equitum Moschouitarum cen-
tum millia, Tartarorum triginta millia. Is
illi obuiam VValterus à Plettenberg Teuto-
nicorum summus magister, adducens equi-
tum Germanorum septem millia Liunioni-
corum quinq; occidit q; eo prælio hostium cen-
tum millia vno tantum è suis desiderato,
nihil simile inuenio in tota antiquitate.*

Idem 4

EPISTOLA

Idem aliquanto fusius describit Tilmannus Bredenbachius libro de bello Liuonico. Atrox, inquit, & memorabile praelium gesserunt Liuones contra Ruthenos Anno Domini 1500. sub Ordinis Teutonici Magistro D. VVoltero à Plettenberg, excelsi animi & magnæ industriæ viro. Nondum Lutherana doctrina aut vlla hæresis eos à Catholicismo transuersos egerat, sed priscâ auitamq; religionem summa pietate & fide colebant. Igitur cum Teutonicus Magister cum Ruthenis configere statuisset, publica ieiunia & solennes Litaniae triduo seruandas indicit paulò post Natalem Virginis Matris, ut cõmunibus votis diuinam opem & prosperum belli euentum obtinerent. Conscribit deinde Magister Praefectos & Commendatores vniuersos cum nobilibus totius Prouinciæ, quibus copias & auxilia sua coniungunt quatuor Liuoniæ Episcopi Rigensis, Torpatensis, Riualiensis, & Habselensis. Rigensis mille Germanos equites adducit, Torpatensis quingentos. Riualiensis & Habselensis, itidem quingentos simul, ita ut Magister Teutonicus septem haberet Germanorum equitum millia, & quinq; millia Curonum, qui populi sunt Li-
uonia.

DEDICATORIA.

uonia. Hoc exercitu Magister Rutenorum
fines inuadit, arcesq; & oppida quadam ex-
pugnat. Inde ipso exaltationis Crucis die
ad urbem Plescouiam tendunt. Iuxta hanc
sit a est planicies duorum miliarium ampli-
tudine, inquam ubi deuenere, obuiam illis
procedit Rutenorum Imperator, cum cente-
nis millibus armatorum, qui in duodecim
acies distributi erant. His adiuncta erat in-
gens Tartarorum manus triginta millia cō-
ficiens. Itaq; Teutonicus Magister, ubi aut
turpiter fugiendum, aut ingenti cum ani-
mo aduersus tantum exercitum, barbarie
& armis formidabilem procedendū videt,
nihil de victoriæ spe remittens, fortunans
belli tentare statuit, & paucis suorum ani-
mos confirmat. Præclaram sanè victoriam,
inquit, ô milites hodie nobis obuenturam
de numinis benignitate & vestra omnium
fortitudine facile mihi promitto. In causa
iustissima Deus non potest non esse propitius.
Vos tantummodo pristina strenuitatis &
constantia memores, existimate vos decus,
gloriam, patriam, libertatem, & religionem
in dextris vestris portare, &c. Hæc ubi di-
xit non multò post utrimq; signa canuntur.
Teutonicus Magister glandes ferreas & glo-
):(5 bos

EPISTOLA

hos tormentarios velut crebra cōtinuāq; to-
 nitrū in Tartaros cōtorquet, inde maximo
 clamore infestis signis utrimq; concurrunt,
 gladijs, lāceis, omniq; telorū genere res geri-
 tur. Tartari & Moschouij arcubus & sagittis
 assueti, densissimo creberrimoq; telorū iactu
 aether a obumbrāt, quae tamen vniuersa pene
 irrita aërem verberāt, donec vltro in terrā
 decidunt. Ingēs ibi sonitus ad calum attolli-
 tur, bōbardarum fulmina, armorum fragor,
 vulneratorū gemitus, pereuntium clamor,
 tympanorum sonitus, equorū hinnitus, om-
 nia & Martem & mortē referebant. Tartari
 ubi hoc praelio fusi fugatiq;, succedunt duo-
 decim Moschouiorū acies, animis & virtute
 recētes. Teutonici casis Tartaris ubi bellum
 recrudesce sentire, quanto maiore hosti-
 um vim prioribus succedere cōspiciunt, tan-
 to maioribus animis in hostes irruere, & ve-
 lut ab integro noua virtute resumpta, ingē-
 ti cū fremitu casim punētimq; cōfligere, sau-
 ciare, confodere. Vergente iam ad vesperam
 die qui ex Moschouijs supererant, furtim se
 Plescouiam subducūt. Praelio ita dirempto,
 compertum est ex Teutonicarum agmine v-
 num duntaxat interemptū, Moschouiorum
 vero & Tartarorum circiter centena millia
 trucidatos, vt duobus miliaribus cadauera
 passim

DEDICATORIA.

passim dispersa iacerent. Memorabilis hic erat triumphus & singulare virtutis & fortitudinis exemplum, ac dignum quod sempiterna memoria donatum, nunquam aboleatur. Moschouiorum Imperator (qui ipse in aciem non prodierat) cum summo stupore admiratur tantum exercitum tam exigua manu tam turpiter caesum & prostratum, atque illico pacem 50. annis cum Teutonibus firmat. Quam in initia, omnique bellico tumultu composito, legatum magnus Moschouiae Dux ad Ordinis Magistrum ablegat, rogans uti unum quempiam ex ferreis illis militibus (Ruteni Teutones ferreos vocabant) qui tantam Moschouiorum multitudinem fuderant, ad se mittat, se una cum Legato obsidem mittere, ferreum illum virum non inhonoratum in donatumque ad suos reuersurum. Magister Teutonicus haud inuite unum e militibus, cataphractum equitem Moschouiam versus destinat, quem ubi Moschouiae Princeps aduenire accipit, comestum universis Ducibus, nobilibus & Praefectis suis denunciat uti praescripto die Moschouiam conveniant, novum visumque dignum spectaculum eos habituros. Destinatio die cataphractus in apertam planiciem iuxta aulam Principis, numerosa (ut fit) populi corona circumstante, praecedit, & huc illucque obequitans, petasum e capite cuiuspiam circumstantis abripit, cumque

EPISTOLA

eumq; in hyppodromi centrum projicit. Illico pleno cursu lanceam in petasum dirigit, eūq; dicto citius cuspide arreptum ē terra subleuat. Moschouius Imperator eam equitis agilitatem conspiciens, vrsi in morem (solent id facere Moschouij) barrit. Rursum Cataphraētus demissa paululū lancea, in oppositum parietem perniciosissimo cursu fertur. Ac tametsi parietem inuasurus videretur, ille tamen protinus intacto muro hastam reducit, & equum retrahit. Illud spectaculum denuo Principis omniumq; circumstantium admiratio subsequitur. Resumpta iteratō lancea plenissimo impetu in parietem fertur, hastamq; circumuolitantibus undiq; fragmentis confringit. Hac ubi omni dexteritate expeditē gessit cataphraētus, vocatur ad Principem, & accepto insigni munere ad Teutonicum Magistrum remittitur: Haftenus ille.

Rediens porro idem ē praelio vestibus multo hostium sanguine cōspersis iucundē iocabatur: Ita, inquit, lauandæ sunt oues. Exstant huius herois varia etiamnum monumenta, non solum in aureis numismatibus eius auctoritate cufis, quorum grandiora patriâ

DEDICATORIA.

triâ lingua *Wettenberger* nuncupan-
tur, sed etiam auitæ suæ pietatis erga
D. Virginem Patronam suam diuer-
sa apud Liouones, & ante ipsam regi-
am arcem vestigia: vbi erecta Beatissi-
mæ Matris Dei effigie suam ante eam
genua flectentis imaginem in conces-
sæ victoriæ mnemosynon posuit. Ob-
stupui inter hæc & grandem familiæ
Vestræ gloriam admiratus, ita planè
statui, Reuerendæ & Prænobilis Do-
minationis Tuæ patrocinio multum
meo libello ornamentum accessisse.
Quod si is iusto minor est & Tua Re-
uerentia parum dignus, cum nihilo-
minus Suæ insigni humanitati, quam
probè perspexi non ingratum fore
confido. Meum, qui sum paruus, est
parua dare, suum qui cetera & humi-
litate inprimis magnus est, modicis
etiam delectari. Itaque nihil à Sua
dignitate alienum æstimat, quod pue-
rorum atque adolescentulorum sibi
caterua deducatur, cum horum nos
exemplo Magnos fieri posse in reg-
no cælorum monuerit Saluator. Mat-
thæi 18. dicens: *Qui se humiliauerit*

sic ut

EPISTOLA

*sicut paruulus iste, hic est maior in regno
celorum..* Et huius quidem virtutis
numeros paruulus etiamnum VVal-
terus Hentricus à Plettenberg vester
ex fratre nepos, eximiae indolis & ma-
ximae spei puer obtinet, qui vt cate-
ras familiae suae (cuius ille spem totam
sustinet) virtutes & gloriam assequa-
tur, breui in hoc Speculo, quid à se
maiorum suorum exempla requi-
rant iucundè speculabitur. Offero i-
gitur Reuerendae & Prænobili Do-
minationi Tuae exiguam mei laboris
partem, quam vt solita sua humani-
tate, qua me indignissimum hactè-
nus persecutus est, suscipiat, & exi-
le hoc memoris animi monumentum
pro suis in me ingentibus meritis ex-
tare aequi boni consulat, etiam atque
etiam rogo. Meae interea imbecilli-
tatis in referendis gratijs mihi me
conscijs, Deum remuneratorem as-
siduis precibus interpellabo, vt Reu.^{da}
& Prænob. Dominatio Tua felix vi-
uat, & gloriae Dei atque Ecclesiae ædi-
ficationi, vt facit seruiat, ac suis apud
Deum

DEDICATORIA.

Deum iam partis promeritis maxi-
mum in dies benè merendo cumulum
adijciat. Datum Monasterij pridie Kal.
Augusti. Anno 1615.

Admodum Reuerendæ &
Prænobilis Dominationis
Tuæ

Humillimus cliens.

Bernardus Dörhoff
Vicarius.

AD STUDIOSAM IUVEN-
TVTEM PRAEFATIO.



Vantum ad totius vita integritatem
præclare conseruandam momenti ad-
ferant primi ineuntis ætatis mores
atq; informatio, verissimè hoc versu
declarat Horatius:

*Quo semel est imbuta recens seruat odorem
Testa diu.*

Pueri sint
amantes
virtutis.

Sint mori-
geri maio-
ribus.

Sint ala-
cres ad
studia.

Siue enim innocua ætati virtutem instillaris, eandem
quam diutissimè redolebit, siue vitium insuderis lon-
gissimo ætatis tractu eandem suo dedecore mephitim
exhalabit. Itaq; quibus adhuc integer à labe vitio-
rum est animus, toto affectu ad honestatis se amorem
conformant, idq; sibi cerò persuadeant si à teneris vir-
tutem combiberint, eius se saluberrimis fructibus sera
etiam ætate potituros. Hæc porro res est quæ paren-
tum præceptorumq; illis amorem conciliat, familiam
oblectat, angelos beatos, ipsūq; adeo Deum præstat
amicum. Quia vero pueri affectibus magis quam consi-
lio ac ratione ducuntur, aliorum se nōrunt prudentia
debere gubernari, ne pronis in vitium cupiditatibus
abrepti pessum eant. Itaq; admonitiones, correctio-
nes, & tempestiuas occupationes, quibus à salebris vi-
tiorum se vocantur lubenti animo accipiant, atq; ita
apud se statuunt id factū opus esse, nec alia se lege in in-
feriores ubi adoleuerint vti debere, proindeq; id sibi
vitio dent, si obmurmurent, si dicto statim audientes
non fuerint, si cum fastidio officij satagent, si præcepto-
rum aliorumq;, quorum ductu viuendum est obseruan-
tes non fuerint. Tanto autem iucundius se in studia
incubituros, atq; officium præstituros sciant, quanto
dili-

PRAEFATIO.

Vitent o-
tium.

Declinent
malas so-
cietates.

Adolescen
tes ament
castitatē,
eiusq; me-
dia.

PRAEFATIO.

Honesta
occupatio
per neces-
saria ado-
lescētibz.

ratum ac mundum praeſtare. Contra vero carnis laſci-
uiam totam formā venuſtatem prodigere. Ceteris
item vitijſ ne in adoleſcentia radices agant, vitamq;
reliquam commaculent omni induſtria aduerſentur.
Iamq; otij & ſocietatis prauae inſidias longē cautius
declinare conentur. Si vero humanitus in crimen im-
pegerint, ne id aſſuetudine gliſcat nullo meliori reme-
dio quam praematura ac frequenti confeſſione ſe ſciant
liberatum iri.

Vt vero immanes haſce animorū peſtes effugiant, a-
lacritate ſtudiorum, exercitatione pietatis & rerum
caleſtium veraq; gloria amore ita animum ſuum prae-
occupent, ne quis aditus prauae cupiditati relinquantur;
quod quidem iucundiſſimē vtiliſſimeq; facturi ſunt, ſi
prudenti intentione totum ſtudiorum laborem ad Dei
ſolius gloriam, aeternaq; vitae meritum tranſmittant,
atq; ita diues bonorum operum depositum ſibi in calis
accumulent. Ita fiet vt moribus ac probitate perin-
de atq; aetate adoleſcant. Quia vero ad coniectu-
ram conſequentis aetatis propinquius ſpecimen ad-
fert adoleſcentia, diligentior danda eſt opera, ne ex
morum diſſolutione tota poſterioris vitae ſpes euane-
ſcat: dum videlicet prima educationis fructum liberi-
or adoleſcentia ludificat, & parentibus ac magiſtris
multum maioris conciliat. Quod ſi canum iſtorum
quorum hic venatui, ille culina aſſuetus ſcena ſiue apo-
logus, palam educationis diuerſae de ſe argumentum
dedit: dum alter in leporem incurſans officiū feciſſe
laudatur, alter deſidia, ad offam ſibi appoſitam adhae-
reſcens, arguitur. Quanto grauiori momento & diſpa-
ri diſcrimine ſiue ad laudem ſiue ad contumeliam di-
ſtare

Quanta ſit
bonorum
& malorū
diſparitas.

PRAEFATIO.

distare videbuntur adolescentes, quorum alter memor indolis atque virtutis ad honestatem plaudente corona emittitur: alter quasi degener, & sui de decorose oblitus in vitium pronus fertur flocci faciens labem infamia dummodo poenas effugiat. Sed quia hic non de praesentis duntaxat temporis euentu agitur, verum olim ad decernenda iustis ac flagitiosis praemia trutinam iudicii aeternitatisque arbitram Deum in fine saeculorum adducet, ut pios interminata sua gloria cohaerere adiscat: scelerum vero mancipia, aeternis ignibus perpetuo mactandos immergat: dementissima esset insania, nihil neque ad virtutem stimulari talia cogit antem, neque ad letiferi peccati occasione animo cohorrescere. Non sunt praetereundi hoc loco paedagogi, quibus intensior cura incumbit sui atque alieni officii, qui si eruditione ac virtute praediti, auctoritatem moderandi inter suos habeant multum ad piam educationem momenti possunt adferre: si vero literarum, bonorum morum, & virtutis ipsimet imperiti fuerint, aut regendi iis desit auctoritas, totus iacet fructus institutionis. Itaque si parentes liberos stulta & effeminata indulgentia ducti paedagogis, immorigeros ac refractarios esse patiantur, & corrigi vetent, principio admonendi sunt, ut liberos suos perdere desinant, & paedagogo iubeant obsecundare. Quibus vero sancta ac tecta est auctoritas id precipue curent, ne desultoria quadam leuitate, verbo aut facto suis se discipulis contemnendos deridendosque propinent, neue pari cum illis recreatione utentes auctoritatem pueriliter prodigant, sed potius qua decet morum atque actionum maturitate prae luceant. Ad studia vero literarum virtutisque quod attinet, id praestent, ut

Iudicium
Dei mag-
num est cal-
car hone-
statis.

Quid à pe-
dagogis re-
quiratur.

PRÆFATIO.

eorum discipuli quoad eius fieri possit ad honestatem ac bonas artes alacritate quadam potius, quam metu & formidine ducantur: hoc enim ingenuam, illud vero servilem arguit indolem, nec virtutis admodum tenax est illiberale ingenium. Itaque excitanda iuventus premiis, laude, adhortationibus ac similibus. In vitia vero ac naus discretæ severitate animadvertant, magna tamen cuiusque indolis habita ratione, quæ ut magis ingenua est, ita sæpè facilius modesta increpatione, quam pænæ severitate corrigitur. Hac quæ ad cautelam paucis præmonenda duxi, quam scitu factumque utilia sint ingenuus adolescens iudicabit, sequens ad eadem uberiorius in exemplis Sanctorum lustranda multa ut spero animi alacritate accinget.

BENE.

BENEVOLO LECTORI.



Nter omnes qui Christianæ reipubli-
cæ tum conseruandæ tum amplifican-
dæ operam nauârunt, Beneuole Le-
ctor, nulli felicius prudentiusue rem
auspicati sunt, quam qui iuuentutem
à teneris, optimis artibus, pietate ac moribus imbuen-
dam sibi desumserunt. Iuuenta enim optimè informa-
ta non possunt non felices euadere virorum Venerabi-
lium cætus totæq; reipublicæ, quarum Capita, prima-
tes, procures item iuxta ac ciues ad optimarum rerum
studia, atq; amorem honestatis intra parietes phron-
tisteriorum geniti quodammodo atq; effecti fuerunt.
Quod quidem officij genus nulla religiosarum fami-
liarum prudentius feliciusque complectitur, quam de
nostra hac vrbe totaq; Germania optimè merita Socie-
tas Iesu. Hæc indefesso labore iuuentutem optimis ex-
colere studijs, deuincire Sodalitijs, excitare præmijs,
multiplici piorum librorum apparatu vallare, crebro
& vtinam apud omnes religiosos æquè frequenti Sa-
cramentorum vsu expiare, magno Christianæ reipu-
blicæ fructu atq; applausu conspicitur. Fruitur itimò
hisce beneficijs vterq; orbis, non ille solum cui Roma-
nas aquilas Cæsares, sed & ille nouus, cui vexillum
Christi Societas Iesu inuexit. Nec tamen interea de-
dignatur extraneas in hanc messem admittere operas
etiam imbelles, & suo zelo atq; feruori maximè impa-
res; quin potius hortatu impellit, id spectans, vt omni-
bus numeris absoluta sit iuuentutis instructio. Huic
igitur instituto promouendo præsens hoc Speculum
iuuentæ quasi minutum quoddam ad diues ærarium,
nō tam meo nutu, quam eiusdem Societatis ductu ad-
ieci, & calamum ei (vt quam leuissimè dicam) commo-
daui: eo fine, vt quæ in grandioribus voluminibus, & à
notitia iuuentutis longè remotis sparsim inueniuntur,

VNO

vno quasi fasce complecterer. Ne tamen alijs subserui-
endo fructu ipsemet caream, minutum hoc meum, aut
si quid est eo minutius Tibi Beneuole Lector velut
nummulario commisi, nec aliud abs te senus exspecto,
quam vt diligenti lectione Speculum hoc scruteris, &
quæ tibi ex vñ sint, ad animæ ruæ ornatum, Deiq; so-
lius gloriam prompto animo mutueris. Ne autem pue-
rorum vitas puerile quiddam sapere, atque ab imita-
tione tua alienum putes, multa in progressu videbis, à
senili prudentia & canis minimè dissenteanea, imò mul-
ta admiratione dignissima: ita vt in tenella Sanctorum
ætare digitorum Dei, & magisterium Spiritus sancti ag-
noscas; qui meritò illud Dauidicum dixerint: Super
senes intellexi, quia mandata tua quæsiui. Denique vt
de fructus nobilitate nihil ambigas, summa totius pu-
erilis institutionis hæc est, vt iuuentus ad omnem ho-
nestatem, ad rerum publicarum conseruationem, ad
Ecclesiæ Catholicæ spem atque propagationem, ad æ-
ternæ demum vitæ adeptionem maturescat. Hæc quan-
ti & quam sedulo facias, vulgus bonorum in te soler-
ter obseruat. Vale & frue.

INDEX

De S. Basilio 1. Ianuarij.

EXEMPLVM S. BASILII MAGNI
Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopi.
apud Surium 1. Ianuarij.



BEATVS Basilius anno ætatis septimo literas auspicatus, insignem quinquennio studiorum fecit progressum. Dein profectus Athenas simul vt Eubulo operam dare cæpit, præclarum de se ingenitæ honestatis specimen dedit, atq; eidem suo præceptori castitate, continentia, abstinencia, & alacritate morum, ac diligentia magnæ fuit admirationi. Exarsit porro tam egregia indoles miro diuinæ sapientiæ <sup>*Præclara lano-
adole-
scientia.*</sup> peruestigandæ desiderio, adeoque nihil vini panisve sumere destinabat, donec optato potiretur. Confecto igitur per annos quindecim totius Mathematices & philosophiæ curriculo, cum adhuc vniuersi conditorem nihilò quam antè melius indagare posset, quadam nocte in vigilia, diuino quodam fidei splendore inflammatus scripturas diuinas peruestigare admonetur. Quare in Aegyptum ad Porphyrium Archimandritam profectus, sacrosque ibidem nactus codices, annum integrum in diuinorum eloquiorum cōmentatione magna animi cum voluptate consumpsit. Postea Hierosolymam pietatis ergò profectus, atque inde delatus Antiochiam, in Eubulum adhuc gentilem incidit. Quem cum mutuo magisterij officio Christianæ fidei dog-

A mati-

*Qua
virtu-
tes ado-
lescen-
tem de-
ceant.*

matibus imbuisset, mox etiam Libanium con-
discipulum pari facilitate conuertit. Rogā-
tus porro à Libanio Basilius, vt ijsdem sermo-
nibus discipulos etiam suos cohortaretur, doce-
bat eos seruare animi munditiam, & decorā cor-
poris integritatem, incessum sedatum, pronun-
ciationem articulatim distinctā, sermonem be-
nè compositum, cibum & potum minimè pertur-
bantem, erga seniores taciturnitatem, erga sapi-
entiores auscultationem, erga illos qui in digni-
tate sunt subiectionem, erga pares & inferiores
charitatem non fictam: pauca dicere, capere plu-
rima: verborum cauere temeritatem, lugere lo-
quacitatem, non faciles esse in risum, studere ve-
recundiæ, cum feminis procacibus non suscipere
disputationem, oculos humi depressos, animum
ad superna erectum habere, vitare contentiones,
mundanos honores omnes pro nihilo ducere.
Quid si quis vestrum, inquit, alijs etiam possit
prodesse expectet mercedem à Deo, bonorumq;
perennium retributionem. Hæc cum apud Liba-
nij discipulos memorasset Basilius, illiq; omnes
non sine admiratione audissent, cum Eubulo
Hierosolymam contendit, vbi primis Christia-
norum sacris initiatus, haud multo post, diuino
oraculo, in episcopatu Cæsariensi Eusebio suffe-
ctus, multis vsque ad exitum vitæ virtutum
ac miraculorum insignibus
coruscavit.

AD O.

De S. Fulgentio 1. Ianuarij.

ADOLESCENTIA S. FVLGENTII

Episcopi Ruspenfis Surius Tom. I.

1. Ianuarij.

Clarissimis maioribus ortus S. Fulgentius, inter ipsa incunabula egregia quadam indole ad futuræ sanctitatis culmen cōtendebat. Quem religiosa mater, parente celeriter exstincto græcis literis imbuendum tradidit, atque in his satis superq; eruditum Latinis perinde operam nauare voluit. Quamuis vero ingenij facilitate plurimum valeret, rei tamen familiaris cogente ratione, studiorum curriculum æquo citius abruptit. Suscepta igitur paternæ domus gubernatione, nihilo secius maternis se subdebat imperijs, vt ad exemplar Christi sese conformaret, quem sacre ^{Obedi-} ^{entia.} paginae docent parentibus suis fuisse subiectum. Haud multo post ob prudentiæ famam procurator constitutus, initium sumebat imperandi, ac consulendi, & gubernandi quam plurimos. Accepta porro hac potestate, dum pro ingenita sibi bonitate neminem lædere desiderat, atq; interea in pensionibus extorquendis crudelitatem iubetur exercere, cœpit secularium negotiorum sarcinam & vanam felicitatem vehementius fastidire: proindeq; spiritualis vitæ amore pedetentim succenditur, & lectioni ac orationi contento desiderio incumbit. Postmodum vero ^{Aspirans} ^{ad sta-} ^{tum per-} ^{fectio-} ^{nis.} suauißimas monasteriorum societates frequentius visitat, & seruorū Dei mores propositumq; perdiscit. Inter abstinentes nulla esse gaudia sæculi,

A 2

culi,

Religios
sa vita
commo-
da.

culi, sed nulla etiam esse tædia sentiebat. Videbat eos in summa viuentes abstinentia, nullius formidare calumniam, atq; ab omni similitudine alienos, mutuis sibi charitatis officijs subseruire. Cōsiderabat adhæc multis adolescentibus, perpetuę continentię deditis, nihil esse pudoris incorruptione antiquius. Hæc omnia reuoluens, & anticipi cura vitæ ineundæ rationem disquirens, Cur obsecro, inquit, sine spe futurorum bonorum laboramus in sæculo? Ecquid nobis aliquando mundus præstet? Si gaudia quæras (etsi melius sit benè flere, quàm malè gaudere) quantò tamen hi securius, gaudent, quorum sic in Deo tranquilla est conscientia, quos minimè terret exactoris improbi violentia, qui nihil timent nisi peccata, nihil agunt nisi vt diuina possint implere mandata? Viuunt inter se pacifici, sobrij, mites, humiles, atq; concordēs. Nulla illis cura libidinis: immo magna sollicitudo & iugis custodia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros: arripiamus hanc benè viuendi constantiam. Sit nobis vtile quod gratia reuelante meruimus meliora cognoscere. Hæc aliaq; diutius mente pertractans, Spiritu sancto auspice decernit missis vanitatibus & delitijs sæculi, illius vitæ socius fieri quam laudabat. Prius tamen cogitans, ne subita mutatio mentem simul corpusq; perturbans, inter ipsa conuersionis primordia grauissimum sibi vel impedimentum vel scandalum gigneret, principio rara sibi indicxit ieiunia: dehinc paululum progrediens, antiquorum sodalium abstinebat consortijs; tū quasi nego-

negotij gerendi causa à turbis sese subducens tristis sedebat, & orationi, lectioni, ac ieiunio vacabat. Tandemq; facto de vitæ monasticæ exercitatione ac labore periculo, Faustum Episcopum, qui in exilium ab Hunerico relegatus, monasterio à se constructo præerat, adiit, & in monachorum se numerum summopere petijt cooptari. At ille iuuenem multis quondam fortunæ bonis delitijsq; assuetum, huic instituto minus idoneum ratus, constanter repulit. Qua quidem repulsa magis inflammatus Fulgentius, atq; repellentis dexteram supplex exosculans, sic vultu demisso religiosissimum antistitem precabatur: Potens est, Domine Pater, dare volenti facultatem, qui nolenti dedit voluntatem. Permite me tantum tuis inhærere vestigijs: & Deus nouit quomodo me ab iniquitatibus meis expediat. Motus igitur tanta precum vehementia beatissimus senex, Fulgentium lubens Christianæ militiæ accensuit. Hoc vero nuncio grauiter commota mater, seipsam lachrymis & mœrore, tanquam in funere filij, conficit, rapiturq; inconsideratis cursibus ad monasterium, nec vereretur beatum Faustum conuitijs & contumelijs onerare. At ille femineum affectum æquanimiter tolerans & affabiliter arridens, ne videndi quidem filij copiam fecit. Illa igitur sciens quantum diligeretur à filio, inconditis ante fores monasterij clamoribus eiulabat, & Fulgētij nomen frequentius inclamans, desolationem suam miserabiliter lamentabatur. Tantis vero tentationum arie-

*Constantia ani-
mi.*

*Absti-
nensia
vigor.*

tibus nihil labefactus Fulgentij animus, præ-
clarissimum virtutis specimen, & futuræ con-
stantiæ omen est consecutus. Mater tandem vi-
cta tædio, cum sæpius ad easdem insidias reuerfa
operam luderet, domum concessit. Atque dein-
ceps B. Fulgentius abstinentiæ semet rigore mi-
rabiliter macerans, sine vino & oleo victitabat,
adeo parcè ac tenuiter, ut inedia magnitudo sic-
catam corporis cutem fatiscere diuersis vlceri-
bus cogeret, & superducta impetigine delicati
corporis pulchritudo scædaretur. Vnde nonnul-
li verebantur, ne aut occasione aduersæ valetudi-
nis à proposito sanctitatis descisceret, aut in ser-
uanda communis regulæ parsimonia remissior
saltem euaderet. Ille vero diuina ope excitatus,
ex infirmitate corporis ampliores animi vires
capiebat, adeoq; tanto abstinentior factus, quan-
to debilior, de æterna salute iugiter cogitabat: sa-
lutem vero corporis Dei arbitrio committebat.
Cumque tali pietatis exercitatione viam sibi ad
immortalitatem strauisset, ob præclara vitæ me-
rita Ruspensis Ecclesiæ gubernaculis admouetur,
multisq; clarus miraculis ad cælestem quâ in ter-
ra æmulabatur vitam feliciter emigravit.

*PVERITIA S. RIGOBERTI RHEMO-
rum Archiepiscopi 4. Ianuarij.*

apud L. Sur. Tom. 1.

Temporibus Childeberti, Dagoberti & Chil-
perici Regum Franciæ floruit B. Rigober-
tus, quem nonnulli Robertum vocitant. Traxit
ille

ille originem è spectabili prosapia, in regione quam Ribariorum vocant, patre Constantino, matre è Francorum gente. Vicit porro S. Rigobertus generis sui nobilitatem inclytæ virtutis gloria, dum intra pueritiæ annos omnes sanctitatis numeros pulcherrimè impleuit. A puero ^{Magna laus pueritiæ.} quippe totum se cælestibus studijs & disciplinis ^{laus pueritiæ.} mancipauit: castitatem integerrimè coluit: orationi apprime fuit intentus: vigilijs atq; abstinentiæ rigore effrenes cupiditatum impetus caleauit: Erat adhæc sermone verax, humanitate conspicuus, sapientia illustris, consilio prudens, iustitiæ tenax, charitate feruidus omniq; morum honestate venerabilis. Vnde factum est, vt ijs virtutum ornamentis instructus, breui ad perfectionis apicem pertingeret, & vt erat diuinitus præordinatum Pontificis dignitate afficeretur.

EX VITA S. EDVARDI REGIS AN-
glorum 5. Ianuarij Sur. Tom. 1.

Difficillimis Angliæ temporibus & labenti regno natus Eduardus, vivebat in auita domo inter pueros puer. Immunis tamen à vitijs, <sup>Casti-
tas.</sup> quibus ætas illa solet implicari. Castus erat corpore, sermone rarus, simplex actu & purus affectu. <sup>Integro
rima
Eduar-
di pue-
ritia.</sup> Frequentare ecclesiam dulce habuit, crebrius orationibus incumbere, sacris Missarum interesse solennijs, visitandis monasterijs operam dare, & quos sanctiores sciebat monachos sibi amicitia iungere gaudebat. Posteaquam vero Dani-
cæ gentis crudelitas Angliæ regnum hostili gla-

dio funestaffet, & in sacra iuxta ac profana inso-
 lenter grassaretur, extinctis immani parricidio
 fratribus, solus adhuc superstes in exiliodegebat
 Eduardus. Quare iisdem quoq; infidijs se iam o-
 mnis humanæ opis expertem inuolutum iri for-
 midans, vota Deo pro sospitate sua tali oratione
 nuncupabat. Respice in me omni nudatum auxi-
 lio afflictorum adiutor Deus: cita enim morte
 meus occubuit parens, fratres item meos nefaria
 proditorum crudelitas abstulit, à nepotibus me
 exilium longius submouit, ipsam deniq; matrem
 æmulus noster sibi vendicauit: mea nunc solius
 quæritur anima. Sed tu Domine orphano eris
 adiutor. Tu quondam Eduuinum morti exposi-
 tum, mirabili modo & vitæ reseruasti & regno.
 Tu illud Angliæ decus S. Osvaldum de exule
 regem factum, per signum crucis cunctis fecisti
 hostibus fortiolem. Si me igitur incolumē reg-
 no patris mei restitueris, tu mihi semper eris in
 Deum, & B. Petrus Apostolus in patronum: cuius
 sacratissimas in vrbe Roma exuias, te annuente,
 te regente visitaturum me promitto. Exhinc au-
 tem diuino fretus auxilio, robustior fide & spe
 euadebat alacrior. Interea Angli Canuto rege, li-
 berisq; immatura morte sublati, & tyrannide
 Danica liberati Eduardum in regem electum
 maximo cum honore coronari atque inungi fe-
 cerunt. Tunc sacerdotes sanctitate fulgere, mo-
 nasteria omnia religione pollere, omnesq; reg-
 ni ordines reflorescere. Reges quoque ac prin-
 cipes ex teri tanta rerum commutatione percul-
 si, cum

Vouet
 peregrina-
 tionem.

Potitur
 regno.

fi, cum Eduardo fœdus statuere & amicitias inire
gaudebant. Nihil vero de integritate regij animi ^{Humi-}
vanæ glorię cupido in tanta faustitate decerpfit, ^{litae.}
sed hanc vitę normam sibi proponens, suis se do-
mesticis præbebat æqualem, sacerdotibus humi-
lem, plebi gratum, compatiens miseris & lar-
gum egenis. Proceres autem regni de successione
soliciti, regem de vxore ducenda conueniunt.
Stupet rex suæ metuens integritatis thesauro. Si
enim suorum suasionibus cederet naufragium
pudicitie formidabat: sin refragaretur, propo-
si sui dulce secretum prodi verebatur. Tandem
vero importunè insistentibus tutius esse ratus
nonnihil cōcedere, huiusmodi verbis suam Do-
mino pudicitiam commendabat. Tua quōdam,
Iesu bone, misericordia tres pueros inter flam-
mas Chaldaicæ fornacis seruauit illæsos: per te
Ioseph pallio in manibus meretricis relicto, cum
titulo castitatis euasit: admirabilis Susannæ con-
stantia tua olim virtute de impudicis senibus tri-
umphauit: sanctæq; illius Iudith castitas ab Ho-
loferne nec lædi potuit nec tentari. En ego tuus
tuæq; matris qualiscunq; dilector & seruus, auxi-
liorem abs te expecto gratiam, qua sic maritale
fufcipiam sacramentum, vt pudicitie periculum
non incurram. Victus itaq; rex procerum con-
tento desiderio, Editham Goduini filiam duxit
vxorem. Hanc quippe virginem ab infantia ca-
stitatis amore, odio vitiorum, & virtutum affe-
ctu exercitatam, suo Christus dilecto destinarat.
Suscepto igitur coniugali fœdere, rex & regina

*Virgini
satem
in Ma-
trimo-
nio ser-
uas.*

*Eleemo-
syna.*

*Casti à
sanctis
pra alijs
diligun-
tur.*

de seruanda castitate paciscuntur, huiusque fidel
non nisi Deum esse arbitrum voluerunt. Fit illa
coniunx mente non carne: ille maritus fide non
opere. Perseuerat inter eos sine actu coniugali
coniugalis affectus, & sine detrimento virginita-
tis, castæ dilectionis consensus. Et hæc quidem
inter homines incognita castitatis regiae excel-
lencia, cælesti meruit præconio honorari, prout
sequens narratio ostendit. Solebat vir sanctissi-
mus nulli petenti in nomine S. Ioannis Euangeli-
stæ (hunc enim arctius diligebat) quicquam de-
negare. Accidit vero peregrinum quendam ab-
sente camerario, in nomine S. Ioannis Baptistæ
elemosynam à rege importunius postulare.
Cui rex pretiosum anulum cum aliud nihil in
promptu haberet dedit. Eodem prope tempore
duo ex Anglia ad adorandum Christi Saluatoris
sepulchrum Hierosolymam contenderant, qui-
bus à via deerrantibus, & inclinato in vespere
die inter tenebras cum formidine palantibus,
quidam venerandus senex se obuium dedit, re-
ductosque in ciuitatem, ac hospitio & mensa lau-
tè acceptos, postera luce cum his mandatis dimi-
sit: Viri, inquit, fratres ne dubitate, reditum vo-
bis in patriam felicem à Deo donatum iri; equi-
dem ob amorem regis vestri in omni via firma-
bo super vos oculos meos. Ego enim sum Apo-
stolus Christi Ioannes, qui regem vestrum ob
meritum castitatis summa dilectione cōplector.
Hunc ergo anulum quem mihi in habitu pereg-
rino apparenti dedit, ei restituite, denunciante
ei obi-

ei obitus sui instare diem. Quem intra sex menses visitabo, ut mecum sequatur Agnum quocunque ierit. His dictis disparuit.

ADOLESCENTIAS. ANDREAE COR-
sini Episcopi Fesulani 6. Ianuarij
Sur. Tom. 1.

ANdreas Corfinus Florentiae ex nobili Corfinorum familia infecundis natus fuit parentibus. Qui cum à Deo sobolem exposcerent, ipsi eiusque genitrici gratam oblationem meditantibus, primogenitum suum seruitio Diuæ Matris se tradituros voverunt. Eorum igitur precibus beata Virgo annuens, diuinitus eos voti compotes fecit. Tandem vero vicina partui mater, pro homine lupum sibi per somnium parere visa est: qui cum Ecclesiam intrasset paulatim mutatus, in agnum vertebatur. Natus igitur Andreas educatusque ingenuè crescit & studijs literarum traditur. Cumque admodum scitus esset puer, & forma per elegante, suis erat parentibus multo charissimus. Factus dein adolescens canes alere, equos mercari, sodalitates parare, tractare arma, lites gerere, adhuc omnia diuina pariter & humana promiscua habere, parentumque iussa ac reprehensiones susque deque ferre occepit. Qui perspecto filij sui periculo, ne quam labem ultra familiae adferret, à terribilibus eum moribus iam quindecim annos natum reuocare aggrediuntur. Igitur nacti opportunitatem, Andream ad se accersiri iubent. Qui cum iussa parentum proteruè negligere-

glige-

gligeret, adiectisque contumelijs ab eorum conspectu improbè discederet: sic eum ægra animo affata est mater: Tu profecto, inquit, lupus ille es, quem in somnis mihi visa sum peperisse. His ille dictis attonitus matrem orat, ut quid ea sibi velint verba significet. Tum illa: Audi me, inquit, fili, & ne parentis tuæ dicta contemne. Ego cum genitore tuo annos complures sterilis vixeram, tantusq; sobolis amor fuit, ut etiam pro habendis filijs vota susceperim. Itaque primitias uteri mei, Deo eiusque virgini Matri offerendas constantissimè voui. Hoc idem Nicolaus pater tuus communi voto promisit. Factum est ut beatissimæ Virginis precibus conciperem: cumque pariendi iam tempus adesset, lupum mihi in somnis eniti visa sum: qui simulac Ecclesiā fuisset ingressus, deposita lupi forma mox agnus euasit. Postridie vero te peperisti. Qualis nunc superiorem ætatem degeris non te latet, non enim ut homo ratione utens uiuis, sed ut rapacissimus lupus. Nunc itaq; tempus postulat, ut in agnum te uertas, & quæ pro te vota suscepimus pia mente perficias. Non enim nobis, sed Mariæ virgini natus es. Expergiscere nunc fili, & caue longius fœcordia ac malis moribus vitam inficias. Hac oratione perculsus Andreas, mox antea actam ætatem tacitus considerat, & pœnitentia motus multis cum lachrymis Virginem Mariam precabatur, ut suis pro se ad filium precibus, delictorum sibi veniam exoraret. Altera vero luce ad Carmelitarum Ecclesiam mane abiit, & mul-

tis

Consue-
so B.
Andree

tis perfusus lacrymis ante aram gloriosæ Deiparæ è lupo in agnum conuerti postulabat. Moxq; vt finem oradi fecit Hieronymum Melioratum, qui Tuscię prouincię curam gerebat, prostratus obtestabatur vt sibi religionis ingrediendę copiã faciat. Miratus ille primo ingenuũ adolefcẽtem, summo loco natũ, multisq; educatum delicijs religionis ardere desiderio, illico parentibus ipsius denunciat Andream habitum monasticum flagitare. Nec mora parentes eodem læti festinant, filiumq; in oratione repertum vnanimis B. Virgini offerunt, & suscepti voti officia peragunt. Ita demum in agnum commutatus Andreas, religiosam societatem inire permittitur. Ei porro vilissimæ conditionis seruitia, explorandæ constantiæ ergò demandabantur: verrebat ædes, ostij gerebat curam, quandoq; patinas eluebat, & cætera superiorum iussa prompto humiliq; animo peragebat. Exin adolescantis animus in dies magis ac magis Dei ac virtutis amore flagrabat, ac peius letho vitium omne exhorrens, ieiunijs, abstinentia & corporis flagellatione pronas in scelus cupiditates in gyrum agebat rationis, tantusq; silentij amator factus est, vt non nisi cum maxime opus esset loqueretur. Tribus diebus quot hebdomadis solo pane & aqua contentus ieiunabat: obedientiæ item longè erat obseruatissimus. Si quid vacui temporis nactus fuisset, sacris illud literis euoluendis & orationibus vtiliter trans mittebat. Corpus suum assiduis flagellationibus macerans, spiritui subigebat, cilicio domabat, ieiunijs

*Amplē-
titur
vitam
monasti-
cam.*

*Rigor
peniten-
tiæ.*

Ieiuniũ.

Patientia.

iunijs castigabat. Amabat cum primis solitudinem, atque à delicijs iocis ac ludis plurimum abhorrebat. Detractiones atque irrisiones inuicta animi constantia (perinde ac si religionis perfectio in perferendis iniurijs poneretur) tolerabat, donec vita in summa sanctitate traducta, ad beatissimum illud animorum concilium multis terra & cælo auctus honoribus euolauit.

DE S. LUCIANO MARTYRE

7. Ian. Sur. Tom. 1.

Omnes opes effundit in pauperes.

Quotidiani ieiunij rigor.

isus.

Singulari parentum diligentia integerrimè educatus Lucianus, postquam iisdem anno ætatis duodecimo fuit orbatus, ad sacram ædem cōfugit, effusisque in pauperes cunctis facultatibus, Edessam ad Macarium sacræ scripturæ interpretem contendit: atque hoc vsus præceptore breui in sacrarum literarum scientia præclare profecit. Dein mox à baptismo monasticam vitam exorsus, vino & obsoniorum esu prorsus abstinit, & quotidianis insuper ieiunijs secundissimo euentu contra carnis lenocinia depugnauit. Inde vero stabili se consuetudine obstrinxit, ut hora saltem nona semel in die vesceretur, præterquam quod certis temporum interuallis tota hebdomade cibo abstineret. A scurrilitate & risu tantum abhorrebat, quantum iudicabat ea esse verè ridicula: Contra vero lugentium (quos suo diuinoque præconio beatos allerebat) maluit esse imitator: proindeque maiorem ætatis suæ partem in precibus ac lachrymis ponebat. Silentio
igi.

Igitur ac meditationi assidue intentus tametsi
 spiritali intus dulcedine afflueret, tristem & co- *Amor*
 gitabundum vultu referebat. Tanto deniq; sa- *contem-*
 crarum literarum tenebatur desiderio, vt præ- *platio-*
 assidua earum commentatione vix somnum ca- *nis.*
 peret. Sin vero quandoque nonnihil quietis
 corpori indulgendum putaret, non absque in- *Somni*
 tensa oratione, lachrymis, & genuflexione dor- *parcissi-*
 mitum se conferebat. Et hæc quidem adhuc pu- *mus.*
 er. Deinceps vero adolescens diuina S. Spiritus
 ope fretus, ita cupidinis irritamenta superauit, *Carnem*
 vt à rebellionē carnis prorsus videretur immu- *ieiunij*
 nis. Edulijs quippe ad refectionem corporis *edomu-*
 adeo exilibus utebatur, vt multis diebus solo pa- *is.*
 ne victitaret, & ne pane quidem pluribus, sed ijs
 quæ eo erant ad alendum magis exilia. Aqua au-
 tem eratei potus suauissimus. Quandoque vero
 etiam vsu ignis abstinebat. Cumque sic ab omni
 corporis contagio mentem seuocasset, & ad vni-
 uersæ humanæ virtutis fastigium conscendisset,
 cito omnium sui temporis euasit clarissimus.
 Quam ille demum egregiè factorum gloriam æ-
 terna martyrij laude sub Maximiano Imperato-
 re cumulauit.

MARTYRIVM DVORVM INFANTI-

um, Surius ibidem in vita

S. Luciani.

EAdem tempestate etiam in innocuam æta-
 tem barbara immanitate grassabatur Maxi-
 mianus: qui cum apud Nicomediam duos pue-
 ros

ros fratres illustri loco natos sibi fisti curasset, primo quidem conabatur magnis eos promissis inescare, quibus pueros facile rebatur illiciendos, tum idolothyta puerulis, ne quid mali patiantur offert degustanda. Illis vero cum ploratu auersantibus, quod secus à parentibus edocti forent, truci admodum vultu interminatur, & varijs eos plagis onerat. Cumque pueri adhuc fortiter resisterent, neue aduersis animo frangerentur, quidam Sophistarum se è vestigio effecturum spondet, vt cibus appositus sine tergiversatione vescantur. E sinapi igitur acutissimam confectionem aptans, eorumque verticibus capillo nudatis imponens in succensum igni balneum eos deportat. Vbi cum immenso calore ceu fulmine quodam icta essent eorum capita, ad solum vsque eadem hora inclinati sunt. Pauloque post cadense eorum ætate minor, præ magnitudine ardoris in caluaria succensi, prior vita functus est. Quo viso alter quam maxima potuit voce bona verba effatus, fratris exultabat victoria, eumque exosculatus, ac proclamans victorem, continuè ingeminabat: Frater mi vicisti: donec & ipse inter fraternos amplexus fortiter moriens mortalitatem deposuit.

DE S. LAURENTIO IUSTINIANO

Patriarcha Veneto 2. Ian. Sur. Tom. 1.

BEatus Laurentius nobilissimis maioribus Bernardo Iustiniano patre, matre vero Quirina Venetijs natus, à primæua ætate morum precipua

cipua claruit elegantia. Nihil illo erat venustius
 us aut amabilius, nihil morum suauitate com-
 prius. Cæterum excellenti videbatur animi
 magnitudine, & ad summas res semper intēta. *Spernis
ludicra.*
 Nihil illum vt cæteros solet iuuenes ludicri
 delectabat, sed ad magnas res diuina illum sa-
 pientia rapiebat, vt aliquando Quirina mater
 metuens, ne aliorum erumperet ille ardor a-
 nimi, & mundi honores plus quam par esset
 amplecteretur, quin tu, inquit, hanc mi fili
 mittis insaniam? Infernum sapit ista superbia.
 Cui subridens Laurentius veluti per iocum.
 Noli timere, ait, mater: magnum me Dei ser-
 uum adhuc videbis. Hoc de seipso puerile
 præsagium haud multo post Dominus im-
 pleuit. Annum erat natus vndeagesimum, ei-
 us scilicet ætatis, in qua blâdæ carnis illecebræ
 ancipitem facere humanę vitę decursum con-
 fueuerunt, cum illi Dominus Iesus præsentis
 auxilio subuēturus apparuit, prout ipse in eo
 libello, qui fasciculus amoris inscribitur me-
 minit. Ipsius verba subiiciam. Eram, inquit,
 vestri similis quærens æstuante desiderio pa-
 cem in rebus extrinsecis nec inueniebam. Tã-
 dem virgo quædam sole splendidior mihi ap-
 paruit, cuius nomen ignorabam. Hæc propius
 accedens, venusto vultu, placidoque affatu: O
 iuuenis, inquit, dilecte, cur effundis cor tuum,
 & pacem sectando per multa vagaris? Quod
 quæris penes me est, quod concupiscis tibi
 polliceor, si tamen in sponsam me habere vo-
 lueris.

B

lueris.

lueris. Cū vero nomen ipsius & genus & digni-
tatem scire peroptarē, se ait sapientiā Dei esse,
quę hominis reformandi ergo formam susce-
pit humanā. Assensi igitur, & dato pacis oscu-
lo læta discessit. Hac percussus visione Lauren-
tius, rem ad Marinū matris suę cōsobrinū, qui
vita & quę ac doctrina fuit sanctissimus, detulit.
Qui licet magnum quiddā ominaretur, & ar-
dere iuuenem ad omnem altissimę vitę ratio-
nem probē nosset, perspicere tamen penitus
adolescentis animū, & corporis experiri ma-
luit firmitatē. De vestitu porro nihil mutauit
Laurentius, ne cultus sordidior proderet ani-
mi propositum. At matrem diu latere haud
potuit: quę cum pręter suspensiones alias ligna
quædam rudia super lectum sternere, superq;
his cubitare filium deprehendisset (vt est ma-
trum natura mollior) metuens ne filius non
satis difficultates religionis intelligeret, in a-
nimum induxit tentare illius propositum &
nuptias apparare. Et virgo quidem offereba-
tur forma, nobilitate & amplitudine diuitia-
rum præstabilis. Id cum rescisset filius, fra-
tresq; item cum matre in hoc conspirasse per-
spexisset, fugam ad Marinum auunculum ma-
turauit, & Canonicorum Collegiatorum, qui
S. Georgij in Alga nuncupantur, religionem
amplexus est. Dicebat autem initio cōuersio-
nis se pposuisse animo, hinc omnia bona for-
tunæ, nobilitatem, magistratus, honores, vxorē,
liberos, pecuniā, & omnis adhęc generis
volu-

*Penitentia
rigor.*

voluptates: illinc in edias, vigilias, æstus, algorem, seruitutem: tum vtraque suis momentis examinasse, sedisseq; ceu iudicem inter ista, & ab sese ita exegisse. Considera nunc etiam atq; etiã Laurenti, quid agas: Putasne hæc perferre poteris aut illa contemnere? Tū vero ad Domini crucem cōuersum dixisse: Tu es Domine spes mea: ibi posuisti certissimū refugiū meū. Atq; ita animo cōfirmatus, matre ac fratribus relictis, calcatis item opibus, honoribus & floridæ ætatis oblectamentis, ad cēlestem militiam prorupit. In qua primum sibi conflictum cū corporeis desumpsit illecebris, cuius qdem faciliorem fore decursum putauit, si nihil corpori molle cōcederet, sed bellū gereret quasi cū hoste capitali. Nihil dicā de cibi parcitate, quem nunq̃ saturitate, sed vix vltima necessitate metiebatur: nihil de sitis tolerantia, qua nunquā sic torrerī visus est, vt vel ieiunio, vel labore manūū, vel peregrinatione, vel valetudine adduci potuerit, vtpotū deposceret: quin si inuitaretur à fratribus dicebat: Quo igitur pacto feremus Purgatorij calores, si paruam hanc sitim sufferre non possumus. Vigiliis à maioribus institutas nō solum ita seruauit, vt ad matutinas preces primus adiret, discederet vltimus, sed cum monachorum consuetudo ferat, vt precibus perfuncti dormitum se, quoad diescat, conferre possint, nunquam tamen per omnem vitam de ecclesia discessit Laurentius, donec ad primam fratres conuenirent.

*Carnem
victus par-
simonia a-
donant.*

*Orationis
studium.*

B a Aspe-

Patientia.

Aspera etiam hyeme, quod ob corporis debilitatem fuit admirabilius, nūquam foco visus est propinquare. Accidit autē ut pater quidam ad ignem eum inuitaret: at recusante illo, cum prehensam eius manum obrigentem frigore sensisset, admirans inquit: O fili magnus calor est quo tu intus ardes, si frigora ista nō sentis, quibus obriguisti. Multis porro in decursu vitę virtutum præluxit insignibus, quibus enarrandis huius operis breuitas me iubet superfedere.

DE SS. IULIANO ET BASILISSA

9. Ianuarij Sur. Tom. 1.

Vouit virginitatem.

Iulianus claris in sæculo parentibus editus, magnum à teneris amorem combiberat castitatis, proindeq; etate factus prouectior virginitatem suam Christo consecrauit. Parentes vero ipsum octodecim iam annos natum vehementissimis adhortationibus, velut vnicam propagandæ familiæ spem ad nuptias ineundas impellebant. Quare pudicitia suæ florem in discrimen vocari videns Iulianus, septem-diali corpus macerare inedia, & diuinā opem obnixius flagitare aggreditur, id parentibus responsi daturus, quod Spiritus sancti afflatu de salute sua fore cognosceret. Quod ille spatium temporis perpetuis orationibus noctu interdiumq; transmittens diuinum numen deuotissimè exorabat, ne fineret pudoris sui integritatem, quam illi seruandam deuouerat, quauis
causa

Iuliano oratione se armat.

causa violari. Iamq; illum septimæ diei nox in
ieiunijs excubantem, & corpore extenuatum *Visione di-
uina in-
struitur.*
exceperat, cū ei per soporem astitit Dominus,
eumq; multo solatio ac gaudijs delibutum de
casti sui connubij ratione edocuit. Surge, in-
quit, & misso timore parentum tuorum con-
silijs acquiescere nihil formida: Nō enim pu-
dori tuo vllam futura coniunx asperget ma-
culam, quam meauspice tuis thalamis pari stu-
dio castitatis iugabunt insignia. Ea q; propter
te & illam virgines in cælum attollam. Multa
enim castitas pervos mihi propagabitur, mul-
tiq; iuvenes & puellæ per vestram doctri-
nam cælestis aulæ ciuibus aggregabuntur. Ego
insuper præsto tibi ero, in te habitans, vt om-
nem corporis libidinem, & rebellionē carnis
expugnem. Quin & ipsam virginem tibi de-
spōsandam meæ tuæq; voluntati cōformabo,
faciamq; cum institutum tuum complexa fue-
rit, vt me vterq; in thalamo vobis præparato
cum angelorum & innumerabiliū virginum
choris videatis. Hoc igitur cælesti oraculo
mirificè cōfirmatus, actis Deo gratijs læto ac
sereno vultu parentes affatur: En ego, inquit,
amplectar lubens desideratas vobis nuptias,
quas mihi non peccati ansam, sed gaudij futu-
ras cognoui. His dictis mirum quantum exhi-
larati parentes nobilissimam filio sponsam,
forma atq; opibus florētissimam, cognomen-
to Basilissam inveniunt: præfigitur nuptijs di-
es, cunctaq; exquisita ad splēdorem industria

B 3 præ-

*Iuliani anis
mum nulla
eneruant
delicia.*

preparantur. Adfunt ad conditum diem finitimarum urbium ciues, multa & varia oblectationum genera secum adferentes, quibus delicata & florida ætatis mentes ad amoris illecebram raperentur. Aderat ad mulcendas aures modulati symphonicorum cantus, & suauissime puellarum vocolæ, cætereq; omnes ad perfundendum animum quasi illiquefactæ voluptates, quibus constantes alioquin viros ad intemperantiæ lenocinia prouocandos putes. Solus Christi athleta Iulianus, nihil hisce eneruatur delicijs, verum intra mentis arcanum certa impenditis victoriæ fruitur specula. Productam igitur è thalamo spòsam hilari vultu accepit, & cum ea exultauit in Domino. Ac foris quidem lætitiæ præ se ferebat, intus vero Domino cum timore canebat. Vre Domine renes & cor meum, ne vetus ille draco contra me bellum excuscitet. Imminente vero hora, qua sibi, & virgini secum copulatæ, nuptialis adeundus erat thalamus, securam mentem à Deo præmunitus cœclauē ingreditur. Quo loco simul ut preces ad Deum fudere tanta aspirare cœpit odorum suauitas ut inter lilia rosasq; vernantes virgo se constituta autumaret. Tum Iulianum cōpellans: Miram rem, inquit, sentio, hyems enim cum sit, tantum me fragrantium liliorum atq; rosarum odor circumdedit, ut iucunditate hac suauissima vndiq; perfusa, tota certè obstupeſcā, neq; omnino cubilis societatem desiderem. Cui Iulianus: Suauissimus odor iste quem sentis, non temporis, sed ipsius

ipſius Chriſti virginitatem amantiſ opus eſt,
 qui corporiſ caſtitatē intactam ſervantibus, e-
 ternā vitā largitur. Adhæc Baſiliſſa. Quæ meli-
 or ſaluſ eſt, q̃ caſtè integreq; degendo vitam
 cōſequi ſempiternā? Opto igitur vt pariter in
 eo virginitatiſ propoſito perſeueremus. Hiſ
 dictiſ B. Iulianuſ humi ſtratuſ Deum hiſce vo-
 cib꿿 precabatur. Cōfirma hoc Domine quod
 operatuſ eſ in nobiſ: orātem adoleſcentem &
 ipſa virgo orādo ſubſequitur. Intremiſ inter-
 ea conclauē & luce amœniſſima colluſtratur:
 moxq; iubilanteſ celituſ chori dextra lēuaq;
 conſiſtunt: hinc in præfulgida candidatoruſ
 multitudiſ, æternuſ ille rex Chriſtuſ: illinc
 cum innumerabiliuſ virginuſ cætuſ glorio-
 ſa Mater & Virgo Maria conſidebat. Atq; ex
 æterni Regiſ parte ſummiſ illud vocibuſ ca-
 nebatur: Vicisti Iuliane, vicisti. Quæ vero cum
 Virgine & Regina Maria aſſederant, pari gra-
 tulatione applaudebant. Beata eſ Baſiliſſa vir-
 go, quæ ſalutaribuſ admonitionibuſ obtempe-
 raſti, & mundi fallaciaſ reſpuenſ, ad ſempiter-
 nam gloriā percipiendam teiſpſam præpara-
 ſti. Rurſuſ ex æterni Regiſ parte clamabatur.
 Militeſ mei qui antiqui ſerpentiſ voluptateſ
 expugnârunt, ſurgant è terra & attento corde
 librum æternæ vitæ recitent. Ad hanc vocem
 vtrinq; ſedēteſ reſpōderunt. Amen. Dein viri
 duo zoniſ aureiſ pectora præcincti, & corollas
 manibuſ gellātēſ, ambuſ humi iacentēſ erexe-
 rūt. Surgite, inquiunt, quoniā vicistiſ noſtroq;

*Virginitatē
 inuiſam
 pacifi-
 cantē.*

numero ascripti estis: simulque librum exhibent argento multo nitidiorem, aureis conscriptum literis. Accessit Iulianus & cepit legere, quæ in hac sententiam scripta erant. Quisquis mei amore ductus mundum hunc cōtempserit, in eorum numero erit, qui cum mulieribus nō sunt coinquinati, Basilissa vero, quæ animo sincero atq; intacto est, in numero virginum deputabitur, quarum mater Domini Iesu tenet principatum. His dictis librum cōplicuit, & rursus multa illa millia dixerunt, Amen. Dein rursus ad illos senex: In hoc, ait, libro, ut videtis, scripti sunt homines casti, sobrij, veraces, misericordes, humiles, mites, qui non fictam charitatem habuerunt, qui res aduersas atque acerbis sustinuerunt, qui amore Christi opes & commoda huius sæculi cōtempserunt, qui deniq; vitam pro ipso fuderunt, quorum vos numero diuina bonitas dignata est. His dictis visio recessit. Tunc beati virgines de visione Christi mirificè exhilarati, reliquum noctis spacium in hymnis & diuinis laudibus posuerunt. Exinde ordiuntur ambo concordī pietatis fœdere fecundissimos se exhibere Christo, eiusque ecclesiam multiplici germine propagare. Quare domicilij diuisi Iulianus virorum, Basilissa virginum ac mulierum greges Christo lucubatur. Ille inter decem fere millia monachorum pater, illa in virginum ac mulierum multitudine castitatis victoria præfulgebat. Cœperant id temporis
in

*Mirum ani-
marum Ze-
lus.*

in Christianos grassari. Diocletianus & Maximianus, quorum furore ne tot animæ per ipsos conuersæ de salute sua periclitarentur, assidujs ieiunijs & orationibus Deum precabantur. Cumq; in domus suas reuerſi finem orâdi fecissent, eâdem illa nocte Dominus in somnis Basilissam affatus est. Basilissa nomine tuo digna, scito quæcunq; optasti, ea me præstare decreuisse, vt vasa illa vniuersa, quæ per tuam ipsius operam mihi purgavi, tu viuens ad cælestia regna præmittas, & habeas dimidium annum, quo possis ex omni loco vbi tritici sementem fecisti colligere, & laboris tui messem tutò reponere. Itaque & ipsa postea sequeris, vt horrei bonarum animarum pleni clauis accipias: ex hoc enim quotidie odor suauitatis in conspectum angelorum ascendit. Iulianus vero pugnabit & vincet: neque enim vnquam vinci poterit is, in quo regnat castitas. His auditis experrecta virgo, beato Iuliano rem omnem narrauit. Nec multo post mille ferè animabus ad Dominum præmissis, ipsa tandem ab ijsdem ad æternos honores inuitata, dum orationibus vacaret, corpore soluta est, & à sponso suo cælesti perpetuis laureolis magnificentè decorata.

B J

EXEM-

*Exemplum praeclara cuiusdam adolescentis pudicitiae,
ex oratione Nili monachi, de martyrio SS. Patrum
qui erant in Sina & Rhaiti regione. Sur.*

14. Ianuarij Tom. 1.

*Perstitudo
animi.*

TUrba quondam barbarorum in Eremitas
fœuiens cum multas solitudines varia SS.
Patrū cēde cruentasset, peruenit de via ad do-
munculam in qua exercebatur adolescens, cu-
ius magnus & excelsus animus existimatus est,
vel ab ipsis barbaris dignus admiratione. Neq;
enim ijs ostendere latentia monasteria & ca-
ratione mortem effugere voluit: sed neque in
hoc, ut exiret ē domo, neque ut omnino tūni-
cam exueret obediuit: Indicare quidem eos,
qui poterant latere, vocans prodicionem: om-
nino autem obedire, quicquid per vim coge-
retur, pusilli & abiecti dicebat esse animi. Eos
enim qui exercētur, dicebat oportere magno
& excelso esse animo, nec fas esse metui aut
minis cedere, etiam si id videretur magnū ha-
bere periculum. Consuetudo enim fit via ad
maiora: & timiditas quæ semel didicit domi-
nari, iubet etiam magna bona cōtemnere, atq;
adeo ipsam etiam pietatem postremo prode-
re, quando metus malorum timiditate confe-
ctum animum inuenerit. Si enim nunc inquit
facile prodidero liberū meī animi arbitrium,
timens ne breui moriar: quomodo si propo-
nātur supplicia, & minæ intententur tormen-
torum, ad impietatem nō facile transfugiam,
cum doloris vacuitatem asseuerim vtili præ-
pone-

ponere? Quocirca cum vobis planè denegetur
 ea quæ speratis consequi, ne cunctemini ea
 quæ vultis facere. Neq; enim loca in quibus
 viri pij habitant, etsi sciam, indicabo: sed nec
 extra ostium vobis iubentibus egrediar, neq;
 vestem exuam, vt me quis adhuc sentientem,
 & mei liberi arbitrij cōpotem cernat nudum,
 & contueatur corpus, quod in hodiernū vsq; *Præclara*
 diem meis nō est conspectū oculis. Post mor- *castitas.*
 tem vero in me non sentiētem faciat deinceps
 vnusquisq; quod velit. Eorum enim qui faci-
 unt crudelitatis, sed non eius qui patitur & qua
 est reprehensio. Intus enim moriar vt consti-
 tui indutus, neq; faciam quicquam præter sen-
 tentiam, me ipsum prodens vt mancipium: &
 in hac cauea in qua decertauī potius interfici-
 ar: & erit mihi sepulchrum hæc domuncula,
 quæ prius virtutis sudores, & strenuitatis ac
 probitatis nunc accepit sanguinem. Sic eum
 liberè loquentem cum non tulissent scelera-
 ti, sed aduersus eius generosum animū essent
 acerrimè commoti, tot eum plagis, quot po-
 tuit eius corpus capere, confecerunt. Suam e-
 nim vnusquisq; volens iram in eū re ipsa ostē-
 dere, nō existimabat priorum enses sufficere
 ad vindictā, nisi & ipse suū propria manu cru-
 entans gladiū, indignationem suā quadante-
 nus posset cōsolari. Cum plures itaq; mortu-
 um quam viuum, illum magni & excelsi animi
 virum iā fauciaissent, ægri animis recesserunt,
 iniquè ferentes, quod non maiori supplicio e-
 ius corpusculum suffecissent.

VITA

VITA S. IOANNIS CALYBITHÆ

authore Simeone Metaphraste. Sur. Tom. 1.

15. Ianuarij.

ROmæ nobilibus & opulentissimis parentibus Eutropio & Theodora prognatus fuit B. Ioannes, qui ut primum literas didicit, ad rhetoricos & philosophicos libros peruoluendos se transtulit. Annum vero agens duodecimum cum ob præstantiam ingenij omnia probè calleret, Christianam cœpit fidem diligēter sectari, & sanctis vacare ecclesijs, adeoq; pertinaci diligentia occupationibus literarijs se distingere, ut Grāmatici homines adolescentuli perseverantiam obstupescerent. Contigit autem Abbatem ex venerabili eorum monasterio, quos Acēmetos vocant (eò quod nunquam cubare soleant) ad eādem domū, in qua Ioannes docebatur, diuertere. A quo ille, mox ut monasticæ huius vitæ rationem perspexit, in eādem societatem ardētibus votis admitti flagitavit. Audi, inquit, mi pater, & rebus meis cōmiserans cōsule. Parentes enim mei sibi multo charissimum, & literis benè imbutū magno dignitatis fastigio destinant, tandemq; coniugio sociabunt. Ast ego sacris exhortationibus ac literis propriaq; cōsideratione de omnium rerum vanitate edoctus, hunc solum, qui huius vitæ rebus abdicatis constanter in habitu vestro Deo deseruit, saluum duco. Quare abs te supplex oro Domine, ut me illuc deductum, tam sanctæ congregationi accensere non graueris.

Mira discendi alacritas

Monasticen cogitat.

ueris. Assitipulatur itaq; puerilibus votis monachus, seq; rogata à reditu facturū spopōdit. Interea Ioannes librū Euangeliorum, ex quo Christi doctrinā, vitæq; ad pietatem formandæ methodum hauriat, à parentibus impetrare contendit. Qui tantam filij alacritatem fouere cupientes, librum illi longè pulcherri-
mum cuius inuolucrum auro & gemmis radiabat propediem tradūt. Interea pijs-
simus puer acceptum volumen cupidius lectitans, monachi reditum præstolabatur. Reuertentem vero haud multò post magna animi voluptate excepit, eumq; his verbis est affatus. Noui, inquit, nimium vtriusq; parentis erga me amorem, quare ne maternis lachrymis à proposito mei cursu præpediar tacitè hinc discedendum autumo. Tum Abbas: Faciamus, ait, fili quod vis, te enim voti tui compotem faciet Deus, Acceptis igitur Ioannes cētum nummis, quos à matre pro conuiuio suis discipulis exhibendo impetrarat, nauem conducit, atq; ad monasterium Acemetorū clām proficiscitur. Cumque Abbas insignem pueri fidē, & rem gestam ex ordine narrasset; Archimandrita puerum contuens, nimium, inquit, adolescens es ô fili: enimvero mos nobis est, vt qui monasticam vitam apud nos cogitat profiteri, quadraginta diebus hic demoretur, & considerata nostræ exercitationis regula tandem tondeatur. Ad hæc Ioānes: Obtestor te, ait, per sanctissimam Trinitatem, vt me hodie tondeas, isto enim
ange-

*Orationis
assiduitas.*

Pietas.

*Mirus ieiunij
rigor.*

angelico habitu temporius indui nimium quantum desidero. Tum Archimandrita puerum benedictione impertiens totondit, & veste religiosa donauit. Porro Ioannes maxima animi alacritate exercitationi monasticæ incumbere cœpit, & vt studiū illud perfectionis auspiciò decurreret, continuis precibus noctu ac interdiu diuinum numen exorare. Mansit autem in eodem monasterio ańis sex, suisq; collegis quā humilitate, quā indefesso orationis studio preclaro fuit exēplo. Ea vero temperantiæ lege se obstrinxit, vt nihil aliud esculenti, præter sacratissimū Eucharistiæ ferculū degustaret. Quod vehementer demirans archimadrita, Tu, inquit, adhuc puer multum laboris tibi ipse imposuisti, vnde corpus tuum imbecillius efficitur, quā vt diuinę glorię queat sufficere ministerio. Temperantia enim, ieiunium, & vigilię multæ illud corrumpunt. Tāti igitur certaminis cōtentione lacessitus hostis ille sanctitatis diabolus, nouis eum insidiarum oppugnat machinamentis, & generosi animi constantiam maioribus technis quatere atq; debilitare adoritur. Tantū enim mœrorem desideriumq; parentum adulescentulo iniecit, vt perpetuo de illis cogitaret, cuncteq; paternę domus delicię, ac seruorum ministeria, animo ipsius nequicquam repugnanti obuersarentur. Multa proinde inedia, vigilijs, nimioque parentum desiderio factum est, vt eius corpusculum macie cōfectum, vmbre simi-

similius, quam carni videretur. Archimandrita vero cum adolescentem vsq; adeo extenuatum atque afflictum vidisset, vt iam iam e viuis excessurus putaretur: An nō, inquit prædixeram fili, id solum à seruis suis Deum postulare, vt eum pro viribus colant? Tu vero vltra vires tuas isthac exercitatione vtens, te ipsum nimis exhaustum & gracilem reddidisti. Cui Ioannes: Scito, ait, pater non me ieiunijs vsq; adeo macerari, sed peccata mea impedimentum mihi afferre. Multis enim abhinc diebus bonarum rerum inimicus cacodæmon cor meum cōturbauit, & parentum ac familiæ meæ videndæ desiderium animo meo suggessit: neq; perditus ille hostis animaduertit, quod Deo meo volente, vestrisq; adiutus precibus, quamuis ad videndos parentes meos hinc demigrem, ipsum tamen pessundabo, eiusq; conatum imbecillum atq; inanem esse ostendam. Tum Archimandrita: Nōne isthoc te prēmoueram fili, cum primū monastica professione initiari petebas, nostræ huius exercitationis certamen magnū tibi atq; laboriosum fore? Et his dictis adolescenti eū lachrymis benedixit. Postero autem die Ioannes Archimandritam supplex rogauit ne sibi succēseat, sed p se Deū precetur, faciatq; sibi ad parentes cōtuendos discedendi copiā, vt ea ratione Diabolū Deo auspice cōculcet. Is vero fratribus sui monasterij cōgregatis, & attēta prece pro salute adolescentis ad Deū fusa, vade, inquit, fili in nomine Patris, &

Relinquit
monasteri-
um.

& Filij, & Spiritus sancti, & Dominus Iesus te placito sibi calle dignanter dirigat. Ioannes itaq; cū è terra surrexisset, fratres omnes obeundo, flexis genibus à singulis petijt benedictionem, ita eos salutans. Salui estote, inquit, omnes patres & fratres: salua esto laudabilis & sancta societas, quæ me benè suscepisti: ego omnino vestro tecto indignus sum. Cumq; à sanctis illis patribus Deo cōmendatus esset, ille lachrymans monasterio egreditur, & identidem per viam eodem respiciens sacrarium illud pristinae pietatis eminus salutabat. Transacto dein itineris dimidio in pauperem lacera veste amictum incidit, quocum mutata vestæ reliquum viæ mœstus cōfecit. Simulac vero in patrium solum delatus parentum ædes eminus aspexit, humi se prosternens ita Deum precabatur: Domine Iesu Christe ne derelinquas me. Cumq; sub multam noctem parentum suorum liminibus assisteret, rursus in terram prostratus ac lugens id sibi à Deo cōcedi precabatur, vt gratiæ diuinæ vallatus præsidio, eo loci moriens technas dæmonum cōstanter superaret. Altera luce panduntur quasi egressuris parentibus fores. Cumq; familiæ præfectus prodijisset, & Ioanem in lacera illic veste conspiceretur, asperioribus illum verbis à foribus submouit. Cui ille: quæso, inquit, domine, vt inopis te misereat mei, si naq; in isthoc me angulo deliret cetera (nihil enim mali facio) atq; huius rei mercedem à Deo expecta. Per-

mitit

misit ille & abiit. Videns porro parentes in a-
 trium prodire totus lachrymis perfusus ita se-
 cum aiebat. En diabole, & parentes meos, Deo *Patienter*
 ita volente, aspexi, & sagittas tuas ardentes re- *fert pluuia*
 rudi. Et iterum. Domine Iesu ne derelinquas *& frigora.*
 me. Cœpit vero Ioanni in dicto angulo com-
 morati pater suus cibos è mensa mittere, eius-
 que patientiam admirari, quod in tantis plu-
 uijs & multa glacie tam patienter in atrio cō-
 moraretur. Et forsan, inquit, per hunc homi-
 nem æterna nos Deus salute impertiet. Mater
 vero quandoq; eum nimis horrido corporis
 cultu obtectum contuens; atq; ex inuiso men-
 dicabuli squalore magnam capiens animi mo-
 lestiam, indignans, submouete, inquit, istinc
 hominem illum, quia ipso hic iacente transire
 me piget. Statimq; eum serui ad remotiorem
 locum pertraxerunt, quem ille immotus ser-
 uabat. Egredientem vero aliquāto post fami-
 liæ præfectum Ioannes rogabat, vt sibi paruu-
 lū aliquod tugurium cōstrueret, quo à glacie
 defendi posset, neue à domina prætereūte de-
 inceptus videretur. Annuit ille & modicum ei *Pietas.*
 tugurium cōfecit, in quo ille manēs assiduus se *Misericor-*
 orationibus Deo commendabat. Cibos item *dia in pau-*
 quotidie sibi à patre millos egenis dispertie- *peres.*
 batur, ex eis nihil capiens: ita vt pauperes pas-
 sim pro alimentis ad eum confluerent. Quare
 continuis ieiunijs adeo corpus suum afflixit &
 maceravit, vt ossium compages numerari pos-
 sent. Tertio demum anno volens Dominus
 C Iesus

*Christus ei
apparet.*

Iesus cōsummatam adolescentis virtutem cœlestibus præmijs munerari, eidemq; apparens: Salve, ait, Ioannes, qui iure hoc nomine appellaris: vitæ enim peractę meritis similem te illi Ioanni, qui virgo fuit, præbuiſti, & me derelictis omnibus secutus es. Cōpletum est nūc exercitationis tuę tēpus curriculumq; laborum: post triduū ad me venies, & optata inter iustos requie poteris. Experrectus mox Ioānes præ gaudio illachrymat, & sic Deū precatur. Tibi Deo meo grates dico immortales, q̃ me immerentē ista velis beatorū requie dignari. Sed & parentum meorum te cōmiserescat oro, vt delicta illis sua clementer cōdones, quoniam tu solus clemens & misericors es. Tunc præfectum familiæ ad se accersitum rogat, vt hæc dominæ suis verbis significet. Pauper, inquit, ille quem ad fores iacentem expelli iussisti, vnum abs te petit, vt ad Dominum Iesum respiciens, non dedigneris eum accedere, habet enim quod tibi dicat. Hoc audito domina: ecquid est, ait, quod me pauper hic velit? sed cōtueri eū nequeo nedū accedere: cumq; adhuc mora traheret, rursus ei suis verbis Ioannes nunciat: Post tres dies mihi moriendum est, quamobrem si me interuifere renueris, non parū te postremo pœnitebit. Illa cum de eius morte audisset, exijt, puerisq; vt pauperem ad se adducant, præcepit. Ille vero cum esset velatus agnosci nō poterat, sed hæc dixit: Tua ð domina cōpleta est merces, affirmante Domi-

no

no Iesu illa ipsa sibi præstita fuisse, quæ vni ex minimis suis fratribus feceris. Ego vero licet omnium rerū inops benedictionem quandam tibi volo derelinquere, sed iureiurando promittas velim, te, quæ dixero, facturam. Iuravit illa se obseruaturā quæ audiret. Tum ille: Per eum, inquit, ipsum te obtestor per quem & tu iurasti, ne me in alijs quā in his meis vestibus facias in hoc ipso tugurij mei loco sepeliri. Quoniam neq; alijs vestibus, neq; nobiliori loco ego dignus sum. His dictis Euangelium illi tradens. Hoc tibi, inquit, in hac vita esto propugnaculum, & illius futuri æui, & tibi & Domino meo viro tuo sit viaticum. Illa cum librum accepisset, vndiq; illum versans: simile, ait, hoc volumen est illi, quod olim dominus meus filio nostro dederat. Cucurrit igitur & viro suo librum ostendit. Quem ille agnoscens: verè, inquit, ipsissimus hic liber est: sed par est eundē rogare vndenā eū acceperit, & vbi filius noster Ioannes degat. Ambo itaq; ad eū egressi, per sanctissimā Trinitatem eum obtestantur, vt sibi dicat, vnde hoc euāgelium habeat, & vbi filius eorum demoretur. Ille vero cum lachrymarū vim ferre nō posset. Ego, inquit, sum Ioānes filius vester: ego multarum vobis lachrymarum causā fui. Euāgelium hoc est, q̄ vos mihi dedistis. Sed Christum meum amans, suaue illius iugum portauī. Hæc cum parentes audissent ad filij collū se abiecerunt, & ab hora prima vsq; ad sextā ita fleuerunt, vt

omnes qui urbem habitabant vnà cum illis filium agnatum fleuerint. Ne vero eius recta & sancta institutio vlla vitæ huius perturbatione macularetur, ocyus animam suam Deo reddidit. At eius mater posthabito iuramento laceris illum vestibus exutum aureis contexit, moxq; cœpit paralyti laborare. Tum pater verborum filij memor, seruetur, inquit, quod sancti filij nostri voluntas postulauit, & sic habitu mutato, mater repente conualuit. Tumulantur tandem sanctissimi huius adolescentis reliquiæ in suo tugurio, ad cuius venerationem sacram ei ædem parentes cum vniuersis opibus suis dedicârunt.

ADOLESCENTIA S. LAVNOMARI AB-
bati & confessoris 19. Ianuarij.

Surius Tom. 1.

TEmpore Francorū regis Clotarij in Gallia Lugdunensi apud Carnotenses, in lucem Christianis parentibus editus est Launomarus. Qui cum etiamnum puerulus pascendo pecori parentum suorum iussu operam nauaret, iam bonæ spei præ se ferebat initia, virtutisq; haud obscura argumenta. Siquidem de victu quotidiano, quæ parentes illi præhebant egenis aut peregrinis, aut certè coætaneis pueris in pascendo pecore occupatis, liberaliter impertiebatur. Cumq; de præceptis diuinis nihil dum nossent, diuina tamē edoctus gratia, in tenera isthac ætate, senili morum cōstantia polle-

Misericordia in pauperes.

pollebat. Et quoniam ea quā dixi erga conso-
 dales pueros & inopes ardebat dilectione, in
 ipsa pueritia studijs semet parsimonię accom-
 modare cœpit, & corpusculum suum in tantila
 ætate ieiunijs afflictere; vt alijs posset benig-
 nē facere atq; opitulari. Socijs vero suis nō se
 asperum, durum, tetricumve, sed sermone af-
 fabilem, moribus suauem, vultu iucundum &
 alacrem, beneuolentiā & amore pro eius æta-
 tis & facultatis captu mirabilem exhibebat. E-
 uangelium quidem nōdum didicerat, in cor-
 pore tamen delicato crucis mortificationem
 sufferre, atq; in vesperam ieiunia ducere gau-
 debat. Parentes vero vt filium in primo ætatis
 flore aduerterunt carnis delicias flocci pende-
 re, & lubricæ voluptatis illecebras abstinentię
 rigore conterere, non absq; stupore & admi-
 ratione cogitare cœperunt, vnde in tam imbe-
 cilla pueritia, tanta morū grauitas subito exti-
 tisset: ac deinceps pueri vita ac moribus ex-
 ploratis, cum illū mundi huius impuram col-
 luiem fastidire comperissent, eius progressi-
 bus adminiculari satagebant. Cumq; necdum
 ex ephebis excessisset literis eum admouent,
 & cuidam integerrimæ vitæ Sacerdoti insti-
 tuendū cōmendant. Apud quē egregia indole
 & pristino gratiæ diuinæ adiumento ita tyro-
 ciniū posuit, vt iisdem & ætatis & virtutis ado-
 lesceret incrementis. Cōspicatus vero presby-
 ter tātōs pueri in literis & pietate progressus,
 bonæq; spei argumētis permotus, talem hunc

*Ieiunijs se
macerat.*

*Morum
suauitatem.*

*Carnem
ieiunijs e-
domat.*

olim fore ominabatur, per quem multorum posset salus promoueri. Porro simulatq; ad eam peruenit ætatem, qua iam de vitæ ineunda ratione maturo decernere posset cōsilio, non parentum, sed diuinæ gratiæ instinctu, rebus & facultatibus suis renunciavit, vt in illa augusta diuorum regia, securissima hæreditate potiretur. Neq; postmodū ad mundanos strepitus sibi redeundum existimauit, qui nosset dictū esse à Domino: Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei: sed doctrinis sacris, & verbi diuini pabulo ardenti desiderio inhians, eorundem iugi meditatione effecit, vt adolescentis ætatis annos castis moribus ornaret. His ille primordijs ad insignem sanctitatis gradum peruenit, tandemq; vniuersis huius mundi oblectamentis & voluptatibus calcatis, multisq; clarus miraculis, mortalitatem cum æternis commutauit.

MARTYRIVM D. TIBVRTII IUVENIS

20. Ianuarij. habetur in vita S. Sebastiani

apud L. Sur. Tom. 1.

Ardet amore martyrij.

Tiburtius à B. Sebastiano & Polycarpo de fide edoctus ac baptizatus magno martyrij amore æstuabat, cumq; in hominē incidisset, qui ex alto corruens capite ac membris miserè collisis animam agebat, dicta super illum oratione dominica, pristinæ eum incolumitati confestim restituit. Quo miraculo cōmoti

moti ipsius parentes, vnà cum filio suo fidem
ac baptisma à B. Caio Pontifice susceperunt.
Huic interea se apostata quidam cognomen-
to Torquatus simulata ac lubrica fide socia-
uit. Qui cum à Tiburtio viro nobili, erudito,
& sancto frequenter argueretur, quod capil-
los super apicem frontis, tonsoris arte com-
poneret, quod assidue commessaretur, & lu-
dendo pranderet, quod fæminarum aspectu
delectaretur, quod à ieiunijs & orationibus
se subduceret, quod somno deditus, non in-
teresset peruigil hymnos Deo noctu dicenti-
bus: cum propter hæc, inquam, B. Tiburtio a-
crius obiurgaretur, se eius monita simulat li-
benter accipere, egitq; arte, vt orantem san-
ctum Tiburtium infideles comprehenderent,
in qua comprehensione se quoq; fecit teneri,
& simul perduci ad secretarium Iudicis sæui-
entis. Quo cum perducti fuere, Fabianus præ-
fectus dixit ad eū qui se arte tradiderat: Quis
diceris? At ille respondit. Torquatus. Cui Fa-
bianus: Quid profiteris? Torquatus, Christia-
num se esse respondit: Tum Fabianus: An ig-
noras iussisse inuictissimos principes, vt qui
sacrificare Dijs nolint, diuersis supplicijs ma-
cerentur? Ad hæc Torquatus: Sic ait magister
meus est, quod eū facere videro, id me quoq;
facere necesse est. Fabianus vero conuersus ad
Tiburtiū, ait Audistin' quid dicat Torquatus?
ecquid respondes? Cui Tiburtius: Diu est, in-
quit, q̃ Torquatus se Christianū esse mētur.

Virtus enim ipsa sancti nominis grauer fert
& molestè, suum nomen à non suis amatori-
bus vsurpari. Reuera enim vir illustrissime,
hoc Christianum nomen diuinæ virtutis est,
sectatorum scilicet Christi, qui verè philoso-
phati sunt, qui ad obterendas libidines forti-
ter dimicârunt. Credisne vir illustrissime,
hunc esse Christianum, qui in sui lenocinio
moliendo capitis fimbrias admittit, qui ton-
sorem diligit, qui scapulis molliter gestit, qui
fluxum gressum improbo risu distendit; qui
neglectis viris fæminas curiosius intuetur?
Nunquam tales pestes Christus dignatus est
habere seruos suos. Verum quando hic se imi-
taturum me asseruit, iam tu ipse coràm eum
probabis esse mentitum. Fabianus dixit: Con-
sultius feceris, si saluti tuæ prospiciens prin-
cipum decreta non spernas. Ad hæc Tiburti-
us: Ego vero saluti meæ melius non consulo,
quam vt deos deasq; contemnens, vnum Do-
minum Iesum Christum Deum meum esse
confitear. Tunc Torquatus: Non solum, in-
quit, ipse Christianus crudelis est, verum et-
iam decipit alios, persuadens ijs deos omnes
esse dæmones: ipse autem cum socijs suis, cum
quibus magicas artes exercet, diu noctuq; in-
cātationibus occupatur. Tiburtius dixit: Fal-
sus testis non erit impunitus. Hic, quem vides,
vir illustrissime, malitiæ suæ curis exæstuans,
nullam aliam ob causam Christianis se adiun-
xit, nisi vt nobis Christianum se fingeret, &
alijs

alijs fidelissimum se mētiretur. At ego reprehendebam in eo Cyclopæam edacitatem, emergentem è vino putorem, & sepultam diuini nominis sanctitatem. Ebrius patiebatur sitim, & esuriem vomens, nec vt Christianus, sed vt Antonianus quondam ille conuiuator, edebat, potabat, vomebat. Et nunc Christianos arguit, & in eos mitem iudicem incitans, gladium nolenti porrigit. Videmus tandem cruenta tua consilia, & scelerata arte verborum cōflata tui pectoris venena deprehendimus. Accingere ergo crudelissimè, & vt ere carnificis officio. Vindica tibi ipsius iudicis vocem, applica equuleos, suspende Christianos, damna, percutere, incende: vniuersa deniq; supplicia adhibe. Si exilium minaris hoc philosophantibus totus est mundus; si mortis supplicium, euadimus mundi carcerem: si ignes, maiora his incendia in cupiditatibus vincimus. Decerne quicquid libet: omnis nobis vilis est poena, vbi pura comes est conscientia. Fabianus vero, Restitue te inquit generi tuo, Tiburti & hoc esto, quod natura dictauit. Nobiliter enim natus, ad eam deuolutus es fecem vt possis & supplicium, & infamiam, & mortem perpeti. Cui Tiburtius. O prudentissimum virorum & Romanis iudicem constitutum! Quia meretricem Venerem, incestum Iouem, Mercurium fallacem, & Saturnum filiorum occisorem colere nolo, generi meo dedecori sim, & infamiae mihi notam inuram?

Effusis itaque ad pedes Tiburtij carbonibus
ignitis sic inuictum martyrem affatur Fabia-
nus. Elige tibi alterutrum, aut thura his carbo-
nibus impone, aut pedibus super eos nudis in-
cede. Moxque Tiburtius facto crucis signo,
constanter super eis nudis ingressus est plan-
tis, dixitque præfecto: Depone infidelitatem,
& disce quia hic solus est Deus, quem confite-
mur creaturis omnibus dominari. Tu vero si
potes, mitte manum tuam in aquam calidam
in nomine Iouis tui, & si potest Iuppiter Deus
tuus, faciat te non sentire ardorem. Nam mihi
quidem in nomine Domini mei Iesu Christi
videtur, quod super flores roseos gradiar,
quia creatura ipsa creatoris sui famulatur im-
perio. Tum Fabianus: Ecquis ignoret vos à
Christo vestro artem edoctos magicam? Ti-
burtius vero: Obmutescere, inquit, infelix, &
noli auribus meis has irrogare iniurias, ut au-
diam te rabido ore latrantem, & nominare
sanctum & mellifluum nomen. Fabianus itaq;
ira percitus hanc in Tiburtium dictavit sen-
tentiam: Blasphemator Deorum, & reus atro-
cium iniuriarum, gladio animaduertatur. Quo
in supplicio gloriosus martyr sanguine
suo laureatus felicissime im-
mortalitatis præmijs
cumulatur.

ILLVSTRE EXEMPLVM VIRGINITA-
tis & fortitudinis B. Agnetis V. & M.

21. Ianuarij.

EXempla puerorum atque adolescentium
 commentantem, multo virili robore su-
 perior iure suo interpellat virguncula, volens
 casti sui thori fecunditatem puerorum atque
 adolescentium pudore immaculato propaga-
 ri. Hæc tertio decimo ætatis suæ anno à præfe-
 cti vrbs filio ad nuptias sollicitari cœpit. Qui
 cum ad flectendum S. Agnetis animum pretio-
 siora identidem munera, quasi priora ob villi-
 tatem contemni potuissent offerret, constan-
 ter ab ea tali sermone fertur repudiatus: Dis-
 cede à me fomes peccati, nutrimentum faci-
 noris, pabulum mortis, quia iam ab alio ama-
 tore præuenta sum, qui mihi meliora te obtu-
 lit ornamenta, & annulo fidei suæ subarrauit
 me, longè te nobilior & genere & dignitate.
 Ornauit me inæstimabili dextrocherio. Dex-
 teram meam & collum meum cinxit lapidi-
 bus pretiosis. Tradidit auribus meis inæsti-
 mabiles margaritas, & circūdedit me vernan-
 tibus atque coruscantibus gemmis. Posuit fig-
 num in facie mea, vt nullū præter ipsum ama-
 torem admittam. Induit me cyclade auro te-
 xta, & immensis monilibus ornauit me. Osten-
 dit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi
 se daturum, si ei perseverauero, repromisit.
 Non ergo potero ad cōtumeliam prioris ama-
 toris, vel aspicere alium, & illū derelinquere,

cum

*Virginita-
tis Deo di-
cata epistola
laminata.*

cum quo sum charitate deuincta. Cuius generositas celsior, potentia fortior, aspectus pulchrior, amor suauior, & omni gratia elegantior. A quo mihi iam thalamus collocatus est, cuius mihi organa modulatis vocibus cātant. Iam mel & lac ex ore eius suscepi; iā amplexibus eius castis astricta sum: iā corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas. Cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit. Cui angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, cuius odore reuiuiscūt mortui, cuius tactu fouentur infirmi, cuius opes nunquam deficiunt, cuiusq; diuitiæ non decrescunt. Ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo, quem cum amauero casta sum: cum tetigero munda sum: cum accepero virgo sum. Nec deerunt post nuptias filij, vbi partus sine dolore succedit, & fecunditas quotidiana cumulatur. Audiens hæc insanus iuuenis, amore carpitur cæco, lectoq; prosternitur. Angitur tanto mœrore filij sui pater Symphronius, atq; ad cōciliandas filio desideratas nuptias toto conatu ne quicquam incūbit. Deniq; eam velut Christianam suis tribunalibus sisti iubet, vbi primum blanditijs prouocatam, tum pulsatam terroribus, sic tandem affatur: Vnum tibi è duobus elige: Cum virginibus Dæ Vestæ sacrificas, aut cum meretricibus scortaberis in lupanari. Cui B. Agnes admirabili constantia respondit. Ego frera virtute Domini mei Iesu Christi, secura

tuas

Fortitudo
animi.

tuas minas contemno, credens quod neque sacrificem idolis tuis neq; polluar sordibus alienis. Mecum enim habeo custodem corporis mei angelum Domini, Nam vnigenitus Dei filius quem ignoras, murus mihi est impenetrabilis, & custos nunquam dormiens, & defensor nunquam deficiens. Ad hæc insanus iussit eam exspoliari & nudã ad lupanar duci sub voce præconis dicentis: Agnetem sacrilegam virginem, dijs blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datã. Statim autem vt exspoliata est, crine resoluta, tantam densitatem capillis eius diuina gratia concessit, vt melius videretur eorum fimbrijs, quam vestibis obtecta. Ingressa autem turpitudinis locum, Angelum Domini præparatum inuenit, vt circumdaret eam immenso lumine, ita vt nullus eam posset præsplendore respicere. Cumq; se in oratione Domino prostrauisset, stolam multo candidissimam qua indueretur, niuei pudoris & immaculatæ castitatis argumentum, cælesti dono accepit. Interea lupanar efficitur orationis locus, in quo omnis, qui fuisset ingressus, adoraret, & mundior egrederetur foras quam fuerat ingressus. Solus præfecti filius cæteris procacior audacter ingressus est, videntq; circumfusam virgini lucem, non dedit honorem Deo, sed irruens in ipsum lumen, priusquam vel manu eam cõtingeret, cecidit in faciem suam, & præfocatus à Diabolo expirauit. Restabat vltimum fortissimi agonis trophæum

*Diuinitus
à corruptione
virginitatis
seruatur.*

*Fortitudo
animi.*

phæum & noua æternæ laudis seges. Cum enim à furore totius populi ceu saga ad pœnas deposceretur, Aspasio iudice in pyram ingentem coniecta, interrita inter medios flammæ globos constitit: quæ hinc atq; illinc diuisæ atq; in seditiosam multitudinem irruentes, virginem tamē intactam reliquerunt. Interea victrices in cælum palmas B. Agnes extulit, gratias Deo magnificas agens, quod se ex impiorum manibus ereptam spurcitiis diaboli impolluto calle transire fecisset, & nunc inter medios ignes illæsam cōseruasset. Cumque compleisset orationem ita omnis ignis extinctus est, vt nec tepor quidem remaneret. Aspasius tandem vrbs Romæ vicarius populi seditionem non ferens, guttur virginis gladio transadigi mandauit. Atque hoc exitu, roseo sui sanguinis rubore perfusam, Christus sibi sponsam & martyrem consecrauit. Dum vero parentes B. Agnetis assiduis pernoctationibus ad tumulum eius vigilarent, vident in medio noctis silentio exercitum Virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas vident B. Agnetem simili veste fulgentem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaque dum viderent, parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Tum B. Agnes rogat Sanctas virgines parumper gradum figere, & stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam

tuam

tuam lugeatis, sed congaudente mihi & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi, & illi sum iuncta in cælis, quem in terris posita, tota animi intentione dilexi.

DE S. HILDEPHONSO TOLETANÆ

urbis Episcopo. 23. Ianuarij

apud Sur. Tom. I.

B Hildephonsus præclara quadam indole *Castitas.* quasi ad virtutem natus, ab infantia castitatis privilegio, ac deinceps optimarum artium laude, atque eloquentia claruit. Hic ab Eugenio Toletano Antistite, ad Isidorum Hispalensem Archiepiscopum fuit destinatus, quo doctore affatim imbutus scientia, ab Eugenio ad Diaconi officium in Ecclesia assumptus est. Amore ad hæc maioris perfectionis ac sanctitatis succensus in cœnobio Agaliensi vitam religiosam (exstructo cœnobio virginum & copiosè ditato) professus est. Vbi cum annis pluribus strenuum se Christo militem probasset, propter pietatem ac morum suavitatem omnibus charus ad Agaliensis Monasterij præfecturam euectus fuit. Quam cum pari sanctimonia ac prudentia gessisset, ad gubernacula Ecclesiæ Toletanæ inuitus, regis violentia, omniumque votis admotus, Episcopalem dignitatem vitæ integritate illustravit. Eluxit vero in hoc sanctissimo vi- *Singularis* *B. Virginis* *cultor.* ro insignis quidam amor beatæ Mariæ Virginis, cum acri studio eius saluberrimi cultus

cultus propagandi. Quæ Diua mater multis sibi deuinctū pietatis officijs, iucundissima apparitione & inusitato vestis sacerdotalis munere honestauit, prout in historia ipsius memorat Iulianus Pomerius eiusdem vrbs Toletanæ Episcopus. Instante enim virginis gloriosæ Assumptione S. Hildephonsus eidem Virgini incredibiliter deuotus, singulare Missæ officium in eius laudem artificiosè composuerat, multaq; ad eius festi solennitatem omnī sanctimonia & celebritate peragendam, haud exiguo labore molitus fuerat; quin & regem populūq; vniuersum iam ante ad festi dignitatem, benignis admodum monitis inuitauerat. Cumq; iam matutinas horas sacra vigilia præuenire vellet; clero accensis ante eum facibus ad templum præcedente, ecce tibi reſerato Ecclesiæ ostio cælestem conspiciunt in templo splendorem, tanta radiorum virtute, vt omnes metu penè exanimati, relictis facibus in effusam fugam conuersi sint. Solus Antistes pedetentim ad Virginis altare procedens, ipsam Virginem in cathedra residentem inuenit: sacris Virginibus in circuitu incredibili suauitate Dauidica cantica modulantibus. Interim sacer antistes plenus stupore & gaudio, huiusmodi à D. Virgine vocem accepit: Propera in occursum serue Dei, & accipe quod è thesauro filij mei tibi trado munusculum. Sic enim decet, vt hoc benedictionis tegmine, nostra tantum in festiuitate vtaris. Et quia

B. Virgo erga cultorē suū munifica.

quiastrarum laudum studiosus es, in hac
vita sacris Ecclesiæ decoratus vestimentis, in
futura immortalitatis indumento cum alijs
Dei seruis lætaberis. His dictis B. Virgo cum
cælesti virginum agmine repente ab eius con-
spectu disparuit. Fidem huic miraculo cū alia
multa, tum vestis illa facit, miræ subtilitatis,
miriq; candoris in Ecclesia Toletana seruata.
Præterea cathedra Episcopalis, sessione ipsius
Deiparæ sanctificata, quæ ab omnibus deinde
Episcopis intacta permansit. Cæterum S. Hil-
dephōsus expletis in ea functione, cum egre-
gia sanctitate annis nouem & mensibus fere
duobus, plenus gratiæ ac bonorum operum
ad cēlos emigrans, promissa sibi stola immor-
talitatis meruit decorari.

*EXEMPLVM S. CLEMENTIS ANCT-
rani Episcopi, & quorundam puerorum 23. Ian.
ex Simeone Metaph. Sur. Tom. 1.*

Clemens profapia nobilis, virtute vero
ingenita, & stupendis martyrij certami-
nibus multo nobilissimus Christi agnotheta,
summa pijsimæ parentis diligētia ad omnem
honestatem formatus, ad incredibilem animi
fortitudinem virtutemque tandem adoleuit.
Huic enim quoad per ætatem capere poterat,
rectam pietatis rationem mater ceu pædago-
gus instillabat, atq; ita vsq; ad duodecimum
ætatis annum mira sollicitudine educatū, iam
sui discessus & futuræ filij sui sanctitatis præ-
D lcia,

scia his eum vocibus inter amantissimos amplexus hortabatur. Fili mi, fili charissime, fili, qui prius quam tuum videres patrem vidisti orbitatem, Dei autem Patris opibus es locupletatus, & orbitate vsus es ad felicitatem, ego quidem te produxi corpore, Christus autem regenerauit per spiritum. Cognosce tuum patrem, vide ne eius filij denominatio sit tibi falso imposita. Serui soli Christo, in Christum tuam colloca fiduciam. Is verè est immortalitas, is salus, is qui de cælo descendit propter nos, & nos quoque vnà secum in altum extulit, & filios suos effecit & Deos. Qui ergo huic paret Domino, superabit quæcunq; sunt difficilia, nullius Tyranni aut Regis succumbet crudelitati, quin potius vniuersam improborum colluiem, eorumq; præsidem diabolum pudore afficiet. Deinde inter loquendum oculos suffusa lacrymis: rogo te, inquit, fili charissime, vt mihi des vnā gratiam pro omnibus, & cum ad Reges & præfides propter Christum ducêris, hunc mihi honorem concedas, vt pro ipso stes fortis & strenuus: & confido in Christo meo, o membrum meum, confido, quod citò in tuo quoq; capite florebit corona martyrij. Para ergo te ipsum, & ad magni animi virtutem te excita, ne te imparatum offendant certamina. Hæc quotidie mater ei suggerebat. Nec fefellit matris expectatione eximia indole puer, primū enim inter cæteros virtutum labores sola sibi legu-

Abstinens rigor.

legumina ad victum relinquebat. Carnium enim esu sibi interdixerat illorum trium memor puerorum: quorum corpora cum acuisset ieiuniū, effecit vt ab igne vitiorum nō possent, nedum fornacis Babylonicæ incendijs expugnari. Dein hostium, quibus humana salus dubio euētu quassatur, tela prudenter declinans, vitam monasticam suscepit, vt à mundo propter Christum discederet, qui postea propter illum à vita quoque erat discessurus. Sed enim oportebat lucernam imponi candelabro, & Clementem qui resplendebat tanta luce virtutis, nancisci Sacerdotiū, vt sic quoque pluribus fieret causa salutis. Quare diuino suffragio cōmuniq; omnium sententia, defuncto Galatiæ Episcopo, veluti nouus inter sacerdotes Daniel, vicesimo ætatis anno, sufficitur, et si enim erat iuuenis corpore, sapientia tamen atq; senili morum maturitate omnes egregij præsulis numeros implebat. Prima illi de orphanis cura erat, quos Christianis initiatos mysterijs, ac sacras literas edocens, ad eos, quos par erat gradus, pro dignitate referebat. Nihilo secius adductos sibi aliunde liberos, velut germanos suscipiens filios similiter educabat atque instituebat. Atque hæc prima sui sacerdotij germina: deinceps autem incepere parentis prædictiones, & contexta maternis votis præcellī corona martyrij. Cuius quidem gloriosissimum decursum inaudita tormentorum varietate

consertū nemo quisquam sine stupore legerit. Quot enim ille annis, quasi theatro diuersis in terris distinebatur martyrio? Quot carnifices fatigauit? quot laminas cādentes lapidesq; derisit & sanguine restinxit? Quot uncōs ferreos ac corporis diuulsiones infracta virtute superauit? Quot horrenda auditu supplicia ferendo edomuit? Quot præsidiū prætorumq; conatus victor confudit? Quot ille hostium heroica fortitudine in stuporem dedit? donec in laudem martyris toties hebetata ingemuit ingeniosa crudelitas. Sed nō capiunt angustia nostri voluminis diuersissimarum theatra victoriarum. Itaq; ad Suriij Tomum I. remitto lectorem. Illud vero quod de martyrio puerorum adiungitur nostro instituto geminum est: in quibus ad immortalem gloriam puerile pectus martyrij amore exarsit. Ferebatur in eos à Maximino sentētia, vt si vellent à Clemente discedere domum redire permitterentur, sin vero ab eo non facilē discederent, trucidarentur. Tum milites iussa facessere, puerosq; per vim à martyre auellere nitebantur. Cum vero ab eo disiungi nō sustinerent, ipsos se humi deiicientes, & ambabus manibus pedes illius amplectentes, nō prius dimiserunt quam vnusquisq; eorum gladio vitę finem accepit, cum constantiam atq; prudentiam se prætatem ostendissent, & apertē monstrassent, perfectum hoc donum descendisse desuper à patre luminum, boni animi & instituti munificētissimam remunerationem. ADO

*Duo pueri
affecti
martyrio.*

ADOLESCENTIA S. IOANNIS CHRYS.

sofomi Archiepiscopi Constantinopolitani ex

Simeone Metaph. 27. Ianuarij.

S Ioannes propter aureum eloquentię flu-
men cognominatus Chrysostomus, pa-
tria Antiochenus, Patre Secundo, Duce exer-
citus nobilissimo, matre Anthusa editus, cum
adhuc esset ęrate puer, nequaquam puerili fu-
it ingenio. Neq; enim faciebat aliquid indeco-
rum, neq; occupationibus ludicris & lusibus
distinebatur: sed morum maturitate futurę
dabat de se sanctitatis pręsagium. Grammati-
co dein traditus, vt primas disceret discipli-
nas, erat quasi fax coniecta in ignem: neq; vlllo
omnino opus habebat stimulo; nec aliquo
qui eum esset incitaturus. Quamquam disci-
plina & vno in loco mora, ac continua occu-
patio, sunt omnino iuuenibus ingrata: con-
traq; saltationes & cursus ac motiones gratif-
fime. Ille autem totum se studijs immergebat.
Cum bono itaq; ingenio simul cōcurrens stu-
dium effecit, vt breui plurima disceret. Cum
autem ab ineunte ętate, altiore quodam in-
stinctu, humilioris vitę tenuitate delectare-
tur, omni fastu rebusq; superfluis longę su-
perior factus, neque comitum multitudinem
secum ducebat ad ludum literarium, neque e-
quo vectus, iter ingredi sustinebat: Nihilq;ue
delicatum aut splendidum, vt qui esset ex tan-
ta domo, ostentare contendebat. Itaque cum
Parentes quidem valdę instarent, & eam rem

*Maturitas
morum.**Alacritas
studiorum.**Humilitas.*

D 3 esse

esse sibi probro ducerent, idemq; pædagogus ac discipuli hortarentur, quasi nimis vilis & abiectus appareret, multum aberat ut ille persuaderetur, libique congenitam & gratam repelleret moderationem. Quamobrem cum eum aliquando conuenirent parentes & causam sciscitarentur, cur eis dedecori esse veller, tam tenuiter instar plebei cuiuspiam viuendo, ipse sapientissimè respondit: Eccur mihi frustrane negotium facessitis egrè ferentes, perinde ac si ego primus vitæ humilitatem colere statuissem? Considerate Daniele & tres pueros quorum ille, ob victus morumque modestiam à Leonibus rabidis contingi non potuit, alteri in medio flammarum securi ac victores, vltices de lictoribus pœnas igni grassante sumebant. Enimuero in sacris etiam literis non vulgari laude honestari, vestro iudicio spretam humilitatem nouimus, factum vero atque honoris studium minaci reprehensione coargui. Quocirca non ego ignoranter pluris facio hanc mediocritatem, Deum enim didici his delectari, & gratiam quidem præbere humilibus: ijs autem, qui contra se habent, aduersari. His dictis parentes obstupescabant. Qui vix tandem ei persuaserunt, ut vel vno ex famulis eum comitante ad ludum literarium commearet. Hisce primordijs succreuit Beatissimi viri sanctitas, qui non solum orientali plagæ illustri pietatis iubare affulsit, sed etiam vniuersa terrarum spacia

aureo

aureo eloquentiæ fructu, virtutumque fama compleuit.

EXEMPLVM CVIVSDAM ADOLESCEN-
tis à carnis illecebris liberati habetur apud Su-
rium in vita S. S. Cyri & Ioannis Mar-
tyrum 31. Ianuarij.

S Apollinaris Episcopus Alexandrinus quendam sororis suæ filium honestissimè educauerat, optans eundem non solum genere, sed multo magis vita ac virtute habere coniunctum. Qui cum ad virilem ætatem peruenisset, nò vt alij iuuenes laxatis habenis naturæ appetitionibus sese permisit: neq; clam noctuq; egrediendo voluit inhonestas suffurari voluptates, sed potius omne periculum prudenter reformidans, ad patrum suum & pontificem liberè & ingenuè accedens, petijt legitimæ vxoris coniugium. Vir autem ille sanctus, cum ne auditione quidem, quod dicebat accipere sustinuisset, turbas matrimonij multis edisserens, eum à sententia sua abducere moliebatur. Posteaquam vero vidit eum valde instare, & de proposito ne tantillum quidem remittere, valdè pulchre hoc excogitat, dicens se cupere excitare templum tribus sanctis pueris; cuius quidem ædificationis oportet te, inquit, primum curam gerere & quod tibi in optatis est, id demum tibi succedet ex sententia. Audiit ille lubèter admodum. Quia iussus fuerat suscipiens calorem cupiditatis

D 4 bona

bona spe temperabat. Interea adolescens toto studio ad ædificationem incumbens, vtilissima occupatione distinebatur. Atq; hoc tandem opere probè perfunctum in Babylonem ad tres Sanctos pueros cum literis ab Episcopo destinatur, quorum ille tandem reliquias iterata profectioe consecutus, Antiochiam deportauit. Cumq; Episcopus conuocato clero in prædicto templo sacra illa pignora sanctè & honorificè deposuisset, adducto sororis filio, & sacerdote ordinato, loco alterius coniugis illi despondet Ecclesiam, dicens: En tibi vxor. Sed eius vt par est curam gere. Hoc dictum sic affecit adolescentem, omnemque dimouit cupiditatem, vt maiore virginitatis fuerit deinceps captus amore, quam antea matrimonij.

FEBRVARIVS.

MARTYRIVM DVORVM PVERO-

rum in vita S. Blasij Episcopi &

mart. 3. Febr.

DVo pueruli matrem suam inter alios martyres ad supplicia abreptam atque intrepidam coram Agricola præside cōspicati, sic eandem alloquebantur. Veneranda mater nostra ne sinas nos in hac terra interire: sed quomodo nos impleuisti syncero & suauissimo tuo lacte, sic etiam regno cælorum adimple. Nec potuere generosos puerorum ani-

animos à cōstantia dimouere spectata suę matris tormenta: sed cum eam pręterea vidissent iam iam ceruices enī prębituram, dixerunt. Coronę vobis ō mater apud Deum paratę sunt: nos proinde sanctissimo & forti athletę Episcopo nostro & Pastori Blasio cōmenda. Et illa quidem martyrio victrix immortalitatem promeruit: filij vero tanquam maternę virtutis hęredes suis etiam votis potiuntur, & B. Blasio ad æternos triumphos euolanti, cęli gladijs, suisq; decori laureolis sociantur.

PVERITIA S. REMBERTI, SECVNDI

Archiepiscopi Bremensis apud Sur. Tom. I.

4. Februarij.

BAnscharius primus Bremensium pręsul aliquando in Galliam profectus, vidit pueros quosdā iocantes, inanibus ad ædem sacram cursis festinare: at inter eos omnium fere minimum, grauiter incedere, pueriles leuitates sollicitē deuitare, orationem cum timore & reuerentia peragere, signo crucis frōtem munire, & per omnia tanquam maturę ætatis hominem, egregiam prę se ferre continentiam Animaduertens ergo vir Dei sacram religiosi pueri infantiam diuini iam cultus & seruitij amore flagrare, accitis ad se parentibus eius didicit Rembertum eum vocari, ijsq; consentientibus, tō suram ei & Ecclesiasticum habitum contulit. Paternaq; eum solitudine profectus studiosē cępit erudire. Quo pau-

*Morum
maturitas.*

D 5 cos

*Mortis me-
ditatio.*

cos dies discedente, dilectus Deo Rembertus puer magis magisque in grauitate profecit, perdiscendisque liberalibus disciplinis ardentem incubuit: adhuc orationibus, ceterisque bonarum rerum studijs intentus, intra paucos annos, omni scientia, & virtutum maturitate emicuit. Cumque impensius indagaret, quid sibi in decursu vitæ factu foret perutile, scitum illud cuiusdam sapientis occurrit: Primam philosophiæ definitionem mortis esse meditationem; quare id toto pectore amplectens, reliquo vitæ suæ spatio eò connitebatur, ut hanc sapientiæ summam apprehenderet, ne aduentante morte mœrore posset affici, si eam non esset antè præmeditatus: sed potius iuxta sapientis oraculum, ex nouissimorum recordatione quantum humana fert cōditio, de peccatorum vel euitatione, vel remissione securus, gaudio perfundi mereretur. Eundem à Ludimagistris dimissum ac rude donatum, S. Ansharius suæ statim legationis indiuiduum comitem elegit, & velut expressam in eo sanctitatis & cōtinentiæ imaginem cōsiderans, magno illum amore, complectebatur. Vnde cum die quadam iuxta morem simul orationi incubuissent, eaque finita pariter è tēplo essent egressuri, quasi secretioris gratiæ munus in discipulo Pontifex agnoscens, sic eum affatur: Oportet te, fili Remberte, semper illi gratias agere, qui de turbulentis sæculi fluctibus ad portum quietis te vocauit, cui cum te citra dubium

bium

bium videam animum applicare, amore tui teneri me fateor, nec dubites quin hic amor, quod ad me attinet, ad finem usque vitæ erga te sit perseveraturus. Quam vero ipsimet Deo carus fuerit idem B. Rembertus, tum virtus viri in illustri specula Archiepiscopatus exaltata, tum miracula cælitus ei concessa nunquam inter moritura laude loquuntur.

EXEMPLVM S. PAVLII EPISCOPI *Martyrium*
Virdunensis apud Sur. 3. Febr. Tom. 1. *S. Ludouici*

B Paulus Virdunensis Ecclesiæ præsul dignissimus, & beatissimi Pauli Apostoli imitator egregius, quem non minus vita & moribus, quam nomine referre conatus est, in Gallia Belgica parentibus ortus est non infima dignitate. Qui cum à teneris animum liberalibus studiis imbuendum applicuisset, haud multo tempore felici indole Rhetoricam, Dialecticam ceterasque humaniores euoluit disciplinas. Deinde vero ab ipso mundani fastus aditu (qui ut curis & angoribus discrutiat sui studiosos, ita nihilominus aureos illis montes pollicetur) pedem suum maturè retulit, & ne nimio mundi amore irretitus, immani se precipitio daret, totum se ad res diuinas, & officia charitatis ac misericordiæ transtulit. In templis itaque ac monasterijs, diuino cultui ac pietati sedulo intendebat: magnam pecuniæ vim profusa in pauperes liberalitate erogabat, ut sibi nil nisi victum amictumque refer-

pueri crucifixi in lapidaria.

Pietatis & diuini cultus studiū.

Amor pauperum.

reſeruās, reliquas facultates omnes in egenos, nudos, ægros, famelicos, incarceratos alijsve calamitatibus obnoxios larga manu cōferret. Vnde maioribus ad perfectionem paſſibus cōtendens, & iam ſuperuacua cura de craſtino angī neſcius, totū ſe ieiunijs ac precibus dabat, atque illam multo ſuauiſſimam pacati animi tranquillitatem & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum vnice cuſtodiebat. Eſi vero actuoſæ vitæ cum Martha non ſegniter nauaret operam, cōtemplationis tamen diuinæ perauidus, eam ceu partem meliorem, cum Maria cupidius ſectabatur. Cumq; hac in cogitatione diu noctuq; verſaretur, modumq; inquireret, quānam ad ſummū perfectionis apicē pertingeret, diuinitus ſaluberrimū mētem ipſius ſubiit conſilium; vt cum magno illo Patriarcha Abrahamo, indubitata in Dei benignitatem fide ſubnixus, exiret de terra & cognitione ſua, & ad exterarum regiones ignotaque loca ſe reciperet, & beatæ paupertatis amplifſimis ditatus promiſſis, cum Chriſto Domino ſuo vulpibus foueas, & volucribus nidos ſuos habentibus, pauperior factus, non haberet vbi ſuum caput reclinaret. Accedebāt huc Dauidis Regis & dicta & facta, quæ magno illi ad virtutem erant incitamento, cōtemplanti, quemadmodum ille tantus Rex interdiu purpura opertus regni negotia curabat, noctibus vero in cilicio & cinere cubans, laborabat ingemitu, & lachrymis ſtratum ſuum rigabat,

*Contem-
plationi ſe
dat.*

*Deliberat
de ſtatu per-
fectionis
eligendo.*

bat, egenum, mendicum & pauperem se dicti-
tans, hisq; vtens vocibus: Pater meus & mater
mea dereliquerunt me, Dominus autem as-
sumsit me. itemq; illis: Extraneus factus sum
fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.
& rursus: Ecce elongaui fugiens & mansi in
solitudine. His alijsque inflammatus, mundi
gloriam, vt rem inanissimam, putauit pror-
sus pro nihilo, vt quæ instar flosculi subito
appareret, & paulo post marcesceret: cogita-
tionibusq; diuersum persuadere volentibus,
eiusq; saluari proposito aduersis & contrarijs
opponere illud Apostolicum: Nihil intuli-
mus in hunc mūdum, laud dubium, quod nec
auferre quicquam possumus. Huic iungebat
illud ex Euangelio, quo perfectionem attingere
cupienti, mandatur vt vendat omnia quæ
possidet, & det pauperibus: itemq; illud quo
Christus Dominus propter nomen ipsius re-
linquenti domum, parentes, fratres, sorores,
filios, agros centuplum pollicetur, & præterea
vitam sempiternam. Addebat etiam illud: Ni-
si quis tollat crucem suam quotidie, & sequa-
tur Saluatorem, oderitq; patrē & matrem, &c.
imo vero etiam animam suam, nō posse Chri-
sti, esse discipulū. His ergo omnibus feruenti
eius voluntati calcaria adhibentibus, inusitatæ
peregrinationis, & ignoti itineris sibi ipsi la-
borem indixit, oblitusq; generis antiqua stem-
mata & superbam nobilitatem, relictisq; cha-
rissimis parentibus, Christo duce proficisci-
tur

*Orditur
peregrina-
tionem.*

tur è patria, & nesciens quo pergeret, quippè viarum ignarus. tandem ad eremum Vosagi peruenit, eamq; post habitis mudi delicijs lætus Christo ibidem militaturus ingreditur. A iunt autem in ea solitudine multos habitasse anachoretas, distinctis cellulis, quiq; demptis Sabbatho & Dominico die, perpetuo soli degerent in arctissimo silentio, nisi vel morbus corporis, vel animę salus secus postulasset. Horum optatissimam viuendi consuetudinem Paulus, vt animo iam pridem destinarat, modis omnibus amplecti voluit: sed quoniã non est in hominis potestate vita eius, longè aliter euenit atq; ille putarat. Futurus enim quandoque Pontifex, diuina id agente prouidentia ad cænobium quod Theolegium vocitant, peruenit vt illic in schola virtutum probè exercitatus disceret, quod postea alios ex officio doceret. Eodem igitur hospitij causa ex itinere diuertens, tam eximia beneuolentię & humanitatis significatione ab Abbate & fratribus acceptus fuit, vt eorum cõuersatione & colloquijs plurimum delectaretur. Interea Abbas cum rem diuinitus geri cognosceret, cogitationem suscepit de inuitando illo ad monasticę vitę cõplexum. Quadam itaq; die cū de humanarum rerum cõtemptu, vt sæpè aliàs, colloquia miscerent, Paulus animi sui cõsiliũ & intentionem aperuit, quod nimirũ eremum incolendi incredibili desiderio flagraret. Abbas his auditis nullũ nõ mouere lapidẽ cœpit,

vt

ut tantum virum & tā excellenti virtute præ-
ditum apud se retineret, & innumeris scriptu-
ræ locis astruere nitebatur, monasticā vitam
multis partibus anachoreticæ antecellere; eo-
que rē deduxit, ut Paulus humi stratus prom-
ptum se ad illius iussa exequenda offerret. Ita-
que votis omnium cum Abbatis benedictio-
ne monasticum induit habitum. Ab ipso vero
mutati habitus die, prope fidem excedit quam
acerba corporis castigatione & afflictione car-
nem spiritui subiugavit. Cumq; virtutibus o-
mnibus polleret, cunctis erat gratus & vene-
rabilis, & pro eximie sanctitatis reuerētia solo,
pastoris dempto nomine, instar magistri mi-
ro à fratribus affectu colebatur. Erat enim cha-
ritate præferuidus, castitate mundissimus, hu-
militate summus, prudentia solers, astutiam
serpentis cum simplicis animæ puritate con-
iungens. Hinc fama tantæ sanctitatis latius in-
crebescente, multi ad eum etiam de remotis
locis certatim confluxere, non mediocris so-
lum fortunæ, sed etiam nobilium filij, ut se in
eius disciplinam traderent. In ijs erat Grimo,
qui etiam Adalgisus dictus est, Dagoberti re-
gis nepos, qui præ amore cælestis patriæ ter-
rena pessundans, illi se instituendum tradidit,
cui tanto repente amoris vinculo coniunctus
est, ut non nisi sola morte ab illo se sineret
separari. Denique inuitus & violenter mo-
nasterio extractus Episcopus Virdunensis re-
gia potestate miroq; populi applausu creatur.

Cumq;

*Carnem a-
cerba affli-
ctione edo-
mat.*

*Omnibus
ob eximiam
sanctita-
tem gratif-
simus.*

Cumq; annis pluribus illi Ecclesiæ mira san-
ctimonia præluxisset, virtute & miraculis cla-
rus, cælum diues ingreditur.

AGON S. HILARINI PVERI MARTY-
ris, habetur in vita S. Saturnini 11. Fe-
bruarij. Sur. Tom. 1.

*Miraculi
mi fortitu-
do.*

B Hilarinus S. Saturnini martyr filius, pa-
tre ac fratribus suis præclaro martyrio
perfunctis solus supererat; qui cum etatem su-
am ingenti deuotione vinceret, parentis fra-
trumque triumphis iungi appropereans, diras
tyranni minas fortissimè contempsit. Huic
cum diceretur, Patrem tuum aut fratres tuos
seculus es? subito breui de corpore vox iue-
nilis auditur, & angustum pueri pectus ad cō-
fessionem Domini totum aperitur in voce re-
spondentis: Christianus sum, & mea sponte
atque voluntate cum patre ac fratribus meis
collectam feci. Sed Proconsul stultus non in-
telligens contra se non homines sed Deum in
martyribus dimicare, nec quia in puerilibus
annis ingentes animos sentiebat, putabat pue-
rum tormentis infantiaē posse terreri: deniq;
amputabo, inquit, & collum tibi & nasum &
aurículas & sic te dimitto. Ad hæc Hilarinus
puer, patris fratrumque virtutibus gloriosus,
qui iam didicerat à maioribus suis tormenta
contemnere, clara voce respondit: Quicquid
facere volueris fac, quia Christianus sum.
Mox in carcerem abduci iussus, ingenti cum
gau-

gaudio aiebat: Deo gratias: Vbi cum cæteris
martyribus fame consumptus, ad palmam
martyrij euolauit.

DE S. ANTONII PATRIARCHÆ

pueritia, ex Tom. 1. Surij. 12. Febr.

ANtonius præclaris & multo pijsſimis pa-
rentibus in lucem editus, inter vite pri-
mordia magis pietate alebatur quam lacte,
cœpitq; balbutiens iucundam parentibus ex-
hibere admirationem. Balbutienti enim lingue
nihil fere aliud præbebat loquendū, nisi quæ-
cunque erant mystici nostri cultus, quantum
teneræ ætatulæ loqui fas erat. & hoc paulatim
crescens cum augmento corporis, simul etiam
crescentem habebat admirationem: & quicun-
que id videbat erat propheta futuri. Cum ve-
ro quintum ætatis annum attigisset, literarum
figuras doctus à Sancto spiritu (neque enim
scholas obire, puerorum irrisiones, & alias
pueriles ineptias declinans, in animum indu-
xit) sacras orationes, quas in templis palam
inter mysteria dici mos erat, ingeniosè me-
moriter pronuntiabat, de cætero etiam res
ipsas instar Sacerdotum imitabatur ac repræ-
sentabat. Dehinc ætatem præcoci ingenio an-
teuertens ac duodecimo statim anno, rebus
considerandis animum prudenter applicans,
cœpit de eligendo vitæ genere matura secum
deliberatione disquirere, atq; ad monasticen
mirificè propendere. Amore itaq; virtutis
E inci-

Pietas.

*Duodennis
de vitæ sē-
tu delibe-
rat.*

incitatus ad id quod honestum est, tanquam ab aliquo carcere perpetuo ferebatur impetu, Deum quærens & ad ipsum contendens. Nec mora ad virum quendam, virtute & prudentia insignem, qui sacro præerat monasterio contendit. Qui cum in eo egregiam indolem, cum honesta morum compositione obseruasset, lubens eum monasticæ Societati aggregavit. Ibi tum iuuenis ille admirabilis tam ardentem studio pietatis incubuit, ut parum esse putaret, si noctes in hymnis & rerum diuinarum meditatione traduceret, nisi talentum à Deo sibi concessum in proximi etiam salute procuranda quàm diligentissimè expenderet. Præclare enim statuebat, charitatem fontem omnium bonorum esse; hanc omnium suarum actionum & laborum principium & finem ponebat; hac vnà egregiè excultus, & inanis gloriæ vitium à se repellebat, & furiosos perturbationum impetus sedabat, & benignè faciendi disciplinam perfectè colebat: Hac euandidos mundi honores & fallaces diuitias constanter despiciebat, neq; magnum quicquam eorum rebatur, quæ ad immortalitatis gloriam sine errore eum deducere non possent. Et hanc quidem virtutem consequens virilis ætas maioribus cumulauit augmentis, quando nō solum præbyterio, sed etiam monasterij præfectura insignitus, tanquam strenuus bellidux, heroicis virtutum exemplis prælucebat, & inedia vigilijs ac cælesti cōuersatione, cate-

ros

Zelus animarum.

Charitas.

ros ad imitationem accendebat. Corporis ei
vix vlla cura erat; hyeme pariter ac æstate, v- *Mirum ada-*
na eademque veste utebatur; pane & oleribus *stinentia*
pueritiam ad vltimam & senilem ætatem *rigor.*
perduxit. Erat in eo bonorum omnium mira-
bilis quidam concentus. Austeritas, incredibi-
li quadam suauitate temperata, & lenitate cõ-
dita seueritas, ita vt neq; inutilis vnquam esset
reprehensio propter austeritatem, neq; leni-
tas suauitasq; propter admixtam austeritatem
cõtemptui. Atq; cum his encomijs celebrem,
diuina bonitas etiã Patriarchali dignitate, ac
miraculorum splẽdore in terris, ac deniq; vi-
ta functũ æternis in cælo præmijs dignata est.

EXEMPLVM S. MARTINIANI ERE-
mitæ apud Surium ex Simeone Metaph.

12. Febr. Tom. 1.

B Martinianus ab anno ætatis decimo o-
ctauo celebris eremi apud Cæsaream in-
cola, ac miraculorum gratia clarus, post diuer-
sas demonũ insidias & impetus superatos, con-
tra tentationem carnis qua penè circumuẽtus
fuerat animosè & fortiter hac ratione decerta-
uit. Venerat ad Mandram S. Martiniani
scortum detestabile, quod squalenti habitu
sub vesperam præstolans pro foribus flebi-
li voce tanquam à via aberrans ferisq; ac
tempestati expositum, vt in cellam recipe-
retur dolosè eum exorauit. Intromisit tan-
dem miserans aduersum mulieris casum,
E z & dacty-

& dactylos quibus ipse reficiebatur ei vefcendos apposuit: dein vero in interiorem cellam ingressus, clauso post se ostio, cum Psalmos de more cecinisset tertia hora noctis, & orasset, humi dormiit vt consueuerat. Eadem porro nocte eum Satanas in carnis inflammatione valdè conturbauit; & cum mane sur exisset egressus est è sua cella vt mulierem emitteret. Illa vero cum circa mediam noctem surrexisset, & omnia sua ornamenta è pera eduxisset ad decipiendum S. Martinianum sese ornaauerat. Cumq; illam non agnoscens & obstupescens diu obmutuisset, dicit ei: Quænam tu es, & vnde nã huc es ingressa, & quis hic est diabolicus habitus? Moxq; illa collaudans eius pulchritudinem aduentus sui causam amorem turpem subtexuit: dein intempestiua culpam ieiunia, quibus adolescentiæ nitorem inconsulto prodigeret: Enimvero inquit cum scriptura nusquam asserat non esse comedendum aut bibendum aut legitimo vtendum coniugio: sed potius Apostolico oraculo laudentur honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatũ, omnesq; adeo Prophetæ ac Patriarchæ iuncti matrimonio hæredes facti sint regni cælorum, quid prohibet honestis nos thalamis sociari? Hæc dicens mulier & virum tentans eiusq; manus contrectans, emolliit & eneruauit eius propositi rigorem & castimoniam institutũ, cœpitq; eum deturbare in barathrum peccati & interitus: Cumq; de peccato committendo mutuis cœpif-

cœpisset sermo, Martinianus paulisper it foras, & ne à quoquā improuiso deprehēdatur, ex edita rupe circumspicit. Interea diuino nutu, & gratia à peruersa cœpit cogitatione dimoueri, & sibi redditus de superanda tentatione sedulo dispicere. Inuenta itaq; in descensu montis sarmenta igni admoto in cella succendit, & solutis calceis in ignem infiliens, cœpit comburi toto corpore; Illoq; iam benè ambustus ac dolore perculsus egrediebatur, & veluti secum depugnans dicebat. Quid est Martiniane? Rectè te accepit hic ignis, qui est ad tempus, & hæc acerba pœna. Si autem potes hæc pati, accede ad hanc mulierem. Ipsa enim, vel per eam potius diabolus ignem æternum conciliat. Cogita ergo æternum illud supplicium Martiniane, vermem qui nō potest sopiri, stridorem dētium. Hic enim ignis qui est ad tempus, & cadit sub aspectum ab aqua extinguitur, & dum ardet habet lucem; æternus autem ignis, neq; vnquam ab aqua extinguitur, neq; vllam habet lucem. Illi vermes nunquam cessant. Tortores in puniendo nunquam fatigantur suntque planè immisericordes. Cogita hæc omnia ô Martiniane, & si ea potes sustinere accede ad mulierem. An non intelligis Diaboli fraudes? Matrimonium tibi persuadet mulier sanctū & immaculatū, quid igitur? Annis viginti quinq; Christo seruiisti, & nunquid te aliquo incommodo aut molestia affecit? Quid? omnes tuos præteritos labo-

E 3 res,

res, vna voluptate eaque tam fœda tam bruta perdere decreuisti? Hæc dicens & eadem sibi admiratione quadam inculcans, vim lacrymarum profudit, exclamauitq; ; Heu me miserum, quo ruo? quo pergo? Deinde cum paulum in terram prostratus quieuisset, rursus se voracibus flammis exurendum tradidit, donec adustus humi caderet. Tū grauissima ex imo trahens corde suspiria, inconstantiam suam acerbissimis lacrymis defleuit, & obnixè Domini misericordiam deprecatus est. His à lōgè cum horrore spectatis cōsternata mulier, & suorum scelerū pœnitentiā ducta, eorundē irritamenta vestes pretiosas iisdem flammis aboleuit, & prioribus se pannis cōtegens veniam à S. Martiniano multis cum lacrymis humi strata impetrauit. Dein ipsius suasu in Bethlehem se ad S. Paulinam conferens reliquum vitæ tempus in admirabili pœnitentia consumsit.

EXEMPLVM S. PETRI DAMIANI EPI-
scopi Ostiensis. 22. Februar. apud
Sur. Tom. 7.

Petrus Damianus Rauennæ satis obscuro loco, sed ingenuo natus, & post varias ærumnas suis alendis præfectus, à Damiano fratre, qui eius sortem miserabatur, Rauennæ studijs adhibetur, atq; illinc (perspecta ipsius optima indole) primò Fauentiam tum Parmam ad audiendos viros doctos ablegatur. Breui autem liberales artes omnes edoctus,

tantum nominis ac famæ apud omnes adeptus est, ut summa utilitate atque auditorum frequentia eas cæteris deinde explicans, facile primus omni Italia haberetur. Cumque in dies fauoribus, gratia principum, diuitijs & auctoritate cresceret, seipsum increpans: An vero, inquit, caducis atque interituris hisce rebus perpetuo inhæserim? Quin potius ijs valedicens cælestia consecrer? Quod cum sæpius mente agitar, paulatim cœpit diuinis studijs & obsequijs nauare operam, adeoque sub pretiosa veste induere cilicium, inedia, vigilijs, ac diuinis hymnis frequens studium exhibere: Cumque libidinis æstu pro ætatis *Cassitas.* natura iactaretur, medijs noctibus è cubili surgens, aquis se immergebat, dū totus frigeret: indeque egressus in lectum minimè regredi, sed psalmis atque hymnis Deum venerari consueuerat. Mira fuit in pauperes liberalitate & munificentia eosque prandio per benignè *Misericordia in pauperes.* accipiebat. Dehinc animus illi maiori perfectioris vitæ desiderio stimulabatur, & ad monasticæ vitæ institutum propendebat. Ne tamen patria atque affines suo proposito remoram obijcerent, aliorum cogitabat. Interea assiduis precibus contendente à Deo, ut sibi ad salutem sempiternam aditum pararet, à solitudine sanctæ Crucis fontis Auellanæ, quæ est in Eugubina diocesi, duo monachi diuinitus impulsī conueniunt. Quibuscum cōmunicato consilio, num ob eorum Abbate recipiendus

*Spretis ho-
noribus
Christo
militat.*

lit, rogat: ipsiſq; affirmantibus, lætus, ſe pro-
pediem ad futurum ſpondet. Itaq; vt vſu ipſo
experiendo diſceret, poſſetne eius vitæ labo-
res ſuſtinere: in arctam ſemet cellulam conie-
cit, atque ad dies quadraginta, iuxta leges ere-
mitarum S. Crucis vitam traduxit. Quo gene-
re viuendi plurimum roboratus, & nulla dif-
ficultate abſterritus, clam omnibus ad eam
montis Catriæ ſolitudinem Chriſto milita-
turus diſceſſit, & breui in ea religione maxi-
ma ſanctitatis laude præluxit.

MARTIVS.

*S. Chriſto- ADMIRABILIS PVERITIA S. VVIN-
phorus puer
crucifixus
in Hispania
vvaloci abbat. apud Sur. Tom. 2.
3. Martij.*

*A puero
pietati deu-
ditus.*

VV In vvalocus illuſtri parente Fraca-
no, Cotonij Regis Britannia con-
ſobrino natus, in ipſis primæ ætatis initijs, ecce-
pit ardere deſiderio rerum cæleſtium, mundi
reſpuere illecebras & ſoli Deo velle viuere.
Quocirca parentes ſuos importunis præcibus
ſolicitabat, vt literarum ſtudijs imbuendus cui-
dam viro Dei traderetur. Cumq; id renueret
pater, malletq; ad ſæculares eum dignitates ac
negotia promouere; pius puer dolens ſe fru-
ſtrari voto, ad diuinā opem attentiffimis præ-
cibus depoſcendam ſe cōtulit: quam proinde
vberrimam fuit conſecutus. Patri enim ruſ
profecto horrenda cæli tonitrua, ac fulgura
tantum

tantum terrorem incusserunt, ut metupene exanimatus in terram corrueret. In has igitur de inproviso redactus angustias, animaduertit diuinitus isthoc fieri, Deumque ab ipso resposcere filium, quem ille mundi nexibus vellet implicari. Itaque mox in has prorupit preces: Domine Deus, rex omnipotens, cuius sanctissimæ voluntati par est neminem oblucri: scio quod causa filij mei, quem tibi deuotum, ego mundanis rebus destinaueram, isthac patiar. Sed ecce eum tibi deuoueo, tuum ego tibi restituo: quin etiam ambos eius germanos fratres, natu maiores, tuæ militiæ libens transcribo. Eidem vero paulo post filium suum, ad quendam virum sanctum deducenti rursus oborta seua visu tempestas, quæ serenum diem, nocturnis tenebris coarctabat, metum stuporemque incussit: Cui religiosus puer VVinnalocus securo & hilari animo, noli, inquit, timere pater. Num censes difficile ei, qui ex nihilo omnia creauit, hanc aëris tempestatem in placidissimam tranquillitatem conuertere? Cum sint vero omnia possible credenti, fideles ei preces offeramus, & restituet nobis serenam lucem. Simulatque vero ab illis oratum est, tempestate dissipata affulsit gratissima serenitas: quæ res itineris comites ad agendas Deo gratias laudesque permouit. Quod cum narrante patre vir sanctus audisset, admirans puerum suo conspectui sisti iubet. Prodiens igitur VVinnalocus puer, totum

E 5 tum

tum se humi prostrernit, & Deum in sancti viri pectore habitantem adorat. At ille vir venerabilis gratiam Dei in puero tacitus contemplans, patri eius dixit: Hic filius tuus ætatem moribus transcendens, permultis erit causa salutis æternæ. Et tu quidem ætate eum puerum conspicias, ego verò animo eum iam cerno virum perfectum. His dictis exhilaratus parens, relicto ibidem filio, domum se recepit. Porro Sanctus puer VVinnalocus, pro carnali parente amplectens spiritalem, sub illo non modo literarum, sed etiam virtutum scholam ingressus est, breuique tempore pro ingenij felicitate magnos in literis progressus fecit, ita ut in ipsis adolescentiæ annis etiam in diuinarum intelligentia scripturarum non mediocriter excellere videretur. Obtinebat sancti huius pueri animum ingens erga pauperes commiseratio, & cum videret stipem publicè emendicantes, non raro ab imo pectore ductis suspirijs, lacrymas fundebat: cumque non suppeteret quo eorum inopiam leuaret, solebat eos pijs fouere consolationibus: & qui corporibus non posset saltem animis aliquod adferre leuamen. Successu vero temporis pluribus à Deo miraculis illustrabatur, ibatque quotidie de virtute in virtutem donec videret Deum deorum in Sion.

Misericordia in pauperes.

EXEM.

EXEMPLVM S. THOMÆ AQVINATIS

7. Martij apud Sur. Tom. 2.

Thomas Aquinas omnibus naturæ & gratiæ donis excultissimus, patrem habuit Landulphum nomine, ex illustri familia comitum Aquinatū, matrem vero Theodoram & generis & morū nobilitate insignem. Porro cum mater eum vtero gestaret, vir quidam sanctus in Campaniæ monte eremiticā vitam degens, ad eam in castro suo Rocha Sicca morantem accessit, eiq; Spiritu prophetico dixit: Lætare Domina Theodora, paries enim filium Thomam, qui toto orbe ob vitæ & eruditionis præstantiam celebrabitur. Natus deinde puer à primis infantiae diebus admirabile virtutis specimen dare cœpit. Cum enim quadam vice à nutrice in balneo lauaretur, chartam è terra sublatam, in qua angelica salutatio scripta visibatur, tanta pertinacia manu retinuit, vt sibi nequaquam extorqueri pateretur, quam & mox deglutiuit. Solebant postea illachrymanti libellum aliquem offerre, eoq; apprehenso lachrymas, non sine multorū admiratione sistebat. Quoties etiam librum aliquem conspexisset in tenera ætate, ad illum accurrebat, & voluendo chartas, eiusmodi se ludo instar puerorum oblectabat. Postquam vero ad quintum ætatis annum peruenit, à parentibus ad amplissimum illud Cassinense monasterium missus est & pietate & literis imbuendus.

Idem

Pietas.

*Pueros pe-
culantes
vitabat.*

Id vero magno diuinæ prouidentiaæ consilio factū liquet ne tātilla ætas, si in prauos & mundo huic deditos magistros incidisset, aliquam ab ijs labem contraheret. Egregium igitur fortitus moderatorem, ab eodem sæpè importunis precibus extorquere solebat, vt sibi diceret, quid sit Deus. Ex cuius ore audita puer alta mente reponebat. Multa in illo spectabatur morum maturitas, nulla puerilibus annis familiaris leuitas, nulla loquendi futilitas aut garrulitas. Incipiebat enim iam tum in silentio secum ipse vtilia meditari, & certè in illa tam tenera ætate duabus amplius horis in precibus & Dei laudibus versabatur: si vero quempiam è nobilium virorū pueris ibidem habitantibus, dissolutum aut incompositis moribus notasset eius consortium deuitabat. His præclaræ pietatis & doctrinaæ iactis fundamentis annos natus plus minus decem Neapolim destinatur, vbi admirabili ingenij viuacitate vberimos fructus fecit literarū. Iamq; Neapoli virtutis eius præconium celebri fama vulgabatur, cum Thomas non tam quid homines de se sentirent, quàm quomodo gratam Deo offerret seruitutem toto mentis studio agitabat. Contigit fortè eodem tempore F. Ioannem de S. Iuliano (cuius tunc eruditio singularis cum non mediocri sanctitatis laude coniuncta in admiratione erat) in Thomæ colloquium incidere, qui post breuem sermonem vltro citroq; habitum vehementer eum
ad

ad rerum terrenarum contemptum hortari
 cœpit. Ardebat iam ante incredibili rerum
 cœlestium cupiditate S. Thomas, intimoque
 mentis ardore D. Dominici institutum com-
 plectebatur. Itaque postquam sua iam sponte
 satis incitato calcar à Fr. Ioanne additum fuit,
 statim contempta illustri stemmatis dignita-
 te, posthabitis amplissimis opibus, omni que
 fastu & pompa huius mundi conculcata, S. Do-
 minici habitum annos natos tredecim induit.
 Quæ res cum animos omnium vehementer
 commouit, tum eius matrem (ut est matrona-
 rum vehemens in filios affectus) acerbè habu-
 it. Cumque eum Neapolim ac deinde Romam
 irritò euentu fuisset insecuta, ad insidias ver-
 titur. Itaque datis ad Landulphum & Arnoldum
 fratres S. Thomæ & in castris Imperatoris mi-
 litantes, literis, profecturum in Gallias fili-
 um intercipi procurat. Cuius illa conspectu
 mirificè recreata, vincente muliebri affectu,
 ut habitum religiosum deponat persuadere
 contendit. Immotam denique videns pueri cō-
 stantiam, usque ad propinquorum aduentum
 militibus eum in castro quodam custodien-
 dum tradit. Interea Landulphus & Arnoldus
 Thomæ fratres aduentant: qui cum frustra
 multis verbis insuperabilem eius cōstantiam
 tentassent, sorores suas, ut ad eum se confer-
 rent, & à sententia deducerent, hortati sunt.
 Sed illæ postquam sermonem cum eo contu-
 lissent, ita animis repente immutatæ sunt, ut
 altera

Anno 13. a-
 tati S. Do-
 minici insti-
 tutum am-
 plectitur.

Constantia

altera earum paris vitæ genus sectari decreuerit. Quamobrem fratres maiori iracundia concitat, atque ingressi carcerem iniurijs adolescentulum ac conuitijs nequicquam incesere cœperunt, eiusque habitum, vt tandem pudore victus ijs assentiret, proteruè conciperunt. Sed sanctus puer cedens furori, & fragmenta vestium colligens, ijs se vt potuit rursus induit, ex iniurijs, conuitijs & contumelijs pulchras sibi coronas contexens patientiæ. Sed ne hic quidem tempestas iracundiæ conquieuit, donec in eandem cauem decumano fluctu illisa, atque illusa deferbuit. Erat mulier venusta specie, quæ non ita pridem nupta, iam corpus suum omnibus prostituebat. Hanc (reuera inimici hominis domestici eius) inuitant, vt quibus possit blandimentis & lenocinijs pudicissimum adolescentem ad turpitudinem prouocet. Ingreditur illa cultu & animo meretricio ad S. Thomam in carcerem, verbisque lasciuis & tactibus cœpit eius animum de re nefaria sollicitare. Vt autem sensit castissimus adolescens se illius impuris illecebris & pestiferis suggestionibus nonnihil commoueri, Ne quæso sinas, inquit, Domine Iesu & tu sanctissima Christi mater & virgo Maria, vt tam immani me scelere obstringam: moxque à foco arrepto titione illam procacem & impudentem feminam procul à se abegit. Deinde clauso ostio in quodam custodiæ angulo, crucis figuram illo titione pinxit

Castitas.

pinxit in pariete, seq; prosterbens in oratione cum lachrymis Dominum rogauit, vt ipsi largiretur perpetuæ continentia & integritatis donum. Inter orandum autem cum esset somno correptus, duo ei dormienti apparuerunt angeli, qui ei dixerunt, preces ipsius à Domino exauditas, simulq; cingulo eius strinxerunt renes, ita dicentes: Nos à Domino iussi, zona castitatis te cingimus, nulla posthac ratione dissoluenda: ex qua constrictione dolorem sentiens exclamauit: Atq; ex eo tempore ita à feminarū colloquijs abhorruit, præterquam vbi utilitas & necessitas secus postulassent, perinde ac homines serpentum & scorpionum morsus solent cauere. Tandem vero mater eius Theodora, cum iam fere biennio in custodia illum detinuisset iram Dei pertimescere cœpit, ac fratribus Dominicanis copiam fecit eum ad se reuocandi. Missus itaq; Coloniā Agrippinā, vt Alberti Magni scientia & sanctitate celeberrimi doctrinis imbueretur, pythagoricū quoddā silentiū sibi indixisse videbatur, quo maiore animi intētionē preclaras eius disciplinas hauriret: cumq; eam ob rē obtuso & hebeti ingenio existimaretur, & à cōdiscipulis bos mutus cognominaretur: emicuit tandem vis præcellentis ingenij è chartula, quæ ei festinanti codice exciderat: quā cum Albertus sibi ostēsam approbasset, eidē demādauit vt proxima disputatione arduā aliquam quēstionē propugnaret. Recusauit ille quidem præ hu-

*Donatur à
Deo perpe-
tua castita-
tis priuile-
gio.*

*Taciturni-
tatis amā.*

humilitate & verecundia, sed cum instantius vrgeretur humiliter cessit. Dein vero non tam suo ingenio quam diuina gratia fretus ad obsecrandum Dominum Iesum se contulit. Disputationem itaq; exorsus, tanta in respondendo dexteritate pollebat, vt Albertus ei palam diceret: Thoma, tu mihi non tã respõdentis quam doctõris locũ tenere videris: conuersusq; ad alios, Vos, inquit, hũc bouem mutum vocatis: sed ille certẽ tales quandoq; docendo mugitus dabit, vt totus possit orbis audire. Nihil vero sancti iuuenis animum hæc efferebãt, sed in multa se animi humilitate & synceritate continens, licet alios ingenio & eruditione superaret, neminem tamen vel leuiter præ se contempsit, neq; sibi aliquid arroganter attribuit. Cæteris vero S. Thomæ gestis ac virtutibus, ne iusto sim longior, superfedeo.

Humilitas.

MARTYRIVM S. MELITONIS VNIVS
ex quadraginta martyribus 9. Martij.

Sur. Tom. 2.

IMperante Licinio crudelissima tyrannide fideles passim ad supplicia rapiebantur, inter quos quadraginta milites bellica virtute laudatissimi, sed martyrij laude multo nobiliores, pro æterna gloria fortissimè dimicauerunt. In lacum quippe glacie constrictum brumali tempore sub vesperum missi nihilq; (vno dempto) tam atroci supplicio conterriti, tota nocte immoti perstiterunt. Mane igitur cum

cum impij tyranni eos adhuc superstites inuenissent, crura eorum baculis cōfringi mandârunt. Vnius autem eorum mater sanctorum animos confirmabat. Filius enim ipsius erat omnium natu minimus. Quamobrem metuebat, ne vi tormētorum in certamine se minus fortiter gereret. Itaq; defixos in eum oculos perpetuo tenebat, manibusq; protentis dicebat: Fili dulcissime paululum adhuc perfer, vt perfectus sis. Ne timeas fili: Ecce enim Christus adest adiutor tibi. At sancti dū disrumperentur, atq; animas agerent, dicebant: Anima nostra sicut passer, erepta est de laqueo venātium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Et omnes dicentes, Amen, animas Deo reddiderunt. Sed filius ille, quem mater cohortabatur, nomine Meliton, adhuc spirabat. Iusserunt autem Tyranni, vt sanctorum corpora plaustris imposita ad pyram relicto iuvene, quem adhuc viuere putabant cremanda veherentur. Mater itaq; filium illic solum relictum videns, seposita imbecillitate muliebri, virilem animum ac robur assumens, humeris eum suis imposuit, & strenuè plaustra sequebatur: tandemq; filium in suo amplexu exstinctum, in eundem illum ceterorum martyrum rogam cōiecit: vt qui fide & virtute coniunctissimi fuerant, feneris etiam societate coniuncti, vnà in cælum peruenirent.

F D E

DE S. EUPHRASIA VIRGINE

13. Martij Sur. Tom. 2.

Rursum in hanc scenam amice Lector mihi introducenda est puellula, quæ ad spirituale bellum ipsamet doctissima, coequam sibi puerorum atq; adolescentum ætatulam, prudentiæ norma ad honestatē erudiat. Euphrasia regio sanguine, Antigono Patre, matre Euphrasia edita, vtriusq; castitatis laude clarissimis, dignaq; parētib; soboles, primam Christo sponso pueritiam dedicauit. Cum enim quadam vice matrem suam ad cœnobium committeretur, mox tanto religiosæ vitæ amore capta est vt illinc abcedere licet septennis recusârit. Itaq; sacrum habitum læta suscipiens intra illud pietatis sacrarium virtute iuxta ætate succrescebat. Moritur interea mater eius Euphrasia, omnesq; suas facultates filia pro pietate dispēsandas relinquit. Postquam vero Imperatori mors eius suboluit, accito ad se Senatore, cui ipsius despōsa erat filia, ait eam degere in Monasterio. Ille autem rogauit Imperatorem, vt missis illuc literis iuberet eam redire Constantinopolim & nuptias celebrare. Vbi vero Imperatoris literas accepit Euphrasia, legit eas ridens, moxq; sua manu hunc in modum illi rescripsit: Domine Imperator, ita ne suades ancillæ tuæ, vt repudiato Christo, homini corruptibili & quē paulo post vermes edent cōiungar? Absit hæc tanta peruersitas ab ancilla tua. Oro itaq; Domine Imperator,

ne

*Septennis
ingreditur
monasteri-
um.*

*Euphrasia
oblatus ab
Imp. recusat
nuptias.*

ne tibi deinceps vir ille hac de re molestus sit. Ego enim me Christo deuoui, & fieri non potest, vt illū abnegem. Precor autem Imperium tuū, vt sis memor parentum meorū, nostrasq; opes & facultates dispēses in pauperes & Christi Ecclesias. Seruos vero omnes manumittas, & patris mei actoribus præcipe, vt debitum omne remittant agricolis, iā inde ab obitu patris mei vsque in præsens, vt sine sollicitudine possim seruire Christo, cui me totam cōmisi. Ora pro ancilla tua, oret etiam Christo amabilis Domina mea Augusta pro ancilla sua. Deinde obsignans Epistolam tradidit eam veredario. Cum autem Imperator & Augusta eam legissent, vbertim fleuerunt: cōuocatoq; mox Senatu, ac patre eius cui desponsa erat Euphrasia, iussit Imperator, vt cunctis audientibus epistola recitaretur: totusq; confessus illa chrymans dixit. Reuera hæc est Antigoni & Euphrasie filia, qui tibi Imperator sanguine iuncti fuere. Reuera religiosorum parentum religiosa filia. Euphrasia vero se totam componebat ad voluntatem Dei, & quidem supra vires sese affligebat, eratque annorum duodecim quando pro pietate sacra suscepit certamina. Ac primo quidē à vespera in vesperam ieiuna permansit, postea biduo triduoq; abstinebat à cibo. Nulla præter illam mundabat triclinium, lectulos sororibus illa sternebat, aquam hauriebat è puteo & in coquinā deportabat, & hæc omnia faciebat libenti & iucundo

*Ieiunij car-
mē edomas.*

Humilitas.

animo. Erat in illo monasterio more receptū,
vt si qua soror in somnis diabolica fuisset il-
lusionē tentata, mox id Abbatissā aperiret. Il-
la vero cū lacrymis orabat Dominum, vt ma-
ligni infestatio ab ea arceretur: iubebarq; illi
vt strato suo lapides supponeret, & cineribus
aspergeret cilicium, sicq; in decimum vsq; di-
em cubaret. Accidit vero, vt Euphrasia virgo
sanctissima aliquid eiusmodi pateretur. Itaq;
lapides strato suo supposuit & cilicium cinere
conspersit. Quod videns Abbatissa ait ei: Cur
non exposuisti mihi maligni dæmonis tenta-
tionē? Illa vero ad eius collapso pedes: Ignosce
mihi, ait, Domina, nā prohibebar verecundia.
Cui Abbatissa: Quandoquidem iam pugnare
cœpisti cum hoste, viriliter age, vt post victo-
riam coroneris. Post dies non multos iterum
tentata est, idq; sorori Iulie indicauit. At illa
dixit: Domina mea Euphrasia, ne quæso celes
isthoc Dominam Abbatissam, sed explica ei vt
roget Dominum pro te. Fertur enim multas
ab ineunte ætate diabolicas pertulisse tentatio-
nes & diebus quadraginta nihil accepisse cibi
vel potus, sed immobiliter in precibus perdu-
rassē, sicq; diaboli fraudes & insidias superasse.
Omnes autem impugnamur à Diabolo, sed
speramus in Domino quod illum vincemus.
Actis igitur huic sorori gratijs, rem omnem
Abbatissā enunciat. At illa: nihil, inquit, for-
mides filia maligni illius quibus nos oppug-
nat infestationes, sed constanter & animo im-
moto

moto illi resiste. Multas illius tentationes passura es: sed certa viriliter, vt à Christo sponso tuo victoriæ triumphos promerearis. Interrogauit autem illā, quot dies ieiunaret. Cumq; illa dixisset: Tres, iussit vt quartū etiam diem huic abstinentiæ adiungeret. Quam illa iussio-
Auget ieiunium ob a-
morem ca-
stitatis.
Obedientiæ
 nem cum ingenti lætitia excipiens discessit. Volens autem illam Abbatisa etiam ad maiora obedientiæ lucra euehere mādauit ei acerruum quendam lapidum in alium locum transportare. Quos illa læto animo, tametsi prægrandes, aliò transtulit. Altera vero die rursus ei ait Abbatisa: En, filia, loco inconueniente saxa posuisti, reporta ea in locum pristinum. Mox Euphrasia cum multa alacritate, lapides ad priorem locum submouit. Hac ratione ad dies triginta eam occupauit, vt eius patientiam probaret. Aderat autem rursus Satan & dormienti infestissimum se exhibens, maximum ei certamen attulit. Illa quamprimum Abbatisæ suas angustias detexit. Quæ cum pro illa rogasset, ait ei: Filia mea, certaminis hoc tempus est. Caue ne ille iniquus eneruet animum tuum, & perdas omnes labores tuos. Si ad breue tempus illius impetum sustinueris, vbi se senserit victum, cum ignominia iterum à te aufugiet. Dicebat eidem etiam soror Iulia: Domina & soror mea, si in hac ætate cum illo non configimus eumq; profligamus, quas ad bellandum vires in senectute habituræ sumus? Cui Euphrasia: Viuit Dominus, soror me Iulia,

lia, si iusserit Domina Abbatissa, tota hebdomada ne panem quidem sumam, donec eum Domino adiuuante superem. Ad quæ Iulia: Equidem, ait, totius hebdomadæ in ediam ferre non possum, tu si potes in terris & in cælis beataeris. In hoc vero monasterio nulla hæctenus totam septimanā absq; cibo transigere potuit, dempta Domina Abbatissa. Deinde iterum ad Abbatissam veniens Euphrasia, cōfessa est nocturnam dæmonis tētationem, rogauitq; eam vt liceret ei tota hebdomade ab omni cibo abstinere. Cui Abbatissa. Fac, inquit, filia quicquid te posse videris, & Deus omnipotens, qui te creauit, robur addat tibi, & largiatur ex illo cruento hoste victoriam. Itaq; tota cœpit septimana se inedia conficere, nec tamen quicquam de psallendi officio remittere, nec fororum ministeria præterire: adeo vt omnes eius tolerantiam, simulq; perseverantem formæ elegantiam mirarentur. Porro diabolus odio inflammatus in Euphrasiam, quadam nocte phantasmata & errores sæculares immisit. At illa repente exiliens, seseq; consignans egressa est foras, stansq; sub dio, expandit manus suas in cælū, rogauitq; Deum vt ab ipsa malignum dæmonem amoueret. Interim Abbatissæ nunciatur Euphrasiam agere sub dio. Illa quamprimum eo properauit, dixitq; ei: cōfirme te Deus, & det tibi tolerantiam in timore suo. Omnes quoq; sorores orabant Deum pro illa, & cōdolebant iuuentuti eius. Erat enim anno-

Tota septimana à cibis abstinet.

rum

rum circiter viginti quinque. Cum autem in decimum usque diem sic stetisset, oravit Abbatissa cum sororibus, eius patientiam volens explorare. Ut autem dies triginta completi sunt, mirari coepit Abbatissa, dixeruntque ei sorores; Euphrasiam ad exemplum ipsius per quadraginta dies in ea statione perseverare statuisse. At illa respondit: Dominus illam confirmet & corroboret. Quin etiam supra quadraginta, alios quinque dies adiecit, sed tandem nimiam debilitata exanimi similis in terram concidit. Abbatissa vero cibum illi offerens ait: Filia mea Euphrasia, sume hanc escam in nomine Domini mei Iesu Christi. Quasumptas vires recepit, Dæmon itaque magnitudine tolerantiae confusus, nequaquam ad id genus tentationum redire voluit. Cætera ipsius certamina & miraculorum gratiam vide sis apud Suriū. Legat hæc castus & castior fiat.

45. diebus
ieiunia per-
manet.

EXEMPLVM PVERITIE S. CVTHBERTI Lindisfarnensis Episcopi ex ea quam auctore S. Beda, habet Sur. 20. Martij.

Tom. 2.

Vir Domini Cuthbertus, ab ineunte adolescentia rerum diuinarum contemplatione mirifice delectatus, monasticam vitam summè diligebat. Cum autem puer adhuc, & ingenij acumine, & mira agilitate membrorum præditus, puerilibus ludis ac certaminibus (ut fert illa ætas) admodum deditus esset, & alios ferè omnes

F 4 dexte-

*Diuinitus
de morum
immutatio-
ne admonetur.*

dexteritate quadam in quouis certamine superaret, victorq; lætabundus nullo saltu, cursu, aut lucta fessus, alios ad certamen prouocaret, paruulus quidam fermè triennis diuino sane spiritu excitatus, cœpit immodicos eius iocos ludosq; corripere, & quasi senili prudentia puerulus puerum ad omnem modestiam morumq; grauitatem exhortari. At ille cum verbis procacibus monita contemneret, puer in terram cadens & miserabiliter plorās, consolantem se Cuthbertum his verbis appellauit. Ludere te, ait, inter paruulos non decet, quem Dominus maioribus etiam natu magistrum virtutis consecrauit. Audiens hæc bonę indolis puer, fixa secum cogitatione pueriles voluebat affatus. Interèa ex genu altero ita grauitè laborare cœpit, vt omni pedis officio destitutus, aliorum vti cogeretur ministerio. Itaq; die quodam foras à ministris deportatus, vt pratorum herbarumq; viriditate animum relaxaret, sub dio recubuit, viditq; equitem splendido uestium cultu ornatum, ad se venientem, qui blando eum sermone compellans, obsequium aliquod sibi præberi rogauit. Cui Cuthbertus. Quam velim, inquit, tuis commodis subseruire, nisi huius compede languoris prohiberer? simulq; tumorem ostendens, En, ait, nulla medicorum industria sanari possum. Cui eques: Coque, inquit, triticeam in lacte farinam, & hac confectioe calida tumorem inunge, & sine mora beneficium fani-

sanitatis consequeris. His dictis celeri se cursu proripuit, statimq; angelum Dei fuisse cognovit. Tanto igitur tamq; insperato beneficio affectus, se totum diuino amori consecrauit, & assiduas Deo pro aliorum salute, cum multis lachrymis preces offerre non destitit. Agebat remotis in montibus precorum sibi commissorum curam, cumq; ceteris alto sopore oppressis peruigil iuxta morem in oratione nocte quadam persisteret, vidit subito immensum de cælo lumen noctis discutere caliginem, in quo beatorum spirituum agmen terras petens animâ simili splendore fulgentem ad cælos deducebat. Hac visione mirificè exhilaratus, pastores graui somno consopitos ad diuinas laudes ardenti studio celebrandas excitauit, eiq; visionis seriem enarrauit. Manè facto cognouerunt Antistitè Lindisfarnensem Aidanum magnæ virtutis virum, raptum de corpore cælestia regna petiuisse. Tū Cuthbertus: Si ego, inquit, studio vnus noctis in precibus transactæ, rem adeo admirandâ videre merui, quid tandem erit, si totâ mentis meæ aciem, ad rerum diuinarum contemplationem contulero. Pudeat igitur somno & inertia deditos, cælestium rerum cognitione fraudari. Hæc cū dixisset relictis pecoribus monasticam vitam ordiri destinat. Lætus igitur ad Eatam Abbatem perueniens, ad spiritualia Christi castra transiuit, externoque spiritualis militiæ signo tonsura donatus, fortem & inuictum Christi athletam

*Pietas.
Zelus animarum.*

Oratio.

F 5 se præ

se præbuit. Cuius exinde iustitiæ semita, veluti phœbus quidam orbi exortus, crescebat vsq; ad perfectam diem, & multis ob insignem sanctitatem terrâ cœloq; honoribus cumulabatur.

EXEMPLVM S. BENEDICTI ABBATIS, ex lib. 2. Dialog. S. Gregorij Papa. Sur.
21. Martij. Tom. 2.

Benedictus à puero cor gerens senile, ætatem moribus anteibat, omnemq; à mente sua voluptatis arcebat illecebram. Vnde cum vix ex ephebis excessisset, & Romæ liberalibus studijs incūberet, videretq; non paucos è literatis, per abrupta vitiorum præcípites rueret, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem: ne siquid de scientia eius attingeret, ipse quoq; in immane præcípitiū totus abiret. Despectis itaq; literarum studijs, relicta domo, rebusq; paternis, soli Deo placere immaculata conuersatione satagebat. Recessitque scienter nesciens & sapienter indotus, atq; in desertis locis tota mente pietatem, vnicum illum salutis portū statuit consuetari. Itaq; ne ob patrati cuiusdā miraculi famam, ex laude humana sancti sui propositi naufragium faceret, clam ad desertū locū quadraginta fere millibus ab vrbe Roma distātem (cui Sublacus nomen est) secessit. Quò dū fugiens pergeret, monachū quendā Romanum nomine, qui sub Theodati disciplina vitam sanctissimè degebat, obuium habuit; qui explorata Benedicti

men-

mente acius eum diuinis sermonibus inflam-
 mauit, additoq; sacro religionis habitu, in ar-
 cissimū specū dimisit, vbi Benedictus tribus *Tribus an-*
 annis soli Deo, Romanoq; cognitus, cū eximia *nis in uno*
 sanctitatis laude vixit. Romanus autē cum pro *specu delia*
 sua in Benedictū charitate panem statuto tem- *tescit.*
 pore ex eminētiore rupis loco, in specum per *Abstinen-*
 funem demittere soleret, signumq; aduentus *tia rigor.*
 sui tintinnabulo, ex fune suspenso, daret, acci-
 dit quodam die, vt diabolus inuidia concita-
 tus misso lapide ipsum confringeret, Roma-
 numque ab instituto charitatis opere auertere
 conaretur. Cū vero omnipotens Deus, & Ro-
 manum à labore quiescere, & Benedicti vi-
 tam hominibus in exemplū demonstrare vel-
 let, cuidam presbytero in festiuitate Paschali
 epulas sibi paranti apparens dixit: Tu tibi de-
 licias preparas, & seruus meus illo in loco fa-
 me cruciatur. Qui protinus in illa ipsa soleñi-
 tate, cibis quos parauerat onustus, per abrupta
 montium, per concaua vallium, per inuia loca
 eū indagans, tandēq; in specu inuentū benignē
 salutauit, & ad communes epulas inuitauit. At
 ille cum ob lōgam humanæ consuetudinis in-
 solentiam, in mensium dierumq; obliuionem
 penē venisset, & sacrum Paschalis solennitatis
 tēpus adesse ignoraret, cibū sumere recusauit.
 Cumq; presbyter ita se habere, seq; à Domino
 missum esse assereret, libēter acquieuit. Haud
 multo post pastores in eūdem specū fortuito
 delati, & Benedictum hirsutis bestiarū pellib.
 vesti-

vestitum inter fruteta conspicari bestiam esse autumant, verum suauissimis diuinisq; eius sermonibus, ipsi à bestiali mente ad eximiam pietatis gratiam mutati sunt. Accidit vero oberranti in solitudine merulam quandam importuno volatu approximare, & quasi insultanti similem circa caput ipsius iteratos gyrare volatus; quã edito crucis signo abegit. Vix aus recesserat, & statim tanta carnis tentatio, ex recordatione feminae quondam à se visæ (quam dæmon ante mentis eius oculos reducebat) hominem inuasit, vt voluptate uictus, consilium de eremo deferenda caperet. Cumque dubius ad modum animi, oculos in omnem partem versaret, fortè vrticarum & verprium densa fruteta conspexit, moxque indumento reiecto, nudum se in illos spinarum aculeos & vrticarum incendia proiecit, ibique diu volutatus, voluptatem traxit in dolorem, ac toto corpore saucius exiens, egregiè libidinis incendium restinxit, adeo vt nulla deinceps prauæ cupiditatis molestia quateretur. His primordijs egregia huius viri sanctitas succreuit, cuius spectata virtus totum orbem imitatione religiosa compleuit.

Tentationem carnis fortiter expugnat.

MARTYRIVM S. SIMONIS INNOCENTISSIMI pueri Tridentini, à Iudæis An. Dom. 1475. & missimè trucidati. Sur. 24. Mart. Tom. 2.

Iudæus quidam Tobias nomine, communi cæterorum cōsilio, puerum aliquem Christianum

stianum captabat, quem cæteris mactandum adduceret. Cumq; pusionem quendam nondum viginti nouem mēses natum præ foribus paternis cognomento Simonem deprehendisset, lustrato num quis eum obseruaret, clām omnibus porrecta ipsum manu abducit. Cūq; paternam domum transisset proditor, prehēsa paruuli dextra, trahit imbellem puerum, & mollia terga genibus pulsans impellit. Puerum autem inter vagitus matrem compellantem exanimatus metu proditor, denario donauit argenteo, blandoq; sermone cōpescuit, atq; in domum Samuelis perduxit. Ne is vero peregrino loco deterritus clamores ederet, alij porrigebant vuas, alij poma, alij res alias puerulis acceptas, donec nocturnis tenebris omnia sopirentur. Tunc Barbatus Moyse vnā cum reliquis atrocissimis Iudeis benignum illum infantem genibus excepit. Porro circumfusi vestem ei ad vmbilicū & cubitos vsq; verso ordine detraxerunt, colligentesq; fluentem tunicam, succinxerunt lateri, ita vt à femore vsq; vt talos detractis caligis nudaretur. Et apprehendens sudarium Samuel, quod eius pendebat à cingulo, colloque circumuoluens comprimebat puerum, ne vagitus effunderet, alij vero manus pedesq; continebant. Tunc euaginato Moyse cultro, summum virgæ perforauit infantis, correptaq; forfice, coepit maxillam dexteram iuxta mentum dilaniare, & particulam carnis abscissam in parato ibi cratere

tere reposuit. Colligebant astates sacrum sanguinem, & alterno ordine forfice porrecta, quilibet sibi frustulum viuę carnis exscindebat, donec vulnus oui rotunditatem multum excederet. Et si quando cedente laqueo puer gutture perstrepebat, ad motis crebro manibus ad os, illū crudeliter suffocabant. His peractis Moyses dexterā tibiam cōfestim eleuauit infantis, eamq; suis super genibus statuens aggredditur exteriorem partem (quę inter cauillam & cruris musculū interiacet) similiter eodem ferro conuellere, & sumpta forfice vicissim carnem viuam lacerabant. Postmodum sequissimus senex ille, tanti sceleris caput, semimortuum erigens infantem, petijt Samuelem à sinistris pueri secum considere; & vterque sancta illius brachia instar crucifixi violenter extendentes, hortabantur reliquos vt sacrum illud corpus acubus configerent. Circumstantes ergo omnes cœperunt à vertice vsque ad plantas densis illum ictibus perforare: dicentes: Sicut Iesum Deum Christianorum, qui nihil est, trucidemus illum, sic inimici nostri confundantur in æternum. Iam hora & amplius miserandus puer tam immani tormento scrutiabatur, & intercluso spiritu collapsis viribus deficiebat, attollens madentes oculos in cælum, superos aduocare videbatur in testes, & inclinato capite sanctum Domino reddidit spiritum. Tunc Moyses & reliqui Iudęi oculos & palmas eleuantes
in cæ-

in cælum, egere gratias Deo, quod de Christianis vindictam simul & sacrificium obtulissent. Emanavit tandem in vulgus nefarium hoc scelus, & inuentum in fluuio cadauer S. Simonis in Basilica S. Petri honorificè tumulatur, ac miraculis indies clarescit. Iudæi vero impietatis huius architecti pœnis condignis viui mortuique mactantur.

PVERITIA S. LUDGERI PROTOEPI-
scopi Monasteriensis apud Sur. 26.
Martij Tom. 2.

B Ludgerus simulatq; ambulare, & in ver-
balbutiente adhuc lingua prorupere
cepit, canū illico sensum & cor senile assum-
sit. Moribus quidem nō immaturis, & vita im-
maculata teneram ætatulam transcendens, nul-
lis animum illecebris, nulli dedit voluptati. *Castitas.*
Lusum pueris admodum familiarem, tan- *Maturitas*
quā pestem fugiebat, scripturas quas necdum *morum.*
per ætatem discere quivit, iam se animi affe-
ctu præmeditari demonstrabat. Nam alijs
pueris ludentibus ipse de corticibus arborum
libellos componebat, quos festuca, si forte in
liquorem incidisset, cōscriptos, nutrici custo-
diendos dabat. Vnde cum quid per diem egis-
set interrogaretur, libros se composuisse, aut
legisse, aut scripsisse affirmabat. Verum cum
ætatis progressu prudentia ac meritis succres-
ceret, literis demum imbui maximoperè cu-
piebat, utque viro alicui in scripturis versato

com-

commédaretur obnixè parentes precabatur. Qui piæ eius voluntati congratulantes, beato eum Gregorio Traiectino præfili erudendum commendârunt. Perspexit ille mox sagacitatem pietatemq; pueri, ideoque benignè susceptum & in honore habitum diligentî studio educabat. Hoc igitur doctore in seruitio diuino & doctrinis abundè proficiens, negotijs secularibus renunciare in animum induxit, vt militaret Deo: Proindeq; tonsura accepta in Traiectensi monasterio diuino secultui, & spiritualis vitæ institutis mancipauit. Mira illi circa cōdiscipulos charitas, mira circa Ecclesiasticum officium deuotio erat. Semper aut legebat aliquid, aut psallebat, aut certè orationi instabat. Secularem literaturam non multo per se scire curabat, sacras vero scripturas assidue meditatione peruoluēbat, eamque potissimum memoria complectebatur, quæ aut laudem Dei sonare, aut ad fidem catholicam pertinere videbatur. Constantiam animi & sinceritatem idem semper vultus arguebat. erat quippe læta facie & admodum iucunda, nec tamen facili & prompta ad risum. Reliquas vero actiones, ita prudentiæ condimento temperabat, vt non solum à magistro velut vnicus filius diligeretur, sed etiam ab omnibus suis cōdiscipulis & familiaribus in magno haberetur affectu. Dein eminentioris scientiæ comparandæ ergo, Alcuino celeberrimo viro operam daturus, in Angliam venit. Quo in loco

Pietas.

Deuotio.

*Lectio sacra
scriptura.*

*Præceptor
ab morum
elegantiam
charissimus*

co quam amabilis magistro, quam desideratus cōdiscipulis, quam honorabilis monachis ibidem degentibus, quam deniq; charus omnibus, qui eum nosse poterant, fuerit, nemo facile dixerit. Diligebat eū magister, morum eius probitate & literarum studio delectatus: desiderabant cōdiscipuli, sedulitate eius & obsequijs deuincti: honorabant monachi piam eius conuersationem & meritorum sanctitatem admirati: amabant postremo noti omnes miro eius ad singulos vel amore, vel honore prouocati. Itaq; quamuis charus esset omnibus, à magistro tamen tanto specialis dilectionis priuilegio colebatur: vt de eo sæpius diceret, se, si ei optio daretur, suam potius vitam daturū, quam dilecto filio suo (sic enim eum appellabat) aliquid mali, aut aduersitatis eueniret. Dereliquis porro virtutibus B. Ludgeri, eiusq; miraculis & apostolico officio, videatur loco cit. Surius.

*Mira B.
Ludgeri
virtus.*

*A Magistro
dilectus fili-
us appella-
batur.*

A P R I L I S.

EXEMPLVM S. RICHARDI CICE-

strensis Episcopi in Anglia 3. Aprilis

apud Sur. Tom. 2.

S Richardus natione Anglus, nobili loco natus, in pueritia, præter illius ætatis ingenium, à choreis & id genus vanitatibus atq; perniciosis spectaculis adeo abhorruit, vt cogitatione suorum nullis neq; blanditijs, neq; suasionibus ad ea pertrahi potuerit, sed potius pietati

Prudentia.

G

pietati

pietati ac morū grauitati deditus, omnes co-
 uos suos & condiscipulos tam eruditione,
 quam vitæ ac morum integritate præcelluit.
 Cum porro frater eius qui adhuc tener in ca-
 ptiuitatem abductus fuerat, maturiore æuo ita
 è custodia dimissus rediisset, vt nihil secum
 nisi nuditatem & extremam inopiam adfer-
 rer, Richardus eius egestatem miseratus, vt af-
 flictis ipsius rebus consulere, se totum ipsius
 seruitio tradidit. Proindeque haud modico
 tempore in multa paupertate ac patientia mo-
 dō ad aratrum, modō ad bigam, modō ad ali-
 os id genus dueros labores adhibitus humili-
 ter & modestè seruiuit. Quibus sanè officiis
 tanta sibi fratrem beneuolentia deuinxit, vt is
 totius terræ suæ eum heredem scripserit. Non
 multo post cognati & amici nobilem quan-
 dam puellam opibus præstantem Richardo
 desponsarunt. Qui fratrem proinde de tran-
 scripto sibi fundo indoluisse intelligens: Non
 est, inquit, frater carissime quod te hoc nomi-
 ne affligas: En tibi literas fundūq; restituo, sed
 & spōsam ipsam, quam ego nunquā osculatus
 sum, libens tibi cedo: si tamē ipsi eiusq; amicis
 id molestū non fuerit. Atq; ita omnibus rebus
 abdicatis sponsaq; & amicis desertis, primū ad
 Oxoniensem Academiā, indē Lutetiā Parisio-
 rum se cōtulit. Tāto autem ferebatur discendi
 desiderio, vt nullā aut paruam admodū cor-
 poris curā haberet, omnesq; suas cogitationes
 vsq; adeo in literarū meditatione defixerat, vt

Humilitas.

Castitas.

*Ingens dis-
 cendi amor.*

cate-

cætera omnia præ illarum amore neglexisse
videretur. Degebat tunc temporis cum alijs duo-
bus studiõ socijs, quos vna eademq; pauper-
tas affligebat: eratq; illis tribus vnicum solum
capitis operimentum, quo lectiones audituri,
per vices utebantur. Cibus vero panis & vini *Temperan-*
parum cum olusculo aut eius generis vili edulio. *tia.*
Carnibus enim & piscibus ut vescerentur eo-
rum paupertas non sinebat. Et nihilominus toto
vitæ suæ spatio nunquam se iucundiores & sua-
uiore duxisse dies, præter id temporis, vir san-
ctus affirmare consueuerat. Interea cum tantos
in bonis literis progressus fecisset, ut omnium
iudicio magisterij titulo dignissimus haberetur,
denuo ad Oxoniensem Academiam profectus
est, ibidemq; eum eruditionis gradum cum non
mediocri laude est consecutus. Inde vero Bononiã
ad animam clarissimis iurisprudentiæ disciplinis
excolendum se recepit, ubi septennio tanto cum
eruditionis incremento versatus est, ut dimidio &
eo amplius anno, summa cum dexteritate & laude
præceptoris sui in docendo vices suppleuerit,
quo facto eum gratiæ & benevolentie locum apud
præceptorem obtinuit, ut vnicam ei familiam cum
omnibus facultatibus tradere peroptaret. Verum
Richardus qui diuinos in pectore motus præsentiebat,
submissè admodum gratias agens, in Britanniam rediit, ubi usque
adeo eius creuit existimatio, ut vniuersi omnium
consensu Oxoniensis Academiæ Cancellarius crearetur.
De reliquo vitæ decursu, ac virtutibus eius
laudatissimis videatur, Sur. loc. c. G 2 PVE.

PVERITIA S. VINCENTII COGNO-
 mento Ferrerij, professione Dominicani S. A.
 prilis, apud Sur. Tom. 2.

*Morum ma-
 turitas.*

BEatus Vincentius, ex antiqua honestaque Ferrerorum familia, Valentia clarissima Hispaniæ ciuitate oriundus, parentes habuit morum elegantia & honestate vitæ admodum conspicuos. Hic annum ætatis sextum ingressus à parentibus literis admouetur, quibus tanta industria incubuit, vt condiscipulos suos multis per asangis anteuertaret. Erat vero adhuc puer ab omni non modo lasciuiâ, sed lusu etiam puerili alienus: & si quando pueris eum adesse contingeret, post breuem honestumq; lusum, indito silentio, locum aliquem eminentiorem conscendebat, eaque quæ ab egregijs diuini verbi præconibus audierat, summa cum dexteritate proferebat, & graphicè admodum eruditorum Theologorum gestus, dicta, ac sententias cum audientium admiratione exprimebat. Años dein natus duodecim tam insigni diligentia dialecticæ operam dedit, vt summus eruditione haberetur. Vitam porro suam iam adolescens iuxta ac puer, cum omni innocentia studuit ducere. Siquidem ad fortunatissimam indolem, qua sponte ad virtutem propendebat, facunda bonorum operum Dei accesserat gratia; nec parentum integerrimorum deerant hortamenta, qui multis eum blanditijs frequenter incitabant, & exhortabantur, vt inchoatæ virtutis insisteret vesti-

vestigijs, & seipso quotidie melior esse cona-
 retur. Horum ille ductu, debito tempore Ec-
 clesias frequentabat: Missarum solennijs in-
 tererat, prædicatorum doctrinas hauriebat, *Pietas.*
 religiosè ieiunabat, piè Dei laudibus vacabat,
 singulis hebdomadib. quarta & sexta feria ie-
 iunare didicerat; eamq; cõsuetudinem quoad
 vixit accuratè seruauit. Beatissimæ Virgini *Deuotio.*
 Matri mirum quantum deuotus erat, cuius si
 quod præconium pro concione audisset, non
 solum lætabatur, sed etiam præ gaudio lacry-
 mas tenere non poterat. Semper autem flebat
 vberimè, quādo de mysterio passionis Chri-
 sti, aut ipse legebat, aut ab alijs legi vel dici au-
 diebat. Tantamq; ex lachrymis capiebat sua. *Misericor-*
 uitatem, vt earum sibi iucunda continuatio, *dia.*
 contraq; molesta accideret interruptio. Pro
 singulari quoq; sua erga crucem Iesu Christi &
 B. Virginem Mariam deuotione, officium,
 quod in vtriusq; laudem Clerici dicere solent,
 statutis quotidie horis dicebat. Erga pauperes,
 præsertim religiosos, liberalissimum se sem-
 per exhibuit: quos ille in parentum ædes in-
 troductos, rebus, quibus poterat, lætissima
 fronte reficiebat. Et quamuis in eiusmodi pie-
 tatis officijs assiduo versaretur, nunquā tamen
 vel cõtracta id fronte parentes vetuerunt, sed
 virtutis eius studio gratulantes tertiā illi par-
 tem substantiæ, quæ eum contingebat conces-
 serunt: quam ille quatrduo totam pauperi-
 bus erogauit. Accedebat ad priorem laudum

cumulum illud non minori admiratione dignum, quod anno ætatis suæ primo & vicesimo inter eos qui Valentia philosophiam Theologiamque profitebantur summus omnium haberetur. Erat ei acre ingenium, grandis memoria, & pertinax discendi aviditas: quæ omnia cunctis eum civibus Valentinis gratissimum reddiderunt. Pater vero in adulto iam filio tantam rerum peritiam, tantamque morum elegantiam attentius considerans, animo fluctuare coepit, & ancipiti cura iactari, cui potissimum vitæ generi filium destinaret. Accersito igitur ad se Vincentio, omnem consilij sui rationem exposuit, ei que libertatem fecit, ut vel religiosæ vitæ institutum, vel virginem aliquam nobilitate & pari diuitiarum ac formæ gloria præstantem eligat, vel postremo, ut Romæ aut Parisijs virtute & eruditione suum ac familiæ totius nomen sempiternum reddat. Ad quæ Vincentius: Scito inquit optime parens, à diuitijs, corporis voluptatibus, & sæculi huius honoribus me alienissimum esse, omnemque amorem, curam ac totius vitæ consilia in Iesum Christum defixisse; proindeque illi me totum in sacro Dominicanorum Ordine dedicare constitui. Hoc igitur vnicè abs te peto pater mi suauissime, ut, si me amas, tua me benedictione imperes. His sermonibus valdè permotus pater, ruensque in amplexus filij, multis cum lachrymis ei benedixit. Filius quoque à collo patris

*Magna
perfectio
Vincentij.*

tris pendens, ac paternis lachrymis plurimum commotus vberimè flebat. Itaque spirituali lætitia & mutua pietate collachrymantes, Deo gratias retulere. Mater deinde ubi ex viro sanctum filij propositum comperit, maximopere gauisa est, vidensq; filiū ante se prostratū, vt maternā benedictionem acciperet, in lachrymas soluitur, & sic eum affatur: Hoc, inquit, est charissime fili, quod semper optaui, & q̃ à Domino mihi cōcedi vehemētissimè postulauī. Tibi & nobis gratulor. Tibi q̃dem, quia effugies huius caducæ vitę miseras: nobis autem, quia à Iesu Christo nobis concedi meruimus, vt nostri voti compotes nos esse videremus. Igitur Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum. Det tibi Deus cælestem benedictionem. His alijsq; sermonibus maxīmā illius diei partem consumpserunt. Postera vero luce Vincentius ad conuentum Prædicatorum à patre deductus, cum gaudio suscipitur & triduo post, annos iam natus octodecim religiosa veste donatur. Tum ille nouis militiæ armis Beato Dominico succenturiatus, eiusdem viri sanctissimi vitam principio studiose euoluit, ne quid se lateret eorum, quæ ad inclyti sui ducis imitationem pertinerent. Atq; vt opportuno tempore Euangelij doctrinam longè lateq; diffunderet, tā assidua diligentia sacrarum literarū lectioni incubuit, vt cōtinuò dignus habitus fuerit,

G 4

qui-

qui Philosophiæ docēdæ præficeretur. Quod ille munus eximia facundia & eruditione triennio magna cum laude compleuit. Dein Barcinonam atq; Ilerdam studiorum gratia profectus tanta sapientiæ laude effloruit, vt post octo annorum circulum, pro singulari sua eruditione, à Benedicto Romano Pontifice Theologorum collegio ascriberetur. Tandemque Valentiam reuocatus publicas ad populum conciones habere cœpit, tanto cū fructu, vt multi etiā è vicinis ciuitatibus ad eum audiendum confluerent. De cæteris eius pro castitate certaminibus, zelo animarum, & illustri sanctitate videatur loc. c. Surius.

P V E R I T I A S. HERMANNI COGNO-
mento Ioseph monachi Steinueldensis. 7. Aprilis, à quodam eius familiari conscripta, apud Sur. Tom. 7.

*Castitas.
 Obedientia
 Morum
 maturitas.*

Lingua moderatio.

S Hermannus patria Coloniensis in paupertate educatus, à prima infantia didicit nulli animum subdere voluptati, sed subdiparentibus & quibuscunq; maioribus cum metu & reuerentia, & cum coætaneis suis benignè conuersari. Nulla illi proteruia vultus, nulla in verbis aut moribus petulātia, quæ plerosq; puerorum dehonestare cōsueuerunt: sed vultus omnino serenus, oculiq; blandissimi interioris pectoris lætitiā loquebantur. Nunquam ex eius ore iactantia, contumeliæ, mendacia, detractio aut turpiloquium audita sunt.

Anno

Anno ætatis septimo literas exorsus, habili erat ad discendum ingenio, eumq; mox gratia *Lusus pueriles deuotat. Et ad Ecclesiam properat.* cælestis ad diuinum conuertebat obsequium: cæteris enim condiscipulis suis ex more festo quouis die ludentibus, ab eorum se confortio subducebat, & monasterium Deiparę Virginis ingressus, ante illius imaginem, formam pueri Iesu in sinu gerentem assistere consuevit, & modo imaginem matris, modo filij perinde ac viuam alloquebatur, panemq; ac fructus, si quos forte penes se habuisset, nunc matri nunc filio porrigebat. Stetit quandoq; puerulus coram eadem imagine, & pomũ illi cum magna instantia & deuotione præbebat. Et ecce benigna mater vt deuotionem pueri sibi *Deuotio.* deuoti cõmendaret, imaginis manum extendit, & porrectum sibi munusculum de manu pueri comiter accepit. In posterũ vero etiam apertioribus se puero reuelationibus manifestauit. Cum igitur die quodã missis puerorum lusibus ad idem monasterium itasset, vidit iuxta pulpitem quod in medio ecclesię situm est, in eminenti quadam via, in specie viuentis beatissimam virginem, & cum ea custodem ipsius virginis Ioannem Euangelistam, & coram matre puerum Iesum se cum Ioanne quasi quibusdam puerilibus lusibus exercitatem. Cumq; hæc puer Hermannus cum delectatione admirãs spectaret, nutu manus accersitum sic Mater compellat: Hermanne ascende huc ad nos. At puer, Quomodo, hoc inquit possum,

sum, cum Chorus sit clausus & scalæ defint per quas ascendam? Cui beata Virgo: Tenta ait, si possis, ego te porrecta iuuabo dextera. Paruit puer, sed frustra conantem virgo porrecta manu, attraxit. Solebat autem familiaribus hoc narrare, quod cum niteretur ascendere, clauus vnus ferrei, sensibilem secundum cor fixuram acceperit, quam multis etiam post annis cum dolore sustinuit, eamq; fuisse præfagium multarum tribulationum, quas ad extremum vsque exforbuit, affirmabat. Cum vero in pulpitem auxiliante diua matre conscendisset, ipsa monente, Hermanno cum puero Iesu ludendi facultas data est, matre interim sedente, & ludos pueriles familiariter inspectante. Et cum in tam mirabili delectatione aliqua pars diei transacta fuisset, appropinquante officio vespertino, puer Diua Matre iterum opitulante descendit. Cum die quadam secundum consuetudinem suam Ecclesiam B. Virginis puer intraret, & hyemali tempore nudis pedibus incederet, videns puerum mater misericordie in tanto frigore corporali, à cordis feruida deuotione minimè tepuisse, cur in tanto frigore nudis incedat pedibus interrogat. Respondit puer se calceis carere. Sciens autem beata mater parentes pueri rei familiaris inopia laborare: Ad lapidem istum accede, inquit, & repertis illic quatuor denarijs, calceos tibi compara. Quibus ille inuentis ad B. Virginem letabun-

*Recreat se
Iesus cū pu-
ero Iesu.*

*B. Maria do-
nat ei pecu-
niam pro e-
mendis cal-
ceis.*

bundus recurrit, at illa subiecit. Quotiescunq;
 aliquo indigueris, calceis, tabulis, aut stylis aut
 alijs necessarijs ad eundem locū accede, & inue-
 nies denarios quibus tuę necessitati consulas.
 Quis hæc referre, scribere, credereue præsume-
 ret, si nō paucis diebus ante mortem suam, pia
 calliditate inductus à nobis, ppria cōfessione
 aperuisset? Accidit posthęc edes quasdā Colo-
 niæ incendio cōflagrare, atq; inter medios ig-
 nes basilicā quandā prorsus illæ sām pmanere,
 q̄ puer sanctus admirans, in culmine ecclesiæ
 Christū Dñum, in forma crucifixi stantē, su-
 amq; edem defensantem aspexit. In tātis reue-
 lationū cōsolationibus pueritia teneriore de-
 cursa, cū iā circiter 12. ætatis annū ageret, vide-
 retq; mundū pene vniuersum cupiditatū flam-
 mis absorberi: & solos illos à mortiferis igni-
 bus posse saluari, q̄ subter alas cōfugerent cru-
 cifixi, q̄ illi per basilicā à flammis cōseruatam
 fuerat ostensum, decreuit mundus adhuc, mū-
 dū inquinatū deferere. Itaq; ad Steinfeldēsem
 Ecclesiā diœcesis Colonientis, ordinis Prēmō-
 strateniū à notis suis perducitur. Cumq; illic
 aliquāto tēpore moraretur anteq̄ habitū mo-
 nasticū indueret, cōtigit dedicationem sacelli
 S. Michaëlis Archāgeli, q̄ in occidentali parte
 Ecclesiæ supra testudinem extabat aduentare.
 Stans igitur Angelicus puer coram sacello, vi-
 dit per quoddā muri ostium ingentem irrum-
 pere flammam, tanta vi & impetu, vt totū mo-
 nasterium iam comburi vereretur; & iam iam
 clamaturus erat, vt ferrent suppetias ardentū

*Christus so
 Hermanno
 reuelat.*

Verecundia

sed repressus puerili pudore & humili verecundia (quæ usque ad finem vitæ etiam plus quàm sexui femineo ei moderabatur) vocem compressit, donec rei exitum cerneret, quam omnes circumstantes vel non videre vel dissimulare nimium mirabatur. Tandem ignis mirabiliter conspecti, non alium vidit effectum, nisi quod ad accipiendum religionis habitum nouo incendebatur desiderio, eo quæ tam valido, vt ab illo suscipiendo præ dulcedine flammæ quam intus conceperat, ægerri-
mè se contineret. Suscepto igitur religionis amictu cœpit religiosus puer proficere sapientia. Sed quia nōdum discretionis annos attigerat, ante quos pueri ad habitum religionis in monasterijs nō admittuntur, missus est in Frisiam cum alijs cœuulis suis, vt & ætatis scandalum tolleretur, & in phrontisterijs magis exerceretur. Profecit itaq; supra omnes cœtaneos suos, tam scientia quam moribus, ita vt se doctorem minoribus, & angelum socijs exhiberet. Nihil vitiorū in illo quib. adolescentes studiosi implicari solent, puta, insolentia, simulationes, rixæ, contumeliæ, verbera, verborum scurrilitas, & nausea studiorum: quin
Alacritas. potius spiritali alacritate perfusus ad discendum erat promptus, ad quælibet imperata o-
Obedientia bediens, ita mirandum in modum cœtaneis suis obsecundans, vt illorum singulari fauore
Deuotio. vteretur. Ad sanctissimum Domini Iesu nomen tanto ducebatur affectu, vt nihil liberet
in quo

in quouis genere audire, quod non salutare eius nomen contineret. Itaq; non sine animi molestia fabulas poetarum iussu magistri dicebat, asserens talibus inanum deorum nominibus frequentatis, Deo omnipotenti iniuriam irrogari. Quam vero suavi providentia Deus hunc puerum gubernaret, hinc liquido apparuit: quod cum scabie capitis laboraret, & frequentibus condiscipulorum sannis, puer licet patiens tabesceret: Visus est sibi per soporem sentire animal quoddam totam illam scabiem sine dolorisvlla molestia rostro auellere. Quo facto mane prorsus integro & sano capite inter condiscipulos non sine multa admiratione apparuit: Iisdemq; certatim causam sanitatis percontantibus, solita simplicitate aperuit. Reuersus tandem ad prædictam Ecclesiam, ad seruiendum fratribus in refectorio deputatur, quod officium licet deuotus impleret, de dispendio tamen solitarum precum atque contemplationis non leuiter angicœpit. Cui B. Virgo apparens: Scias, inquit, nihil perinde ex debito tibi faciendum incumbere, quàm vt fratribus tuis ex charitate deseruias. His ille monitis excitatus, cum se ad exemplum Saluatoris in medio fratrum ministrare cogitasset, idemque iugiter animo versaret, tanta ad opus alacritate ferebatur, vt non se ire aut currere, sed volitare putaret. Vnde gratia cælesti inebriatus & spirituali satietate refectus, multo tempore famis & sitis

*Angitur ob
detrimen-
tum deuo-
tionis.*

*Alacritas
ad opus bo-
num.*

COR-

*Abstinen-
tia rigor.*

*Contemplan-
tioni, vehe-
menter ad-
dictus.*

*Deuotio er-
ga B. Virgi-
nem.*

*Magnam
noctis par-
tem oratio-
ni dabat.*

corporalis detrimenta non sensit. Pia enim fraude circumueniens fratrem, quocū in refectorio ministrabat, de industria ante aut post illum vescebatur, simplicis panis & aquę quasi in consuetudinem versa refectiōe cōtentus. Accepto demum nouo officio, quod contemplationi valdē erat accōmodatum, prę incredibili feruore multum ad cōsuetas spiritus exercitationes adiecit. Nequaquam enim cōmunibus vigilijs, orationibusq; contentus, nouas sibi suę deuotionis dulcedini cōgruentes preces cōposuit, per multasq; gratiarum actiones, quibus sibi ad memoriam Dei erga homines beneficia reuocabat. Pręcipuē vero erga matrem Domini susceptricem suam, feruore mirabilis deuotionis exarsit, quā appositis gaudiorum vocibus & angelica salutatione crebrius repetita salutauit, addens singulis gaudijs & salutationibus genuflexiones singulas: atque id genus exercitijs maximam noctis partem duxit insomnem. Tāta autem orationum, contemplationum ac reuelationum dulcedine fruebatur, vt corporaliū necessitatum oblitus, solo spiritus pabulo se victitare putaret. Et iā in cōsuetudinem sibi verterat, quando quidem custodia monasterij penes ipsum erat, talibus studijs vsque ad tempus nocturni officij, quod matutinas vocant, immorari. Cumq; primo campanę signo fratres excitasset, ipse in lectulo se composuit, donec ad tertium signum, fratribus ad ecclesiam egredientibus

tibus, eodem properaret. Addidit autem his laboribus strati duritiam, capite ad lapidem, corpore ad lignum incumbens. Raptum porro tanto spiritus impetu, ampliore gratia diuina bonitas dignata est. Quoties enim post sumptum cibum à refectorio exiret ad monasterium, tantæ suauitatis eum excepit odor, ut in paradysum Domini sibi videretur introire. Ipsa quoque virgo Mater suauissimis eum odoribus sæpè recreauit. Moris est in ordine nostro, ut quotiescunque nomen venerabile Virginis Deiparæ in Collectis, Symbolo, aut præfatione & salutatione angelica, quæ dicitur pro inuitatorio, pronuntiatur, conuentus veniam capiat, id est, diebus non festis procubens ingenua osculetur id, cui oras incumbit: festis vero osculetur manum. Hermannus vero quotiescunque festis diebus conuentui fratrum non interfuit, ad nomen Mariæ velocissime se humi prostrauit, & quoad potuit sine scandalo terræ sic prostratus adhæsit. Cumque id crebro contra morem Ordinis faceret, quidam ei familiaris huiusce rei causam sibi petijt explicari. Cui illi secretum profectione committendum ratus quoties, inquit, ad nomen sacræ virginis humi me abijcio, odor omnium florum & aromaticum est terra exhalans tanta me complet dulcedine, ut semper illic hæreere vellem si liceret. Quod si ea suauitas sensuum, quantam igitur animi fuisse existimes? Verè igitur dixerim memoriam beatæ Mariæ in-

Vtitur duriore strato.

com-

compositione odoris factam opus pigmentarij. Porro deuotum sibi iuuenem Beatissima Mater, & suis laudibus iugiter in hærentem, magnificare cupiens, creberrima eum visitatione dignata est, qualem vix inter familiarissimos inuenias. Sæpè enim contigisse audiuius, vt ille in aliquo monasterij loco orans aut meditans, vocem amantissimæ domine ex aduerso stantis audiret, nec dubius à qua vocaretur (quippe qui vocem eius ex consuetudine probè internosceret) ad illam se conferret: tum vero in aliquo secretiore loco pariter assiderent, & ille quidem B. Matri de ipsius statu sigillatim perquirenti responderet, & ab ea rursus quicquid vellet sciscitaretur. Talibus ille solatijs nocturnas transigebat vigilas. Miretur fortasse quispiam quamobrem B. Hermannus Iosephi cognomentum acceperit. Equidem causam ignoro, nisi quod diuinitus factum videtur, vt homo niueæ puritatis & castitatis à quibusdam inciperet Ioseph appellari. Quod quidem ipse ægrè ferens indignum se esse testabatur, qui sanctissimi illius Patriarchæ: nec non sponsi B. Virginis gereret nomenclaturam. Nocte vero media solitis precationibus intentus, vidit in medio chori virginem longè pulcherrimam, & regio cultum micantem, cum duobus angelis dextra leuâq; assistentibus. Admirans autem visionis nouitatem, vnum angelorum sic loquentem audiuit. Cui hanc virginem desponsabimus?

Respon-

*Unde Iosephi nomen
acceperit.*

Respondit alter: Cui tandem nisi fratri hic præ-
senti? Tum alter: Veniat ergo inquit. Vocatus
ille accessit sanè pudibūdus. Postquam autem
vsq; ad reginam peruenit, sic eum alloquitur
angelus: Oportet hanc tibi illustrissimam vir-
ginem desponderi. Territus frater humilis &
pudicus, indignitatem suam cœpit allegare,
tantaq; sponsâ, & sponsi quoq; nomine se pro-
clamauit indignum. Cumq; reluctando moras
necteret, Angelus dexteram eius apprehendit
manum, & manui sacratissimæ virginis copu-
lauit, & his verbis eam illi despōdit: Hanc ego
virginem tibi trado sponsam, sicut fuit olim
desponsata Ioseph, vt nomen sponsi pariter
cum sponsa accipias, & de cætero Ioseph voca-
teris. Et hæc quidem nos ab eius ore accepi-
mus, confirmatumq; est illi hoc nomen, etiam
in alia quadam visione, quæ fuit eiusmodi:
Nocte quadam post lōgas preces ad lectulum
se receperat, iamq; dormitans ad eum locum,
in quo orauerat sibi reuersus videbatur; respi-
cienſq; ad summam aram, vidit beatissimam
Virginem, infantem speciosissimum inter vl-
nas gestantem. Cumq; ab ea familiariter vo-
caretur, accessit ad eam, tactusq; desiderio par-
uuli, & solita animatus fiducia, Da mihi, in-
quit, charissima filium tuum. Illa petentem
non nihil differens (puto vt magis eius inflam-
maret desiderium) tādē ei summè optatum
porrexit infantem, aitq;: Porta filium meum,
sicut à sponſo meo Ioseph portatus est in AE-
gyptum:

H

gyptum:

gyptum : vt sicut idem onus, ita etiam, similem eius nominis honorem obtineas. Monitusque à Domina & sponsa sua, ne deinceps ægrè ferret se Iosephum nuncupari, nomen honorificum haud grauatè admisit. Reliquam vero vitæ partem in summa sanctitate atq; innocentia transmittens beato fine, & miraculis gloriosus migravit è vita.

PVERITIA S. AIBERTI MONACHI

& presbyteri Crispinensis monasterij.

7. Aprilis. Sur. Tom. 2.

BEatus Aibertus futuræ sanctitatis adhuc puer præclara de se præbuit indicia. Cum enim prudentia supra ætatem excelleret, coepit carni luæ bellum indicere, vt maturiore ætate eam facilius in gyrum ageret rationis. Quare noctu clam è lectulo surgebat, & flexis genibus ac membris humi stratis, terram innumeris osculando vicibus, tenerum corpusculum fatigabat ; & ne à quoquam prehenderetur secretius hisce exercitijs vacare satagebat. Adhæc pro Christi amore corpus suum crebris ieiunijs macerabat. Solebat autem illis diebus, quibus ieiunium sibi indicebat, parum aliquid pomiaut alterius rei degustare, vt si fortassis à patre, nolente vt paruulus ieiunaret, interrogatus esset, num comedisset, posset citra mendacium respondere se sumpsisse cibum. Longè vero ille aberat à mendacio & iuramentis, qui nec lus dicere

*Carnem
pœnitentijs
adomat.*

Ieiunium.

*Linguam
coercet à
verbis otiosis.*

dicra quidem, aut otiosa soleret verba pro-
ferre, in die iudicij de verbis otiosis nequa-
quam rationem redditurus. Non est autem
silentio premendum, quod cum in agro pa-
tris pecora seruaret, audito campanæ sono,
illis relictis, ad Ecclesiam confugerit, & lau-
des cum precibus diuinæ maiestati pro suo
captu obtulerit. His virtutum & piarum a-
ctionum quasi primitijs quibusdam religio-
sus puer imbutus maiore accedente ætate du-
ce sancto Spiritu ad maiora contendit. Fre-
quenter enim Ecclesiarum limina terens,
verba vitæ cum multa animi deuotione au-
scultauit. Deinde vero lasciuia & oblecta-
menta mundi, sensim magis ac magis fasti-
diens atque abominans, cōstituebat vni omni-
potenti vacare Deo. Timebat enim ne si mun-
di fieret amicus, inimicus Dei efficeretur. Ita-
que arctius vitæ genus complecti desiderans,
mundanis illecebris paulo post omnino nun-
cium remisit, atque apud Eremitam quendam *Leisnig
rigor.*
magnæ sanctitatis & miræ abstinentiæ virum
maiores vitæ partem inaudita inedia tole-
rantia pijsimè traduxit. Sunt hæc S. Aiberti
in tenera ætate laudatissima exempla, Spiritu
sancto magistro, ad imitationem piæ
iuuentutis vtiliter dere-
lictæ.

Castitas.

VErnerus puer, è pago VVammen-
 rat, qui à Baccaraco vnus diei iti-
 nere abest, rustica stirpe ortus, Christianæ re-
 ligionis & simplicitatis fuit amantissimus, vir-
 gineaq; puritate ornatus: qui opere rustico vi-
 ctum sibi tenuem cōparabat, ex quo benignè
 admodum egenis aliquid impartiebatur. Erat
 ei mater pietati dedita, suiq; profectus amans,
 sed vitricus supra quam dici queat morosus,
 cuius ille calumnias persecutionesq; pertæsus
 fugæ consilium cœpit: Cumq; huc & illuc er-
 rabūdus incederet, & fame ac siti afflictus nul-
 lum omnino miseriæ suæ perfugium inueni-
 ret, fortè in pastores incidit, qui humanitate
 ducti panem ei dederunt: quibus ille rursus
 siti non mediocriter laborantibus, defixo in
 terrā baculo, precibus suis fertur largissimum
 in Christi nomine fontem elicuisse. Veniens
 inde Treuericam Vesaliā sæpè à perfidis Iu-
 dæis callidè ad labores accersitur. Ille vero
 promptum se puerili simplicitate exhibens,
 iussus est ab illis humum in profundum quen-
 dam terræ locum deportare. Adueniente in-
 terim Paschali solennitate sæpius ab hospita
 sua admonitus est, vt sibi ab impijs Iudæis ca-
 ueret, ne ab ijs laniaretur. Sed puer qui suo in-
 genio aliorum mores vitamq; metiebatur, ne-
 glecta hospite admonitione, vni Deo se totum
 com-

committebat : ac mulieri sæpius idem incul-
canti respondebat: Ego me totum, meaq; om-
nia Deo committo, cui cura est de nobis. Dein
vero Dominicæ cœnæ adueniente die, puer
Christo deuotus, peccata sua confessione co-
ram sacerdote expiauit: & se sacra synaxi refe-
cit: lætusq; & ab omni insidiarum suspitione
alienus, ad opus à Iudæis inuitatus accessit. Po-
stero vero die, qui acerbissimæ passionis Chri-
sti memoriæ sacer est, conceptum animi furo-
rem summa crudelitate in puerum innocen-
tem effuderunt. Primò enim apprehensum,
omni clamandi facultate priuârunt, impresso
in os eius globo plumbeo, inde suspensum ad
columnam ligneam, erectis sursum pedibus
miseris modis diuexârunt, & primo flagellis
crudeliter cedunt, tum cultro quodam toti-
us corporis venas, barbara immanitate inci-
dunt, & forficibus ex omnibus corporis par-
tibus sanguinem exprimunt, atq; ita corpus
scatens innumeris vulneribus triduo suspen-
sum reliquerunt. Habebant autem Iudæi illi
famulam Christianæ religionis sacris initia-
tam, quæ clam visa nefaria eorum in puerum
crudelitate, maximo animi dolore impulsa,
iudicem Vesaliensem adiit, eumque in locum
vbi pius puer tam immaniter tractabatur in-
trodixit. Ad cuius inopinatum aduentum
obstupescences Iudæi, statim muneribus benè
magnis illum aggressi sunt, feceruntq; vt offi-
cij sui oblitus ab æquitate & iustitia per sum-

num scelus se abduci pateretur. Puer autem viso iudice exultabundus, ut potuit, sui liberationem postulabat: sed iniustus iudex victus amore pecuniæ, pueri preces neglexit. Tū puer: Si tu mihi, inquit, opitulari nō vis, opē mihi ferat benignus Deus & sanctissima mater eius. Iudice igitur muneribus corrupto, puer à Iudæis interfectus est, eiusq; cadauer in cryptā quandā prope Baccaracū coniectum, præclaro ibidem lumine noctu conspecto vigilantibus innotuit, & rei compertę admirationem, odor gratissimus è cadauere exhalans, & multa ad tumulum huius martyris facta miracula cumularunt.

DE S. ANSELMO CANTVARIENSI

Archiepiscopo. 21. Apr. Sur. Tom. 2.

Pietas.

Morum integritas.

De vita sua deliberat.

S Anselmus & natalibus & virtute verè nobilis, cum immortalem gloriā cupidius à teneris vnguiculis meditaretur, maternis adhortationib; pias aures lubens cōmodabat, & morū probitate alios in sui amorem rapiebat. Traditus dein literis mirū quātum p̄ficiēbat. Necdū ætatis annum 5. & 10. attigerat, & iā quo pacto diuinis sese obsequijs dederet, quodue genus vitæ deligeret matura cōsultatione pertractabat, vnde in eū sensum venit, nihil vita monachorū esse præstantius: Huius igitur cōuersationis amore ductus, ad Abbatem quandā peruenit, & sacro eius cōtubernio petijt sociari. Qui illum semel iterumq; rogitantem, Deo sic disponente, remorans cunctabatur.

Capit

Cœpit vero interea corporis vigor, iuuenilis ætas, & seculi prosperitas haud modicè ei ar- *Nutat in*
ridere, & paulatim conceptus animi feruor a- *proposito.*
deo à religioso proposito tepescere atq; de-
fluere, vt iam vulgaris ipsi hominum vita præ
cælibatu monastico allubesceret. Studiū quo- *Indulget*
que literarū, in quo se magnopere solebat ex- *vanitati.*
ercere, sensim vanitatibus postponere, ac iu-
uenilibus ludis cœpit operam dare. Verunta-
men pia dilectio, & diligens pietas, quas in ma-
trem suam habebat, nonnihil eum ab istis re-
stringebant. Defuncta illa, illico naus cordis
eius, quasi anchora perdita, in fluctus sæculi
penè tota dilapsa est. Sed omnipotens Deus,
præuidens quid de illo facturus erat, ne ani-
mam suam, pace transitoria potitus, perderet,
infestū ei & intestinum bellum generauit. Pa-
ternus enim animus tãto aduersus ipsum odio
inflâmari cœpit, vt omnes ipsius actiones bo-
nas iuxta ac malas, perperam infectaretur. Vi-
dens igitur parentem sua humilitate peiorem
euadere, neq; leniendi ipsius animi vllam ap-
parere rationem elegit potius paternis rebus
ac patriæ renunciare, quam funesta cohabita-
tione famam parentis sui in discrimen addu-
cere. Deinde vero ad apicem perfectionis cõ- *Patris au-*
tendens, & velut certis gradibus ascensum pa- *steritas me-*
rans Lantfranco viro doctissimo atq; integer- *lioris vita*
rimo se erudiendum dedit, tandem in Mona- *occaso fuit*
sterio Beccensi futuræ sanctitatis egregia iecit
fundamenta.

MIRABILIS PVERITIA S. THEODO-
ri Siceorum Archimandrita 22. Aprilis.

Surius Tom. 2.

Theodorus in oppido Galatarum, quod
Siceon appellant, patre Cosma matre Ma-
ria, quæ in diuersorio publico quæstum facie-
bat, illegitimo quidem thoro natus, sed præ-
claro sanctitatis omine matri iam grauidæ fuit
declaratus: quippe quæ noctu secundum quie-
tem videre sibi visa est stellam miro fulgore
radiantem suū in vterum de cælo descendisse.
Itaq; venustum enixa infantulum, sacrisq; vn-
dis ritu Christiano tinctum, Theodorum ap-
pellat. Quem dein sexto ætatis anno, mater, vt
in regia ciuitate ad militiam educaretur, pre-
tiosis ornatum vestibus, Zona aurea præcin-
ctum, cæterisq; rebus ad luxum & superbiam
diligenter instructum in regiam perducere
cogitabat. Verum ante destinatum diem ap-
parens illi sanctus Dei martyr Georgius sice-
am affatur. Ecquod tuum hoc est de puero
consilium? Missam fac inanem illam gloriæ
solicitudinem: Rex enim cæli & terræ hunc
sibi puerum requirit. Manè igitur somnium
enarrās cum lachrymis mulier, mors, inquit,
nati mei appropinquat; atque ita labore itineris
superfedit. Octennis vero factus cum literis
operam dare cœpisset ob ingenij præstantiam
egregie proficiebat, nullaque in ipsius mores
cadebat reprehensio. Pueris quippe colludens
victor euadebat: Iurare vero, aut maledicere,
aut

Morum in-
tegritas.

aut aliud quippiam absurdi designare, nec sibi nec alteri permittebat. Quod si ex rebus ludicris lis pugnare fuisset oborta, illo mox arbitro dirimebatur. Erat in ædibus maternis Stephanus quidam insigni probitate & castitate vir, qui cibis industriè apparandis etiam Principes viros lauto hospitio excipere nouerat. Hic in summo ciborum apparatu ac vitæ licentia quadragesimæ diebus solo pane & aqua vitam tolerabat; cuncta vero laboris & industriæ præmia impendebat ecclesijs, optimamq; temporis partem precibus pijsue operibus tribuebat. In quo puer spectatæ virtutis exempla obseruans & amore diuino cælitus ardescens, vitam eius æmulari, ac summa contentione vestigijs eius cœpit insilire. Hunc pueri ze-
 lum ignorans mater, eum à ludo literario do-
 mum reuertentem, cibum capere coge-
 bat. At ille horam prædij subterfugere, atq; in vespere
 ram vsq; ieiunus in Gymnasio hæsitare con-
 stituit, deinde vero cum Stephano ad preces
 Deo nuncupandas ecclesias sub vespere fre-
 quentabat, tandemq; domum reuertens solo
 pane & aqua vescabatur. Cumq; multum à fe-
 minis & Stephano moneretur, vt ederet, eo-
 rum monitis acquiescere renuebat. Videns
 itaq; mater puerum inedia & refectio-
 nis tarditate nimis gracilem euasisse admonito lu-
 dimoderatore vt Theodorum hora prædij
 dimittat, eiusdem animum, vt leguminibus
 saltem vesceretur, pertentat. At is condicto

H 5 tem-

Ieiunium.

Picta.

tempore à scholis dimissus, prandium nihilo
 fecius deuitabat, atque in montem vicinum ad
 B. Georgij ædem se conferebat. Perspicuè ve-
 ro ab eodem sancto sub forma adolescentis
 eò perducebatur: & oratorium ingressus diui-
 narum scripturarum lectioni vacabat. Dein
 à meridie scholam repetens, domum non ante
 vesperam redibat: matrique interroganti, cur
 ad se hora prandij non venisset, ipse excusans
 respondebat, ita suum languere stomachum,
 vt nullacibi cupiditate teneretur. Intellecto
 autem quod in templo D. Georgij demorari
 consueffet, perductum ad se puerum minaci-
 ter increpat, atq; vt à scholis domum rectà re-
 uertatur, iubet. At is de pristina consuetu-
 dine nihil diminuens, nullis neque minis ne-
 que veneribus, ab instituto suæ abstinentiæ po-
 tuit auocari. Accidit porro Theodorum iam
 decennem vulgari apud suos morbo corre-
 ptum de vita periclitari, & in templo S. Ioan-
 ni Baptistæ sacro ante aram collocari. Quo lo-
 co cum super ipsum de imagine Saluatoris è
 laquearibus imminente, duæ roris stillulæ ce-
 cidissent, morbo repente leuatus & incolumis
 domum reuertit. Cum autem inter matrem &
 alias mulieres dormiret accedens Christi
 martyr Georgius puerum, cæteris interim
 profundiore somno oppressis, primum qui-
 dem sub Stephani specie, dein sub propria per-
 sona excitauit: Surge, inquit, puer Theodo-
 re, ad precandum S. Georgij oratorium ingre-
 dia-

oratio.

diamur. Surgentem vero cum lætitia & alacritate cum essent adhuc tenebræ in templum deduxit. Et multis quidem in via ferarum formis, à dæmonibus eum territantibus, inuadebatur, quos Christi martyr educto gladio profligabat, puerumq; vt crebrius eodem vētitaret, faciebat alacriorem. Cumq; id quotidie facitaret mater & reliquæ feminæ eum diluculo nō inuentum pernoctasse in templo suspicantes, inde per capillos puerum abstraxerunt. Mater vero verberatum filium ad lectuli spondam alligauit, & cibum ei denegauit. Tum nocte illa S. martyr Georgius cuius oratorium puer frequentare optabat, matri stricto ense minabundus apparuit, mortem ei, ni soluat puerum, se illaturum affirmans. E somno igitur experrectæ mulieres, Theodorum soluerunt, blandisque verbis orârunt, ne sibi succenseret quod vapulasset; dein percontantur, cuius auxilio fretus, sic ante lucem prodierit. Quibus ille: Primum, inquit, cum Stephano egrediebar, nunc vero venustissimus mihi iuuenis it comes. Hunc igitur sanctum Georgium fuisse arbitantes, puero libertatem faciunt eundi quo velit, atq; ab omni iniuria sibi deinceps temperant. Annum porro ætatis natus duodecimum in B. Martyris Gemelli æde præferuiddæ orationi pernox incubuit; tandemq; visus est sibi Regi magna militum caterua cincto assiste

A. B. Georgio in templum deducitur.

Ob pietatis studium vapulat.

assisteres, & eiusmodi ab eo vocem audire:
 Strenuè pugna Theodore, vt perfecta in cæ-
 lis militiæ corona potiare. Quibus auditis som-
 no solutus, multo cœpit ardentius bonis ope-
 ribus studioque pietatis insiltere, adeo vt reli-
 cta humana consuetudine, à primo Epiphaniæ
 die, ad eam vsq; , quæ Christo Domino in ra-
 mis palmarum sacra est, in angusta cellula Deo
 vacaret, eiusq; gratiam multa precum vehe-
 mentia flagitaret. Duabus vero quadragesi-
 mæ hebdomadibus prima nimirum & media
 nemini prorsus sui alloquendi facultatem fa-
 ciebat. Cæterum pius puer vt hymnis & can-
 tibus Dei laudes in Ecclesia cum alijs celebrare
 posset, totum se ad Psalmos Dauidicos memo-
 ria complectendos transtulit. Cumq; in eo
 negotio omnem luderet operam, fusis ad De-
 um ardentissimis precibus, paucis admodum
 diebus totū Psalterium facili memoria com-
 prehendit. Dehinc nouo diuini numinis a-
 more succensus cœpit ecclesias diligenter ob-
 ire, eas præsertim in quibus diuorum memo-
 rias solenni ritu peragi contigisset, per diu-
 pernæ orationibus insiltere, diuina mysteria
 cum incredibili gaudio percipere, pauperi-
 bus benignè facere, ac deniq; cultum diuinum
 verbis exemplisque amplificare. Viuebat id
 temporis, in loco qui Trapezas dicitur, insig-
 ni pietate vir nomine Glycerius, ad quem
 Theodorus audita eius sanctitatis fama com-
 meauit, vt benedictionis gratiam nanciscere-
 tur.

*Mira ad o-
 pera piete-
 tis alacri-
 tas.*

*Iugis oratio
 Misericor-
 dia.*

tur. Qui florentem in puero diuinitus virtutem conspicatus, hilari eum vultu suscepit. Cumq; eodem tempore humus nimia siccitate sterileceret, diramq; famem mortalibus minaretur, Glycerius assumpto secum puero ad limina S. Ioannis Baptistæ perrexit, puerumq; monuit, vt flexis secum in terra genibus, imbrem à Deo desideratum precaretur: paruit continuo puer, & peractis cum insita pietate precibus cælum nubibus repente obductum ingentem pluuiæ vim in terram effudit, & imminentem calamitatem magno senis gaudio depulit. Anno dein ætatis quartodecimo relicta cognatione, spretisq; opibus in oratorio viuere decreuit, vbi vt plurimum solo pane victitans, specum sibi sub altaris gradu *Solo pane victitans.* defodit, quam Natali Christi Saluatoris die ingressus, ad Dominicam vsque palmarum incoluit. Aliquando in gelidum flumen ingressus, tam diu in eo perstitit, quoad pedes *Pœnitentie rigor.* glacie ac luto compactos vix extraheret: quæ res cunctos spectatores, ipsumque in primis Theodosium Anastasiopolis antistitem digna admiratione compleuit. Hinc cum in ore *Humilitas.* atque oculis omnium ob illiustrem sanctitatis famam versaretur, maluit inanis gloriolæ auras prudenter declinare, atq; in solitarijs locis ad instar præcursoris inglorius degere. Conscenso igitur excelso admodum monte, petram ad se regendum idoneam intuitus, speluncam sibi eo loci suffodit obstructoq; aditu,

*Biennio in
spelunca la-
ter, in sum-
ma vita au-
feritate.*

tu, biennio, matre eum velut mortuum iugen-
te, ibidem delituit. Atq; hoc vitæ genus cōscio
quodam Diacano delegerat, qui ei ex pacto a-
quam & aliquantillū cibi ex oleribus submi-
nistrabat. Transacto demum biennio mulieres
propinquæ cum Diaconum frequentius ad
mōtem cōmeare notassent, suspicatae id quod
erat, eum iureiurando obtestantur, vt quid de
adolescente nōrit aperiat. At ille cū iuramen-
to impulsus, tūm etiam asperrimum vitæ ge-
nus in Theodoro cōmiserans, rem totam lo-
cumq; vbi ageret indicavit. Tum ingenti lēti-
tia perfusæ eo conuolant, puerumq; macie &
squalore confectum fætore ac vermibus sca-
tentem reperiunt. Credebant se alterum Iob
in sterquilinio sedentem contueri. Nec mora
inuitum planè ac reluctātem domum primo,
inde quasi iam moriturum ad S. Gregorijæ-
dem abripiunt. Plorabat per acerbè mater,
cæteræque mulieres ærumnis adolescentis il-
lachrymabant. Cum autem hæc religiosissi-
mus Anastasiopolis Episcopus Theodosius
accepisset, statim ad eum in oratorium acce-
dens, viso capitis eius vlcere contremuit, &
cum eum salutasset, Lectorem declaravit.
Magno autem labore sordes eius abluerunt,
& pannis lineis vlcera eius abstergentes capi-
tis comam totonderunt. Postridie vero An-
tistes Theodosius eum Subdiaconum, Diaco-
num & Presbyterum instituit: ac sacra bene-
dictione munitum à se dimisit. Beatus vero
Theo-

Theodorus id temporis non nisi duodeviginti años impleuerat. Quapropter multi Episcopum inculcabant, quod Theodorum ante legitimam ætatem ad Presbyterij dignitatem prouexisset: verum ille quamuis se canones scire assereret, adultam tamen & nobilem virtutem in Theodoro, non ætatem spectandam esse affirmabat, quemadmodum & Paulus Timotheum ætate iuuenem Episcopum constituerat. Quibus auditis omnes in Sententiam Episcopi iuerunt. Nouus autem Christi athleta Theodorus proficiebat sapientia spiritali, & gratia Dei erat cū illo. Habent hic, ut ait Georgius S. huius Theodori discipulus, pueri & adolescentes, in quo angelicam eius vitam, & ab omni crimine remotam imitentur.

AGON S. GEORGII MARTIRIS*23. Aprilis Surius Tom. 2.*

S Georgius natione Cappadox magnanima virtute martyr, Diocletiano in Christianos crudelitatem spirante, sua se spōte fortissimus athleta Christi in orchestram dedit. Cum enim ob generis nobilitatem, corporis pulchritudinem, viriumq; præstantiam militum esset Tribunus declaratus, & adhæc propter inuictum in bellicis certaminibus robur Comitibus titulo ab Imperatore insignitus, heroica virtute decreuit, nanissimas huius sæculi vanitates pro amore Domini Iesu prodigere. Ita q;

Fortitudo.

Itaq; annum natus vigesimum visa Imperatoris in Christianos immani tyrannide, opibus ac diuitijs quibus affluebat in pauperes distributis, seruisq; libertate donatis, tota mente ad certamen pro Christi gloria subeundum se transtulit. Tertius indicti à Diocletiano Concilij dies agebatur, quo Senatus decretum aduersus Christianæ fidei cultores comprobandum erat, cum ecce Georgius omni formidine reiecta, hilari facie ac mente tranquilla in medium confessum se dedit, & ad hunc fere modum orationem instituit: Quousque tandem ô Imperator, & Patres conscripti & Quirites bonis uti legibus soliti, furorem vestrum in Christianos augebitis, legesque aduersum illos iniquas sancietis? & homines summæ pietatis & innocentie persequemini? eosque ad insanæ religionis superstitionem impie colendam compelletis? Hæc idola non sunt dii, non sunt inquam dii. Nolite dæmonum fraude decipi. Christus solus Deus est, idemq; solus Dominus in gloria patris. Per ipsum facta sunt omnia, & Spiritu eius sancto omnia reguntur conseruanturq;. Aut igitur vos veram agnoscite religionem, aut certe illos, qui eam colunt, nolite dementia vestra perturbare. His verbis attoniti & inopinata dicendi libertate perculsi, oculos ad Imperatorem omnes conuertunt, eiusq; responsum operiuntur. Imperator vero tanquam perstrictis tonitru auribus stupenti similis conticuit, repressoque ira-

iracundiæ impetu, Magnentio Consuli, Georgio ut responderet, annuit. Is vero accersito ad se Georgio: Ecquis, inquit, tibi istius audaciæ & magnæ in loquendo libertatis est auctor? Veritas, inquit Georgius. Tum Consul subiecit: Quis est veritas? Respondit Georgius: Christus ipse quæ vos persequimini: Ergo tu quoq;, inquit Magnentius, Christianus es? Ego seruus sum Christi mei, respondit Georgius: eoque confisus in medio vestrum vltro constiti, ut veritati testimonium exhiberem. Hic verbis populo concitato, incerto murmure multitudo infremuit. Tum Diocletianus silentio per præcones indicto, cum defixis in sanctum iuuenem oculis eum agnouisset, sic allocutus est. Et olim nobilitatem tuam admiratus, ætatemque honore dignam existimans, ad maiores te dignitatis gradus prouexi: & nunc quamuis ad perniciem tuam dicendi facultate abutaris, tamen quia prudentiam & fortitudinem tuam diligo, tibi ut benignus pater consulo, hortorq; ne rei militaris commoda deferas, neue ætatis florem contumacia tua cruciatibus subijcias: sed dijs sacrificans maiora à nobis præmia expectes. Ad hæc S. Georgius respondit. Utinam potius tu ipse Imperator, per me verum Deum agnoscens, sacrificium laudis ei offerres, præstantiori enim & immortali te regno donaret. Siquidem illud quo nunc potiris caducum est & fragile & inanis instar auræ dilabitur. Quã-

I obrem,

obrem, me quod attinet, spreta quauis mundi gloria ad eam aspiro, quæ nunquam excidit, neq; vllius iniuria aut vi eripi potest, eamque propter nullum supplicij genus pertimesco. Hæc aliaque intrepidè loquentem Imperator ira percitus, hastis è cōcilio submoueri, & carceribus mācipari iubet. Vbi humi prostratum compedibus vinciunt, & eius pectori lapidem ingentem imponunt. Quæ vir sanctus infra æto animo inter diuinas laudes pertulit. Postridie eum Imperator ad quæstionem euocari iussit, & rotam aspectu sane terribilem, mucronibus vndiq; præfixam adduci, eaq; alligatum martyrem dilaniari. In eam iniectus machinam martyr, primum ardentibus votis & precibus constantiam à Christo precatus est, moxq; vi rotæ corpus dilaniabatur, & scorpionum more contortum dissecabatur. At martyr hoc supplicij genus strenuè perferens, tãquam dormiens bonum temporis spatium conquiescebat; ita vt Imperator eum mortuum existimans quasi præclara de martyre victoria potitus, exultaret, lætusque ad Apollinis templum sacrificaturus abiret. Vix pedem è loco certaminis extulerat, cum repentè cælitus horrendo fragore excitato, vox ad aures martyris delata est: Fortis esto Georgi, tua enim confessione alij similiter ad fidem vocandi sunt. Paulo autem post restituta temperie visus est altare rotæ immenso splendore coruscans Dei Angelus, qui extensâ manu, integræ eum

eū sanitati restituit, atq; ad alia certamina fortis pectore subeūda est cohortatus. Interea car-nifices ingēti pauore correpti, vt martyrē præter expectationem incolumem cōspexerunt, extemplō réad Imperatorem nefarijs sacrificijs intentum deferunt. Qui viso Georgio obstupescens, vix oculis proprijs fidem adhibebat, tacitusq; secum admirans obstupescerebat. Astabant viri duo prætoria dignitate inclyti, quorum vnus Anatolius, alter Protoleo cōspecta rei nouitate plane mirabili, statim in has cōfessionis voces eruperunt: Vnus est Deus magnus & verus Christianorum. Hos cōfestim imperator ira percitus, capitis sententiam indicta causa subire iussit. Sed & ipsa Imperatrix Alexandra, veritatis lumine Dei beneficio illustrata, intrepidē Christum cōfessa est, quam Consul statim abduxit, & ne ad aures Imperatoris confessio eius manaret, domum secum abripuit. Diocletianus autem maxima rabie agitatus vinctum Christi martyrem, in foueam calcariam præcipitem dari iussit, ibidemq; in diem tertium omni auxilio destitutū asseruari. Post tertium vero diem Imperator, ne qd ex eo reliquiarū superesset, rursus mandat suis, ossa, si quæ extent (nam certo certius martyrem extinctum esse credebatur) calce profundius obrui, & sempiterna obliuione cuncta sepeliri. Abierunt ad imperium famuli magna populi sequente caterua, eumq; quem planē calcis virtute cōsumptum

I 2 puta.

putabant, habitu splendido, quasi à conuiuio
procederet, viuumq; & incolumem reperiūt:
qui manibus in cælum sublati Deo pro vni-
uersis beneficijs gratias agebat. Quo spectacu-
lo tantus animorum motus in plebe exortus
est, vt sublato clamore vnum ac omnipoten-
tem Christianorum Deum collauderent. In-
terea militibus moras nectentibus rumor ad
Diocletianum peruenit, qui stupore attonitus
Dei virtutem magicis artibus scelerata mente
ascribere non verebatur. Hinc cum animum
in omnem cogitationem versaret, & Marty-
rem Christi virtutem, qua hæc gerebantur
extollere audiret: efficiam, inquit, vt experi-
undo tãdem discas, nihil aduersus potentiam
nostram tuas valere præstigias. His dictis fer-
reas iubet afferri crepidas, easq; copioso igne,
cãdentes in pedes eius indui. Tum vero inflã-
tibus à tergo licitoribus ad carcerem propelli
martyrem fecit. Martyr autem quanquam a-
cerbissimis cruciatibus fatigaretur, gradumq;
difficuler admodum proferre posset, secum
tamen ipse exultans, vno Christi nomine in-
stanter inuocato, supplicij acerbitatẽ ferebat,
animumq; his verbis sibi ipsi addebat: Curre
Georgi vt apprehẽdas: Sic enim curris, vt non
incassum. Tandem in carcerem retrursus die
illo ac nocte in gratiarum actione alacri men-
te perstitit, Deiq; stupendo beneficio ite-
rum pristinam sanitatem recepit. Postridie
Imperatoris mandato, totiusq; Senatus au-
thori-

thoritate accitus, non modo sanus, sed etiam
maiore quam ante corporis pulchritudine de-
corus prodijt, ita vt Imperator stupore op-
pressus vix fari posset. Tandem cum admira-
tione in vocem prorumpens ait: Georgi, si ti-
bi tuæq; saluti rectè consultum velis, omissis
præstigijs magicisq; artibus Dijs sacrifica: alio-
quin multis cruciatibus affectus, dulci hac vita
spoliaberis. Cui martyr. Quanta, inquit, est
ista vestra dementia, quod Dei mei potentia
præstigiarum nomen imponitis, eiusq; præsi-
dia magicis artibus comparantes, ludicras dæ-
monum qui à vobis coluntur fallacias tam im-
pudenter iactatis. Mox acri voce truciq; aspe-
ctu Diocletianus martyris orationem inter-
pellans astantibus imperat, vt os ei contunde-
rent: Sic, inquit, doceatur Imperatores non
esse contumelijs afficiendos. Dein iussit vt
neruis bubulis tam diu vapularet, quoad nu-
datis vndiq; ossibus animo viribusq; deficeret.
Tum illico flagellis in corpus martyris atro-
citer sæuitum est. Sed Christus Dominus, qui
vires animumque ad aspera quæque ferenda
suppeditat, non modo concidere animo ath-
letam suum non permisit, sed ne serenitatem
quidem vultus aliqua tristitiæ nube obscura-
ri: prorsus vt Imperator admiratione plenus
ac cōsilio destitutus, quid tormenti deinceps
inferret haud inueniret. Cumq; Magnentius à
S. Georgio ni præstigijs ageret suscitari sibi
mortuū insultando deposceret, ille fixis humi
I 3 geni-

genibus, fufisq; precibus, mortuum è terræ viferibus ad vitam cum ingenti terræ motu reuocauit. Stupet plebs attonita miraculo, & valida Dei potentiam voce prædicat. Imperator vero impotens animi & furore magis exæstuan, blasphemias in Christum & Georgium voces eructat, eumq; in tetrum carcerem abduci iubet. Interea permulti corruptis pecunia custodibus ad eum ventitant, quia veteribus delictis per ipsum expiati Christo nomina dederunt, eiusq; sermonibus & miraculis in fidei constantia confirmati, nulla pro Christi gloria certamina recusarunt. Imperator igitur, adhibito in consiliū Magnentio iussit in diem sequentem iuxta templum Apollinis tribunal sibi parari, ut publice de sancto questionem haberet. Nocte autem illa oras Martyr in carcere, ac paululum obdormiscens, vidit in somnis Dominum propria manu se subleuantem, & amplectentem, & corona capiti suo imposita, dicentem: Ne time, sed bono animo esto. Ecce enim iam dignus factus es qui mecum regnes. Ne igitur tardaueris, sed properè ad me veniens paratis frui. Quo munere incredibili perfusus gaudio martyr postera luce ad certamen vocatus prodijt. Et quidem Imperator post alias quibus martyris animum calidè pertentabat blanditias, tandem ait: Si velles mihi tanquam patri amantissimo obsequi, & dijs sacrificare, omnes istos, quos exhausti cruciatus, maximis honoribus compensarem, Tū Georgius: Si libet o Imperator templum
deus

deos visuri ingrediamur. Hoc dicto Imperator gaudio exultas, tanquam victoria de martyris constantia potiturus, cum vniuerso senatu populoque templum intrauit. Omnibus autem ingressis indicto silentio & sacrificio iam parato, martyr extensa manu ad Apollinis statuam: Ecquod, inquit, a me sacrificium postulas? num diuinos vniuersi soli Deo debitos expectas honores? Hec dicens edito signo crucis daemone inhabitantem in verba huiusmodi compulit. Non ego, nec mei simili quisquam Deus est. Vnus est Deus quem tu testaris. Nos autem in barathrum coniecti concitati, inuidiae stimulis, eandem in calamitatem miseriamque mortales precipitare contendimus. Tum Sanctus: Quo pacto igitur hic manere, me veri Dei cultore praesente audetis? Hoc dicto, ingenti cum sonitu statuae omnes in terram corruerunt. Tunc quidam de populo quasi uestro perciti costrictum vinculis Georgium immaniter ceciderunt, usque de medio tolleretur proclamauerunt. Sedato autem populi tumultu, sic Georgium affatur Imperator: Tales, inquit, benignitati meae gratias rependis fœdissimum caput? Sic Dijs sacrificare solitus es? Cui S. Georgius ita planè Imperator insane sacrificare didici. Erubescere igitur in posterum talibus dijs acceptam referre salutem tuam, qui ne sibi ipsis quidem afferre salutem potuerunt neue seruorum Christi sustinere praesentiam. Hæc loquentia stitit mox Imperatrix, & Deum Georgij.

I 4 publi.

publicè confessa ad pedes martyris humiliter procumbens, Tyranni dementiam conspuebat, deosq; maledictis lacerabat. Cui Imperator: Quid tibi, inquit, accidit Alexādra, quod huic mago adherens à dijs imprudenter recessisti? Illa vero acriter eū repellens, ne responso quidem dignata est. Tandem igitur Diocletianus furore præcipiti sententiam capitis in vtrumq; dictauit: Nec mora constricti vinculis, varijsq; ludibrijs affecti ad necem abripiuntur. Cumq; ad locum in quo coronandus erat peruenisset, fixis humi genibus, oculisq; inter preces in cælum leuatis intrepidè ceruicem feriendam præbuit, & repromissam à Deo iustitiæ coronam accepit.

MARTYRIUM SEXDECIM PVERORVM

in vita S. Martyris Paphnutij 28. Aprilis.

Sur. Tom. 2.

B Paphnutius anachoreta in Aegypto, cælesti facundia plurimorum martyrum parens fecundissimus, postquam 40. senatorij ordinis viros suis diuinis sermonibus ad martyrij lauream perduxisset, obibat totam ciuitatem, quærens qui ad brauium ire vellent: noctes autè in orationibus transigebat. Cumq; exisset ab vrbe, inuenit sexdecim pueros ad gymnasium euntes, illorum Senatorum filios qui martyrium sustinuerunt. Beatus igitur Paphnutius, cum ante illos stetisset eosq; salutasset: Miror, inquit, filij quod velitis à vestris paren-

parentibus ab alienari, qui Christi regnum sibi delegerunt, & in cælis regnant, nuncque in illa sanctorum Dei metropoli cum angelis eius se oblectant. Obedite igitur mihi, ô filij, & credite Deo meo, in quem & parentes vestri crediderunt, ac me sequentes venite ad Arianum præsidem & confitemini Iesum regem sæculorum, & vno animo pergite ad cælos ad illum veritatis magistrum, & vera disciplina erudimini. Statim puerorum mens verbis B. Paphnutij confirmata est. Itaque simul crediderunt, dicentes: Eamus, eamus, Pater Paphnuti, nihil impedimento sit nostræ alacritati: iam enim à mundo hoc alienati sumus, & corda nostra in cælis ipsis versantur, ubi est & domus parentum nostrorum. Beatus igitur Paphnutius ceu pastor gregem suum ducens ante illos currebat: cumque ad tribunal venisset, clamans voce elata: Tribunal, inquit, tribunal contra te denuò veni. Ariane tyranne, tu cum Apolline tuo, & ego cum Domine meo Iesu Christo. Arianus autem iussit milites gladios educere, & B. Paphnutium circumdare: sed subito ille à Spiritu sancto abreptus fuit. Id cum sexdecim pueri vidissent, ascenderunt ad tribunal vociferantes: Christiani sumus: en ut liberè hoc profiteamur. Quibus Arianus. Vbinam sunt parentes vestri? An, ut infantes, vos petulantes estis? Habemus, inquiunt pueri, ætatem ad respondendum tibi valde idoneam. Nos sumus illo-

Fortitudo.

I 5 rum

rum filij, qui Martyres fuerunt, & nunc apud Deum sunt. Sacrificate, inquit, præses, ne corpora vestra sub tormentis dispareant. Ad quæ pueri respõderunt: Crucia nos quibusuis tormentis: nõ enim sacrificamus. Arianus vero cū in illos intuens, quendā vidisset alijs natu minorem annum fere 13. agentem: Quidnam, inquit, õ fili, tibi proderit si morte pessima sublatus fueris? Quin potius audi me, fili mi, vt apud nos sis, & plurimas pecunias tibi largiar, scribāq; ad Imperatores, qui honore te decorabunt, modo iustis dijs Apollini & Dianæ sacrifices, de quibus & diuina Imperatoris maiestas scripsit, quod hi sunt dei viui. Tūc puer: Et vbinam est Imperatoris edictum, in quo de ipsis dijs ita scriptum fuit? Tum Arianus iussit edictum proferri. Quod cum Sacerdotes sumpsissent, ipsum adorârunt. Similiter & Præses assurrexit & edictum amplexatus est, pueroq; dedit. Illud cum puer accepisset ac legisset, inuenit septuaginta deos in illo scriptos, de quibus Diocletianus scripserat, vt adoratio & libamen eis offerretur. Iussit autem Arianus ignem ad aram accendi: cumque thus iuxta ac cæteri accepisset, in ignem coniecit. At puer pro thure ipsum Imperatoris edictum in ignem coniecit, dixitque Vnus est Deus Pater Domini nostri Iesu Christi: qui vero in edicto Imperatoris tanquam dii scripti sunt, igne redarguentur. Sacerdotes autem cum suorum idolorum libellum comburi vidissent,

sent, vellebant crines è capitibus suis: & in furorem conuerſi gladijs ſe lacerabant. Indignatus ea re Arianus, iuſſit puerum in aram tolli, & viuum comburi. Illum igitur abreptum milites in medias flammās iactarunt. Aequales vero pueri alta voce ſic eum rogabant. Frater & conſors noſtrorum certaminum, memento noſtri apud altiſſimum Deum: nam propter tuam prudentiam primitiæ Deo ipſi & ſacrificium tu ante nos oblatuſ es. Itaque & præſes animi tui fortitudinem, & ipſi Græci prudentiam tuam obſtupuerunt. Interea puer ſpiritum ſuum in medio ignis reddidit. At præſes vehementer indignabatur, quod Imperatoris edictum cōflagraſſet: quamobrem reliquos pueros iaculis conſigi imperat. Statim igitur milites extra urbem illos circumdederunt, & quindecim pueros illo die iaculis traiecerunt. Atq; ita conſummato martyrio illa illuſtria glorioſorum martyrum germina genitorum ſuorum laureis inter æternos triumphos ſociantur.

PVERITIA S. PETRI MEDIOLANENSIS
ſis martyris 29. Apr. Sur. Tom. 2.

B Petrus martyr Prædicatorū decus, Italiæ ſpeculū, & fidei pugil ac ppugnator egregius, in Gallia Ciſalpina quam Longobardiam vocant, ciuitate Veronenſi, ex parentibus hæreſi deprauatis traxit originem, vt tanquam lux è tenebris, roſa de ſpinis, flos è ſenti-

sentibus ortus, tanto amplius reluceret in mundo, redoleret in in cœnobio, rutilaret in cœlo, qui è parentibus errore occæcatis, mente fauciatis, atq; corpore corruptis, decus virgineum & inclytus martyr processisset. Nam tametsi parentes habuit hæreticos, quorum institutioni obsecundare filium & vera ratio admonebat, & pia necessitudo compellebat: nihilominus ita se mundum ab illorum seruauit erroribus, vt neq; blandis eorum dolis, neque iteratis persuasionibus, ad hæreticorum siue colloquia siue consortia, vel induci potuerit vel compelli. Quod enim à natura videmus homini & cæteris animantibus inditum, vt homo serpentis, agnus lupi conspectû horreat, & innatam hosti sæuitiam sentiat: hoc puerum bonæ indolis vnctio cœlestis edocuit, vt venenatorum serpentum consortia abhorreret, & lupos rapaces pellibus ouinis tectos, hostes agnosceret, eorumq; commercijs abstineret. Itaq; pius puer annos natus plus minus septem, cum die quodam à scholis rediens in patrum suum hæresi similiter deprauatum incidisset, & lectionis suæ pensum ei reddere cogeretur: Christianæ fidei symbolum illico ei recitauit, dicens. Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, &c. Quem ille depromptis è scriptura sacra ratiuuculis adorans, putans eum ceu rudem tyrunculum subuersu facilem fore: Diabolum esserem visibilium conditorem astruebat.

At

At puer propositi tenax, & hæreticis cauillis
cedere nescius cōstanter Deum vniuersorum
esse conditorem asserbat. Quocirca Petrum,
prout accidit, si studijs porro incumberet, a-
crem Manichæorum antoganistam fore omi-
nans, patri eius etiam atq; etiam consuluit, vt
puerum à complexu studiorum auelleret. Sed
renuit pater, qui eum postquam prima rudi-
menta deuorasset, nō difficulter ab hæsiarcha
aliquo ad suam sectam pertrahendum autu-
mabat. Itaq; Petrus exactis domi pueritiæ an-
nis, cum hæreticos in ipsa penè Infantia supe-
rasset, Bononiam missus est, vt animum ad o-
mnem disciplinā & cyclopædiæ cognitionem
erudiret. Vbi licet esset ab hæreticorum infe-
statione remotus, non tamen defuerunt ei no-
ua impugnationum genera adolescentiæ per-
molesta, quibus flos pudicitæ in discrimen
vocatur. Ecquis vero inter carnis illecebras,
mundi fallacias, hostis tartarei insidias, deniq;
inter lasciuiæ & lubrica sodalium contubernia
integritatem mentis & corporis possit cōser-
uare atq; tueri? Non est hoc humanæ fragilita-
tis, sed opis auxiliijq; diuini, atq; adeo pauco-
rum priuilegium. Immò vero teste S. Hiero-
nymo in carne præter carnem viuere, non
terrena vita est, sed cælestis. Itaq; ingeniosus
adolescens cum sortitus esset animam bonam,
etiam ad corpus inco inquinatum & cor imma-
culatum conseruandum toto pectore anhelaba-
bat, bonitatem circa se diuinæ dispensatio-
nis

*Difficile est
inter lasci-
uos adole-
scentes tue-
ri pudiciti-
am.*

Virginitatem seruauit integer timē.

Acerrimū carnī bellū indicit.

Mortalis peccati expers fuit.

nis agnoscens & stupens, sicut longo post tempore coram quibusdam fratribus eius puritatis conscijs, confessus est, quod inuiolatus castitatis dispendia potuerit euitare. Aduertens vero puer sanctus, nō esse tutū cum scorpionibus habitare, velut alter Ioseph reliquit piliū in manu Aegyptiæ, ipsius pudori infidiantis, & ad religionis portum confugere deliberans, mundum cum flore marcescente, parētes cum errore perimente reliquit, atq; fratrum Prædicatorum institutum mundus complexus est. Vbi in ipso adhuc nouitiatu contra carnē magno zelo incensus, ne seruus delicatē nutritus proteruaret in dominum, adeo se abstinentia, ieiunijs, vigilijs & precibus macerauit, vt mensuram propriæ fragilitatis excedens, dum vult hostem opprimere, ciuem propemodum perdiderit. Neruis enim corporis nimia exinanitione contractis, tam fortiter eius dentes compressi sunt, vt vel ad forbendū quippiam quolibet instrumento ægrè diduci potuerint. Restitutus tandem pristinae sanitati, modum quidem abstinentiæ mutauit, sed non abstinendi propositum aut consuetudinem. Cæterum integritatem mentis & corporis, vti à primis ætatis initijs coeperat, ita semper illibatam studuit conseruare, atque in ea conseruanda proficere: vt virgo mente & corpore permanens, nullum vnquam mortiferi criminis contagium senserit, quemadmodum eius confessoriorum fideli est testimonio

nio comprobatum. Ne vero per otij desidiam
& inertiam hostilibus pateret insidijs, in iusti-
ficationibus Dei exercebatur assidue, ut in ip-
so, rebus bonis & sanctis exercitijs perpetim
occupato, vitia nullum prorsus locum obtine-
rent, & à spiritualibus nequitijs permaneret
immunis. Erat denique omnium testimonio
deuotione ardens, obedientia placidus, benigni-
tate suavis, patientia constans, charitate præ-
stabilis, & in cunctis moribus magna maturi-
tate compositus. Atque his auspicijs semper
ad maiorem sanctitatem progrediens, tandem
ad martyrij gloriam nobilis agnotheta con-
scendit.

*PVERITIA S. CATHARINÆ SENEN-
sis 29. Aprilis, apud Sur. Tom. 2. ab ipsius confessario
P. Raimundo, Ord. Prædicatorum Magistro
Generali conscripta.*

CUm ea quæ in cæterorū Sanctorum pue-
ritia sparsim memorantur, in hac eximie
sanctitatis virgine vno cōplexu iucundissime
spectetur, & virgo hæc sanctissima ingenti or-
bis Christiani bono vixerit, eum in amorem
Domini Iesu doctrina atq; exemplis inflam-
mans, magno item iuuentutis commodo eam
Sanctis hisce adolescentulis inferendam du-
xi. Senis præclara Italiæ vrbe integerri-
mis parentibus edita fuit Sancta Catharina,
quæ simul ac vocem in verba formare cœ-
pit, adeo chara fuit omnibus, tantamque eius
verba

verba prudentiam redolebant, vt vicinis & cognatis eam ad se rapientibus vix eam mater domi suæ retinere potuerit. Quidam vero eius suauissima præsentia ac sermonibus iucundè affecti, eam Euphrosynam appellabant. Deinde annos nata plus minus quinque; salutationem edocta angelicam, illam crebro iterabat, & cælitus permota, cœpit per gradus ascendendo ad singulos singulas flexis geniculis Virgini Matri salutationes præmere, & in eiusmodi pijs studijs magis ac magis proficere.

*Christus ei
adhuc sex-
enni appa-
ret.*

Sexto dein ætatis anno cum Stephano germano suo paulo adultiore puero domum vadens, vidit supra verticem templi S. Dominici Christum Saluatorem in throno Imperatorio confidentem, habitu ac tiara in more summi Pontificis ornatum, cuius latera vtrinq; B. Petrus & Paulus atq; Ioannes Apostoli cladebant. Ibi puella immoto vestigio, oculisq; ac mente in Christum defixis eum amantissimè contemplabatur: vicissimq; Christus eam respiciens ac blande subridens, extenta super eam dextera, expressoq; crucis signo ei benedixit. Cum autem Stephanus puerulus iam aliquotusq; præcessisset ac paulo post aduertisset eam non sequi, sed fixo obtutu cælum contueri, iterum atq; iterum ex nomine eam inclamauit: cumq; propius accedendo frustra clamasset, manibus illam protraxit. Tum illa, quasi graui somno soluta, ô si videres, inquit, quæ ego video, ab hac mellitissima visione me nequitiam

tiquam reuocares. Creuit vero deinceps puel-
lula morum maturitate & sensu mirabili, ita
vt facta eius non tam pueritiæ vel adolescen-
tiæ, quam venerandæ senectuti conuenirent.
Iam enim in ea flagrabat ignis diuini amoris,
& gratia vberiore intellectus illustrabatur,
voluntas feruebat, & actiones externæ ad di-
uinæ legis normam dirigebantur. Vitas quip-
pe Sanctorum Patrum Aegyptiorum (prout
Patri Raymundo confessa est) quorundam item
aliorum Sanctorum, potissimum autem B. Do-
minici, iam tum didicit, non ab vilo homine
sed sola reuelatione diuina: tantusq; ipsius a-
nimum ardor incessit illas imitandi, vt prope
nihil aliud posset cogitare. Vnde porro ea
profecta sunt tam rara & inusitata, quæ omnes
admiratione complerent. Quærebat latibula,
& clam suum corpusculum quadam chordula
cædebat, precibus ac meditationibus perpe-
tuo vacabat, indies secus ætas puerilis fert,
magis dabat operam silentio, & de victu suo
aliquid demere studebat. Et huius quidem
pietatis alijs quoque puellis author erat, quæ
cum ea pariter se flagellabant, & quoties ipsa
iussisset orationem Dominicam ac salutatio-
nem Angelicam recitabant. Adhæc infantulæ
animus, ex quo visionem iam memoratâ ade-
pta est, tantis diuini amoris facibus succensus
est, vt extincta omni rerum terrenarum cupi-
ditate, ad seruandam virgineam integritatem
cœperit aspirare. Quo tempore Deo reuelan-

*Affligit
corpus peni-
tentis.*

K

te

te cognouit beatissimam Deigenitricem omnium primam perpetuæ virginitatis votum Deo nuncupasse. Itaque anno ætatis septimo, non ut septennis puella, sed ut mente prorsus grandæua, matura diu de voto edendo deliberatione præmissa, cum ad id maiori indies desiderio stimularetur, virginitatem suam Christo consecrauit. Tum vero omnes mundi delicias à se abdicauit, bellumq; carni etiam nondum rebellanti indixit. Statuit enim, quoad fieri posset, carni carnum esum non permittere. Itaq; si quid ei carnum apponeretur, ut plurimum porrigebat eas Stephano fratri, aut paulatim nemine aduertente felibus proiebat. Flagella non solum continuabat, sed etiam augebat, & sola, & cum puellis: & quod mirum in tantilla ætate videri possit, tenebatur ingenti animarum zelo, & peculiariter illos amabat sanctos qui animabus lucrâdis operam nauassent. Ut autem virginei pudoris florem melius illibatum seruaret, & proteruentes contra rationem animi impetus temperantiæ fræno cohiberet, primum cuiusq; generis cibis coctis excepto pane sibi interdixit, eoq; breui temporis spatio peruenit, ut pane & crudis herbis contenta, nihil de corporis necessitatibus cogitaret. Anno autem ætatis vicesimo etiam pane abstinuit, prorsus ut medici totâ eius vitam magnum miraculum esse faterentur. Lectum ex tabulis ligneis sibi parauerat, nihil quicquam alterius rei addens, inque eo vel sedens medi-

*Septimo ætatis anno
vovet virginitatem.*

Carnium esum vitat.

Zelus animarum.

Abstinentia rigor.

Lecti austeritas.

meditabatur, vel prostrata orabat, suoq; tempore nullis detractis vestibus somnum capiebat. Corpus suum exemplo Sancti Dominici aliquandiu ter quotidie ferrea catena vsque ad sanguinem duriter cædebat: adeo vt mater eius eiulatu & miserabili questu, vicinos acciuerit, verita; ne sibi filia tanta sanguinis profusione exitium adferret. Postquam vero ad nobiles peruenit annos abscissis crinibus coniugium mortale recusauit, adeo vt nullis dæmonum hominumue tentationibus cederet, sed spretis conuitijs ac maledictis, quæ parentes ac propinqui ad labefactandum castimonie propositum in eam congeriebant, ne latum quidem vnguem ab instituto continentie recederet. Mater vero vt hanc animi eius constantiam tandem aliquando frangeret, amota ancilla sordidissima quæque domus ministeria ei demandauit, modisq; omnibus, vt eam à tanta cælestium rerum ac præcipuè perpetuæ virginittis amore auelleret laborauit. Videns itaq; pijsissima virgo sibi externa secreta orationis loca esse interdicta intra se ipsam conclaue fabricata est, vnde nunq; cuiuscunq; rei causa egrediebatur. Imaginabatur namq; patrem suū representare Christū Iesum; matrem suam, sanctissimam Christi genetricem: ceteros de familia apostolos & discipulos saluatoris. Hac imaginatione fortiter concepta id assecuta est, vt omnibus illis non sine magna eorum admiratione hilari & officioso

Corpus catenæ cadit.

Amore virginittis crines amittit.

Seruitia ex contemplatione dulcescunt.

animo deseruiet: & iugem Christi memori-
am retineret, cui omnia se officia prestare cre-
debat. Porro cum ad habitum religionemque
sancti Dominici ardenti desiderio aspiraret,
idque crebris à Deo precibus flagitaret, vidit
per somnum diuersorum sibi ordinum insti-
tutores occurrere, qui eam ad certum vitæ in-
stitutum deligendum hortabantur. Tum illa
concito gradu ad S. Dominicum porrexit, qui
ostenso habitu bono eam animo esse iussit, &
breui compotem voti fore asseruit. Ea autem
visione mirabiliter confirmata, conuocatis
eadem die parentibus ac germanis, à tenera æ-
tate Deo se virginitatem suam deuouisse fi-
denter asseuerat, monetque ne se inuitam ad
mortale coniugium frustra prouocare con-
tendant. Se enim Deo potius obedire debe-
re, cui se consecrasset, quam ipsis. Quo dicto
obortæ cunctis lacrymæ vocem singultibus
intercluserunt. Tandem ubi modum fecere
lachrymis, sic eam parens affatur: Absit dul-
cissima filia, vt quoque modo Deo reluctari ve-
limus, à quo videmus sanctum propositum
ruum proficisci. Fac liberè quod ei sponendi-
sti, vertensque se ad vxorem & liberos suos: Ne-
mo, inquit, posthac filia meæ dulcissime mo-
lestus sit: vacet liberè sponso suo. Nō est quod
doleamus pro mortali eius sponso, recipere
nos regem immortalem, cui illa se despondit.
Nacta igitur potestatem suo nutu Christo ser-
uiendi, incredibile dictu est, quanto studio &
ardo.

ardore assidue cælestium rerum meditationi incubuerit. Deinde S. Dominici regulam complexa, vt Christo mentem ab omni contagione peccati purissimam exhiberet, tam arctum sibi silentium indixit, vt toto triennio ne verbum quidem sola peccatorum confessione excepta loqueretur, Tandemque sedulo illo pietatis studio, tantam diuinæ gratiæ abundantiam, & cum Christo familiaritatem consecuta est, vt maior inter duos homines arctissimo amoris vinculo sociatos esse non posset. Siue enim orationi, siue lectioni, siue externis occupationibus vel etiam corporis necessitatibus intenta esset, vt plurimum iucundissima Christi visione recreabatur, ita vt cū ore hominibus mente tamen Christo loqueretur. Non abs re est hoc loco nobilem huius integerrimæ virginis contra spurcissimas dæmonum tentationes victoriam meminisse. Cum enim permittente Deo, ad probandam virginæ animi constantiam, turpes ei dæmon immitteret cogitationes, castissimoq; pectori adhiberet illusiones & phantasmata dormienti, adeoq; corpora ex aëre sumpta oculis & auribus vigilantis ingereret, faceretq; multa quæ sine horrore dici non queunt: illa è diuerso catena ferrea flagellabat corpus suum, fundebat sanguinē, adiciebat permultū ad priores vigilias, ita vt somno pene omni renunciassē videretur. Non tamen cessauere hostes, verum ingenti multitudine apparent, hortan-

*Silentium
triennale
seruat.*

*Christus se
pudicissi-
mæ virginæ
familia-
rē præbet.*

*Præclarè
pugnat pro
castitate.*

tur blandius ne se asperiore pœnitentia interimat, sed vt iuueniles annos sanctarum feminarum exemplo matrimonio dedicer, perseverantiæ difficultatem opponunt. Quas illa dæmonum voces nec verbulo dignata est. Interea illi ad novas technas conuersi repræsentabant formas virorum ac mulierum turpissimè concubantium & nefandis sermonibus, ipsam ad eandem turpitudinem inuitantium. Cogebaturque hæc etiam oculis atque auribus clausis videre & audire. Accedebat ad cumulum miseriæ pijsissimi sponsi (vt ipsi videbatur) absentia, ita vt nullam omnino opem aut consolationem ab eo perciperet. At illa nihilominus sine intermissione & carnem affligebat, & precibus tota incumberebat. Atque hoc præclarum de se omnibus diuinæ gratiæ sensibili suauitate destitutis exemplum præbuit, ne solita sua exercitia propterea intermittant. Iam multis diebus hæc durauerat infestatio, & ecce quadam die illustrata diuinitus, cœpit hilariter sanè, se totam ad execrandas illas vexationes perferendas promptam paratamque offerre, quam diu ipsi Deo visum esset. Tum vero dæmon quidam improba procacitate eam affatur: Non prius, inquit, ab hac infestatione cellabimus, quam nostræ voluntati assenseris. Cui mox virgo magna securitate respondit: Mihi non solum has, sed alias quasuis molestias pro nomine Saluatoris perpeti iucundum erit atque delectabile.

bile. His dictis pudefacta dæmonum cater-
ua ad instar fumi euanuit, & Christus vulne-
rum stigmatibus insignitus apparuit dicens:
Viden filia mea Catharina, quæ & quanta tui
causa exceperim tormenta? ne igitur quic-
quam pro me sufferre graueris. Dein alia
sub specie magis propinquans blando ei al-
loquio de parta ex hoste victoria gratulaba-
tur. At illa; Vbi, inquit, fuisti mi Domi-
ne, cum esset cor meum tot spurcitij diue-
xatum. Et ille: In corde, inquit, tuo. Rur-
sus virgo. Et qui fieri potuit bone Ies v, vt
tu in illo meo esses corde, quod adeo mul-
tis impurissimis obruebatur cogitationibus?
Respondit Dominus: Cogitationes illæ quid
in tuo efficiebant animo? gaudium an mœ-
rorem? Immò verò, inquit illa, non nisi
summum dolorem. Hoc est, inquit CHRI-
STVS, quod mea operabar præsentia; qua
si tu destituta fuisses, spurcitas illas in vo-
luptatem traxisses. Tu autem filia mea, quia
viriliter mea virtute certasti maiorem à me
gratiam consequeris. Reliqua ne iu-
sto prolixior sim præter-
mitto.

*Pietas.**Morum
maturitas.**Vitat leni-
culos socios.*

CHildeberto Francorum rege claruit B. Marculphus, patria Baiocassinus, nobilissimis & pijs parentibus editus. Hic à puero ingenti desiderio, & toto conatu, per officia pietatis ad supernam cœpit patriam anhelare. Cuius quidam ætas puerilem leuitatem, at senilem maturitatem mores præferebant. Nam ludicris omnibus, quibus illa ætas maxime delectatur, reiectis, ea quæ diuinæ religionis erant, & auida aure percipere, & tenaci memoriæ commendare, factisque ad amussim sagtebat implere. Deuitabat optimæ indolis puer coætaneorum suorum vaniloquia, lasciuiaq; conuenticula, atq; seniorum sese cōgrefibus & colloquijs inferebat. Huiusmodi igitur quasi præludijs diuinæ aptatus militiæ, à tutoribus iam pupillus, diuinarum literarum studijs adhibetur: & decebat planè, vt quem adeò sibi iam diuina vendicabat gratia, non mundanis sed diuinis manciparetur negotijs. Porro auctore Spiritu sancto, qui puerum omni affectuum sorde mūdauerat, nulla discentem tardauit fastidiosa dilatio, sed properè sacrarum literarum scientia ita imbutus fuit, vt nulli suorum sodalium reperiretur secundus. Postquam vero adoleuit, ceu miles sub signis Christi Domini à primordio ætatis benè exerci-

ercitatus, cœpit strenuè atq; infatigabiliter ad
 cœlestis gloriæ brauium contendere, vacans *Omni-
 bus sanctitatis
 numeris
 absolutus.*
 orationibus, lectionibus insistens, carnem vi-
 gilijs & ieiunijs macerans, omnibus humilita-
 tem & obedientiam exhibens, largus in præ-
 standis eleemosynis, profusus in misericordiæ
 & humanitatis officijs. Sustainabat pauperes
 suis sumptibus, pupillorum & viduarum sub-
 leuabat inopiam: vitamque ad diuinarum le- *Miseri-
 cordia.*
 gum normam prudenter exigebat. Talibus
 igitur moribus ornatus Christo dilectus, &
 hominibus gratus ac venerabilis extitit.

PVERITIA S. ANTONINI ARCHIE-
 piscopi Florentini. 2. Maij Surius

Tom. 3.

B Antoninus Florentiæ honestis parenti-
 bus natus, vt primum infantiam exce- *Morū ma-
 turitas &
 honestas.*
 sit, statim longè supra ætatem sapere visus est.
 Nam fugitare ludos, odille garrulitates, vita-
 re excursus consueuerat, contraq; rebus serijs
 incumbere, & frugalitate sermonis, atq; ani-
 mo probè collecto delectabatur. Inprimis
 vero templâ ac religiosas ædes frequentans, ad
 sacras conciones cor æquè ac aures arrigebat.
 Orationi adeo erat addictus, vt quotidie ad *Orationis
 feruor.*
 templum D. Michaëlis Archangeli diuer-
 tens, atque ad crucifixi imaginem procum-
 bens, totius pene ciuitatis ora in se conuer-
 rit, quod tam diu tamq; feruenter in orationis
 studio persisteret. Si quando supplicationes

K 5 per

per urbem haberentur prædicatores ponere se-
quebatur: quos iam tum videbatur præ cæte-
ris amare. Annos natus quindecim perfectio-
ris vitæ desiderio inardescens ad Ioan domi-
nicum Florentinum admirandis virtutibus &
doctrina in primis clarum se contulit, ut pere-
um ad familiam D. Dominici assumeretur.
Verum is licet præclarā indolem, viuaq; ado-
lescentis ingeniū perspexisset, teneram tamen
ætate causatus, & gracile miseratus corpuscu-
lum, iubet eum expectare dū adulesceret, &
regularibus institutis, quæ supra ætatem illam
videbatur esse, sufficere valeret. Dein ex eo de
studiorum ratione sciscitatus, cum audisset ip-
sum Pontificijs sanctionibus voluendis (quas
in vnum volumen digestas, Decretum vocit-
ant) sedulum esse: Heus, inquit, fili, reuere-
re nunc ad paternos lares, mox inter nostros ad-
mittendus, cum Decretum totum ita excusse-
ris, ut plane videaris imbibisse. Recessit An-
toninus, atque ita se totum ad studia contulit,
diurna Decretum ac nocturna manu versans,
ut elapso statim anno propositi sui tenax Fe-
fulas reuersus, exactam tanti voluminis scien-
tiam præter omnium opinionem doctissimis
responsionibus declararet. Quare absq; mora
sacro asscitus cõtubernio, ad regulares discipli-
nas perdiscendas omnem curam atq; cogitatio-
nem transtulit, euolutoq; anno vota de more
nuncupavit. Quanta porro sedulitate facta Deo
promissionem exsoluerit, & obedientia, casti-
tate,

tate, ac paupertate egregium præstiterit religiosum, nō est nostri propositi dicere. In virginitate quidem etiam adhuc puerulus ita effloruit, ut in memorato Diui Michaelis templo, cū assiduīs ante Deum precibus incūberet, illud inprimis extorqueret, ut quo similior agnosponso virginum redderetur, virgo sine ullo corruptelæ inquinamento perseveraret. Dein vero ne in prædam tam insignis thesaurus iuuenili imprudentia verteretur, mulieres cōgressus fugiendos sibi esse penitus persuasit. Itaq; nullam omnino feminarum, aut quàm rarissimè fieri poterat, ad colloquium admittebat; nisi forsan aut peccatorum confessio, aut arcānū aliquod magni pōderis exegisset. Quin etiam pueros & comatulos adolescentes ita sibi esse cauendos cēsuit, ut ne Pōtiffex quidē, atq; adeo senex, iuniores diaconos & ministros, sed matura & peradulta ætate viros domi habere voluerit. Ocio perpetuū bellū indixerat, studijs autē literarū & orationib⁹ fuit, supra quam valetudo permetteret, deditissimus. Sōni ac cibi fuit parcissimus: Primus inter psallentiū choros ita vigilias adamabat, ut persolutis nocturnis laudibus nequaquam instar cæterorum se lecto componeret: sed, si somnus irruisset, postquam in parietem caput paululū inclinasset, aut in orationibus pernoctabat, aut certè lectioni, librisue conscribendis incūbebat. Institutorū sui ordinis erat obsequatissimus, ut ad lineā, vel ad apicē minima quæq;

*Tempe-
rantia.*

*Seuerus in
seipsum.*

quæq; tum in se, tum in ijs quos regendos susceperat, obiri vellet. Carnium edulio semper abstinuit, nisi ob aduersas valetudines quas multas & grauissimas passus est, interdum medicis cogeretur. Cilicio semper est vsus; sed & zona interdum ferrea ad nudam carnem cingebatur. Humi cubans, aut super tabulato re-supinus dormiuit. Si quando molliuscule recubasset eas delicias saccus paleis infartus exhibuerat. Atq; his instructus castimoniarum ad-miniculis, & virtutum præconijs clarescens ad-mouetur gubernaculis sui ordinis, tandemq; inuitus ac reluctans Episcopalibus infulis decoratur.

DE S. BRVNONE INVITA B. GOTHAR-
di Hildesheimensis Episcopi 4. Maij
apud Sur. Tom. 7.

HAbebat B. Pater Gothardus in monasterio suo iuuenem quendam nomine Brunonem pingendi peritum, cui vilia sua vestimenta & calceos dabat. Huic ab initio anni illius sæpissimè præcepit, vt se pararet ad proficiscendum secum in patriam Bauariam. Longè enim ante obitum suum crebrò dicere solebat, & quidem seriò, se patriam reuifurum: cumque permulti ad huius se itineris societatem offerrent, gratias agebat illorum erga se beneuolentiæ, solumq; Brunonem profectio-nis comitem delegit. Cumq; cum suis vestibus indui curasset, sic affatur: Id certò tibi psuade,

in

in hac te veste breui nouos rumores perceptu-
rum. His dictis exiuit puer, & mox febris cor-
reptus eadem hora vi morbi fractus decubuit.
Quod ubi Episcopo nunciatum, cautè & sine
molestia eum ad matrem perferri curat, vti
in dies deficientibus morbo viribus, tendebat
ad extrema. Similiter vero & ipse Episcopus
ingrauescente febris primo Holthusium, atq;
inde ad S. Mauritij mōtem in vigilia Ascensio-
nis Domini aduehitur, ubi ab Abbate sacro
perunctus oleo, deficiente iam penè loquendi
facultate, fratres optimarum consolationum
fomentis recreabat, ijsq; dimissis psalmos de
mōre recitabat, & cursum suum absoluturus
pernox vigilabat. Summo diluculo, peractis
precibus matutinis adest Clerus, admoneturq;
à sacro Præsule verbis supremis ijsq; paucis &
salutaribus de sacra religione & obedientia
accurate seruanda, atq; vltimum illis vale di-
cens abire iussit ad celebranda cum Abbate
Missæ solennia. Tum cubicularij sui Brunonis
recordatus, sciscitabatur anxie quānam habe-
ret, cognoscensq; eius desperari vitam, per
nuncium hæc ei mandauit: Consolare mi
puer, & confortare in Domino, quia iam tem-
pus instat, quo ad patriam æternæ felicitatis
reuera tecum proficisceris. Ea verba puer
lætus accepit, & nihil iam de præsentī vita sibi
meditandum existimans, ipso sacro dominicę
Ascensionis die salutare viaticum Dominici
corporis sibi dari rogauit. Eoque percepto,
beati

beati Antistitis pollicitationem iucundo animo præstolabatur. Cumq; hora decima fratres eadem die ad antistitem rediissent, pene officio linguæ destitutū, corde & mente psallentem inueniunt. Quatuor proinde pueros qui psalterium distinctè recitarent ad lectum utrimq; collocant. Quos audiens beatus pater tanquā ea melodia delectatus paulisper quieuit, nōnunquam etiam cum illis psallere iucūdū ei fuit: at vero præcipuos illos versus, q ad deprecādum Dominum valebant, apertis sursumq; erectis luminib⁹ altius vt potuit expromebat. Media nocte iam absoluto psalterio & sine eius euidentius apparente, matutinq; preces à fratribus inchoatę sunt, & cum ventum esset ad canticum Zacharię, vir beatus in supremo iam agone desudans, ægrè apertis oculis, cū hic versus cātaretur à Clero. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent: ille, Ad dirigendos, inquit, pedes nostros in viam pacis, & sub his verbis Antiphonę Ascēdo ad patrem meum & patrem vestrum, felicissima illa anima, tanquam suauiter obdormiente corpore, è carnis ergastulo soluta, migravit ad cēlos. Mox pulsatis campanis, fratres qui in monasterio felicem eius obitū vigilanter exspectabant, pro tam dilectę animę remedio, iusta funebria piē ac deuotē celebrabant. Bruno autem puer præmortuis iā membris & supremum vix trahens spiritum, vbiq; ra campanę perstreperē inaudijt, tanquam à somno

somno experrectus, rogat quid sibi pulsus iste velit. Mater dissimulans ad nocturnas ait preces pulsari. At ille simulationem redarguens, cur, inquit, mihi imponitis? Reuera cum hoc signo charissimus dominus meus celū ascēdit, & promissi prò dolor oblitus, me hic dereliquit. Surgite, & eleuatis manibus & cordibus eius dilectam animā diuinæ clementiæ commendate, & vt mei meminerit obsecrate, atq; quibus potuit viribus oculos attollens in cælū; O sancte præsul, inquit, ô pater humanissime per illum te adiuro ad quem vadis, vt nunc sis memor mei, nec me patiaris tibi supstitem manere in viuis, cui toties tuæ in patriam profectionis societatem promissisti. Ad has voces stupent qui aderant, dūq; postulata perficiunt, vix ad eum reflectunt oculos, cum iā cernunt exanimē, missisq; lachrymis gratulantur obtinuisse eum quod optarat.

EXEMPLVM S. IOANNIS DAMASCE-
ni 6. Maij. Sur. Tom. 3.

Ioannes Damascenus parenti suo lōge pijs-
simo, quasi quēdā merces rarę pietatis, diui-
no munere donatus, postquam intra priuatos
parietes cuidam Cosmę monacho & philoso-
pho doctissimo operā dedit, velut aquila quē-
dā, beneficio egregiæ indolis, studioq; prom-
ptæ voluntatis, ceu pennis, quibus in altum
subuolaret, utebatur. Ac primum difficulta-
tes grammaticas, argutias dialecticas ocyslimē
penetrauit. Dein moralē philosophiā ita didi-
cit, vt

*Humilitas.**Oppugnat
hæresin Ico-
noclasta-
rum.*

ut non solum mentem diligenter exornaret,
sed etiam animæ perturbationes cōprimeret.
Adhæc doctrinis sublimioribus, quas Phylis-
cen, Arithmetica, Geometria atq; Astro-
nomia vocant, probè tinctus atq; adeo infe-
ctus, magistrū suū vel ipsius testimonio sapi-
entiæ laude præcellebat. Tātis igitur Sophicis
thesauris circūfluens, nō solum ad elationis ac
superbiæ crimē trāsuersum se agi nō permittit,
sed arcanioris philosophiæ desiderio humilia-
batur, optabatq; immaterialis sciētiae lumine,
summę beatitudinis pretiosum indagare mar-
garitū. Dein sapientiæ fama clarescens à duce
Saracenorum, inter primos consiliarios inui-
tus diuq; reluctans cooptatur. Conflētabatur
id temporis Christi Ecclesia funesta tyranni-
de Leonis Imperatoris cognomento Isaurici,
qui non solum in cæsus piorum, sed etiam in
imagines diuorum sacrilego furore grassaba-
tur. Ioannes itaque mederi cupiens afflictis
Christianæ reipub. temporibus, contra erro-
rem iconoclastarum calamum stringere, & an-
tiquissimam Patrum traditionem sartam ac-
tectam conseruare agreditur. Imperator ve-
ro ut comperit nefarios suos conatus disertis-
simi viri oratione retundi, id nonnullis nego-
tij dedit, ut epistolam aliquam ipsius Ioannis
manu exaratam nanciscerentur. Qua accepta
Imperator simillima vnius librarij scriptione
fraudulenter mentitus Ioannis epistolā, quasi
proditionis ergo ad se missam, eandem ad Du-
cem

cem Saracenorum destinavit, Ioannemq; in
 extremum discrimen coniecit. Nec mora Bar-
 barus Iohanni dextram amputari & in foro
 suspendi imperat. Vergente autem in vespere
 die, ratus iam nonnihil iram Barbari Du-
 cis deferuisse, manum sibi donari postulat.
 Quam ille dein receptam mutilis artubus ad-
 aptans in oratorio domestico prono corpore
 ante imaginem Dei genitricis sese prostravit,
 cepitq; multis cum lacrymis ac suspirijs mi-
 sericordiam Dei exorare, ut dexteram illam
 qua pro Dei sanctorumq; honore strenue cer-
 tauerat, sibi restitueret. Cumq; mœrore ac las-
 situdine tandem sopiretur, vidit Deiparę Vir-
 ginis imaginem placidis lætisq; oculis ipsum
 intuentem atq; dicentem: Ecce sanitati manus
 tua restituta est: nunc igitur sine mora eam, a-
 lacriter aduersus grassantem ubique impiera-
 tem exerce. Experrectus itaq; vir sanctus, &
 incredibile ob sanata dextram exultans gau-
 dio, totam noctem cum familia in canticis &
 gratiarum actione consumsit. Protinus vero
 ad ducem sanatae manus fama perfertur, & ac-
 cersitus Iohannes praefectam iubetur manum
 exhibere: Tum barbarus rei miraculo stupe-
 factus, & innocentiam Iohannis agnoscit, &
 pristinae dignitati eundem restituit. At ille e-
 uanidos pertæsus honores, nolensq; illam ru-
 dentibus & populari auræ aptam fortu-
 nam in vitæ religiosæ portum
 sese recepit.

*Virgo Dei-
 para per se
 et illi ma-
 num resti-
 tuit.*

*Ingrreditur
 religionem.*

L

P V E R T -

PVERITIA S. STANISLAI EPISCOPI
Cracouiensis & martyris ex ea qua à Ioanne Longini
Canonico Cracouiensi conscripta est.

8. Maij. Sur. Tom. 7.

STanislauis pago Sciepanouio in territorio Cracouiensi obscuro quidem sed eius ortu dein celeberrimo originem duxit. Parentes habuit genere nobiles, valdeq; præstantes, & tali prole dignos. Patri VVelislao, matri Bogne nomen fuit, qui ambo præter insignem in pauperes liberalitatē, ieiunijs, vigilijs, alijsq; mortificationibus corporis nauabāt operam, verarumq; virtutum erāt perstudiosi. Cumq; rara per id tempus apud Polonos templa viderentur, VVelislauis in prædicto loco hortante eam coniuge sacram eodem exstruxit, adhibitis illi prouentibus, quibus eius ministri affatim sustentarentur: vestibus item sacris & vasis aureis atq; argenteis, cæterisq; quibus res diuina expleri solet. Templum autem dicatum fuit beatissimæ Mariæ Magdalænæ, cui magna animi deuotione vterq; singulariter erant addicti. Ad hanc ædem sæpe illi diurnis atq; nocturnis horis veniebant, feruenterque in preces incumbabant: certabantq; inter sese, ut alter alterum anteuerteret, & precandi diuturnitate superaret. Denique in exequendis Christianæ legis præceptis & institutis tales se præbebant, ut eorum vita alijs admirationi esset, & non multum à monastica discreparet. Iam trigesimum in matrimonio agebant

bant annum, vnico sterilitatis malo confla-
ctantes: prolemq; à Deo petebant, quam diui-
nis manciparent ministerijs. Vicens tandem
Bogna se concepisse, nihil de pristina tempe-
ratiæ & virtutis exercitatione diminuit. Cūq;
aliquando post lustratos meridie greges do-
mum ex ppinquo nemore se reciperet, apud
puteum non procul domo distantem, filium
elegantissimum sine vlla obstetricis opera pe-
perit, lotumq; in fonte nihil doloris aut debi-
litis experta domum incolumis asportauit.
Postquam vero parentes eius tali se filio au-
ctos viderunt, pari consensu perpetuam Dño
continentiam vouerunt, atq; religiose conser-
uârunt. Notatum vero deinceps in puero te-
neriore infantia perfuncto, sæpè illū molliori
relictō strato, humi, aut super paleas cubâsse:
vtrōq; parente admirante pueri indolem, &
sine monitore conceptā religionem, ad quam
rectè conformandam omnem dein curā & co-
gitationem cōtulerunt. Vbi primū licuit per-
gratam, literis & disciplinis liberalibus erudi-
endus traditur, ad quas discendas ingens ille
desiderium, ingenium docile, tenacemq; me-
moriā attulit. Mores ei erant verecundi, mo-
desti & ingenui, ab omni lasciuia ludisq;, qui-
bus pueri delectari solent, alieni. Tāta illi gra-
uitas, modestia & pudor in sermone, vultu &
actionib. inerat, tanta ad virtutē propensio, vt
nec iocari nec ridere effusius conspectus sit.
Vnde fiebat vt multi etiam graues viri in eius

*Mater Staa-
nislauum si-
ne dolore
parit.*

*Corpus suū
asperè tra-
ctat.*

*Morum
honestatē.*

*Temperan-
tia.*

*Misericor-
dia.*

amorem & admirationem prouocarētur. Parco & tenui sanè cibo & somno utebatur. Reliquum tempus literis percipiendis impendebatur, & si quid superesset, precibus dabatur. In ea puerili & tenera ætate tam erat erga pauperes misericors, vt quicquid bona parentum venia adipisci posset, ad illis elargiretur, facile daturus omnia, ni præceptorū seueritate puer modestus & pudibundus vetaretur. Vbi adolescentiæ metas attigit, vberioris doctrinæ capescendæ causa missus est Gnesnam, qua in vrbetum studia magis florere videbantur. Postquam vero etiam adolescentiam ea modestia & morum sanctitate & grauitate, omniumque illecebrarum contemptione exegit, vt in illa ætate iam senum obtineret auctoritatem, in ipso iuuentutis flore summo flagrans discendi studio in Gallias proficisci voluit, quod multorum sermone scholas illic florentissimas esse didicisset. Annuebant eius votis parentes & propinqui, impenfasque liberaliter cōferebant. Venit igitur Lutetiam Parisiorum atque illic in ius Pontificium perdiscendum incredibili sedulitate incubuit. Deinde ad Theologiæ studia se contulit. Mira erat in verbis eius suauitas, in factis comitate condita grauitas. Multi certè his animaduersis in dubitationem adducti sunt, ex media ne Polonia, an ex Gallijs ortus esset; adeo & literis & optimis moribus præclare instructus erat. Non minus enim vitæ & morū integritate, quam doctrina & eruditione

ditione delectabatur: quæ si in vno pariter
coniunctæ sint, non possunt non apud omnes
eum facile celeberrimum efficere. Procul ille
à se abigebat carnis voluptates, animū habens
virgineum, serenum atq; tranquillum. Sapi-
entia illi inerat supra ætatis mensuram, cui ad-
iunxerat virtutes alias, quas sibi cum primis
familiares effecerat. Contemnebat auaritiam,
mundi vanitates, carnis oblectamēta, inanem
& fallacem gloriam. Domabat corporis lasci-
uiam ieiuniorum frigore, & feminarum vita-
bat contubernia, angelicā in carne consecretans
puritatem. Quibus sanè egregijs animi virtu-
tibus id consecutus est, vt permultis bonis &
doctis viris non mediocriter diligeretur. Cō-
plures item viri graues è schola Parisiensi eum
hortabantur, vt vel Pontificij iuris, vel sacrae
Theologiæ doctorem se creari pateretur: sed
ille modestè recusabat. Cum esset Parisijs, in-
cessit eum cupido alicuius arctioris monasticę
cōplectendæ religionis, contemnendorumq;
honorum & dignitatum, quas in patria sibi ob-
uenturas non dubitabit, sed Dominus maiori-
bus eum certaminibus reseruans id non per-
milit. Septennio Lutetiæ in studijs cōsumpto,
in Poloniam cum instructa bibliotheca reuer-
sus est, & vtroq; parente mortuo, cum se locu-
pletem cerneret adire hæreditatem, omnes o-

*Castitas.**Domat
carnem
ieiunijs.**Paupertatem
amat.*

L ; sticæ

sticæ suscipiendæ vitæ cogitationem deposuerat: Sed hærebat animo, quam viuendirationem potissimum sectaretur, cum monastica quidem videretur tutior & trāquillior, sed contra formidaret abscondere credita sibi à Domino talenta. Ea tempestate Lampertus Cracouiensis Episcopus, cum Stanislauum fluctuare animo de vitæ instituto suscipiendo audisset, ad se accersito persuadet vt se in Clerum sinat cooptari, creatq; eum Cracouiensis Ecclesiæ Canonicum, ac deinde auctor etiam illi est, vt sacerdotio initietur. Quo in statu omnibus sui ordinis hominibus optimis exemplis præluxit, multosq; suis concionibus in Dei amorem incendit, doctrinam suam vitæ sanctitate & morum integritate mirificè ornans atq; confirmans. Tandemq; Lamperto in Episcopatu Cracouiensi suffectus, multisq; virtutibus & miraculis, clarus martyrij laurea coronatur.

EXEMPLVM S. GREGORII NAZIAN.

zeni Episc. 9. Maij. Surius

Tom. 3.

*Morum
maturitas.*

S Gregorius Nazianzo vrbe Cappadociæ oriundus, cum adhuc puer parentum moribus imbueretur, egregia naturæ indole ingenijq; dexteritate, æquales omnes adeo præcedebat, vt immatura ætas, grandioribus disciplinis quas adulti discere consueuerunt nequaquam officeret. Ac ludos quidem & pueriles

les lasciuias, cursuſq; & saltationes, vt inutiles
& meliorum rerum studio moram afferentes,
prorsus contempſit. Cum vero ætate iam ado-
leuiſſet, literarum amore succensus Cefaream
petijt, atq; illic cum præſtantiffimis quibuſq;
magiſtris cõſuetudine habita, doctrinaq; non
exigua collecta, in Palæſtinam migrauit: Non
ille quidem vt Rhetorum mores, ſed vt ver-
borum elegantiam, dicendique artem addiſ-
ceret. Dehinc Alexandriæ aliquantum com-
moratus, Athenas literarum parentem proſi-
ciſcitur. Itaque Parthenium mare turbulento
tempore atque ad nauigandum incommodo
nauiganti oborta horribilis viſu tempeſtas,
ſupremum vitæ periculum intentabat. Om-
nibus igitur corporis mortem deſlentibus,
iſe animæ ſuæ exitium atque internecionem
vtpote nondum baptizatus extimeſcebat, &
veſte concerpta ac querelis miſerabilibus ita
vectores exterruit, vt nemo eſſet, qui non
omni ſui iſius cura abiecta, illius luctui ſe
ſocium adiungeret. Itaque vt præſens ani-
mæ periculum euaderet, poſt multas pre-
ces & lachrymas voto ſe obſtrinxit, ſe, ſi ſal-
uus euaderet, & ad regenerationis lauacrum
perueniret, perpetua ſeruitute Deo deuin-
ctum ac deuotum fore. Hoc votum protinus
optata ſerenitas, tantaque tranquillitas con-
ſecuta eſt, vt iſe non modo Gregorius
per inſperatam ex tempeſtate ſalutem, Dei
manifeſtè miſericordiam, ſed & cæteri.

qui in eadem erant nauī, multisque erroribus implicati tenebantur, vnius ac summi Dei potentiam intelligerent, seq; pari cum Gregorio alacritate ad Christi fidem cultumque aggregarent. Postea vero quā nobilem illam florentemque Athenarum urbem attigit, magno omnium gaudio propter ingenij præstantiam fuit exceptus: quod etiam haud multo post Basilius Magnus Bizantio appulit: cuius consuetudine statim mirificè delectari coepit: adeo vt nihil mutua eorum familiaritate posset esse coniunctius. Eodem itaq; contubernio, eodem feruore, iisdem ingenij præfidijs, incredibiles in virtute ac sapientia progressus faciebant, eoq; scientiæ contento studio atq; infesso discendi ardore peruenerunt, vt in omni eruditione inter Atheniensium præstantissimos facilè primas tenerent. Atq; hinc duo illa belli fulmina accepit Ecclesia, quorum ingenia contra Arianum dogma præclarè exarserunt; vt iunctis viribus in hæreticorum præsidia, arcemq; improbitatis inuaderent, & vinctas eorum scelere & furore animas, ab exitio vindicarent. Postquam vero in patriam remigravit, & vndis baptismatis tinctus Christianæ militiæ nomen dedit, perpetuam sibi legem nunquam iurandi, quam deinceps accuratè obseruauit, indixit. Dein suæ promissionis memor, totum se Deo consecrare aggressus est, ac mundi honore contempto noctu atq; interdium veritatis splendorem ex fami-

*Laudata
societas.*

*Magna stu-
dendi ala-
critis.*

familiari sacrorum librorum lectione haurire satagebat. Et quidem dum hoc modo mente assidua in cælestibus versaretur, sæpe in somnis Christum perspicuè intuitus est, tanta cum animi sui voluptate, ut mûdo planè mortuus, nihil præter diuina cogitatione versaret: quam ille consuetudinem quoad vixit auidissimè complexus, magna viræ sanctitate atque innocentia emicuit.

Contem-
platio.

MARTYRIVM S. PANCRATII XII.

Maij. Sur. Tom. 3.

Pancratius in Phrygia Cledonio patre viro nobilissimo natus, cum Dionysio patruo suo Romam venit, quocum à Romano Pontifice conuersus, & vnda Baptismatis expiatus tanta pietate efferbuit, ut etiam ultro persecutoribus sese offerret. Cum autem ad eò glisceret indies paganorum in Christianos furor, ut indicta causa ad suppliciū mortemq; raperentur, inter alios comprehensus etiam Pancratius, propter nataliū splendorem Diocletiano oblatus est. Cuius ille pulchritudine stupefactus, & cōtinuo admirans, quod in tantilla ætate ad mortem pro Christi gloria sese offerret: consulo, inquit, tibi infantule, ut ommissa qua teneris vanitate mihi consentias, ne mala morte dispereas. Etenim perspicio ætatem tuam annos quindecim haud excedere. Et quia nobili profapia, patre videlicet Cledonio mihi amicissimo & carissimo natus es,

L 5 hoc

*Fortitudo
animi.*

hoc vnum abs te requiro, vt posthabita Christianorum insania tuis te natalibus reddas: & ego te honoribus & diuitijs auctum filij loco habebo. Quod si vero pietatis meæ monita contemnas, misera internecone inglorius deleberis. Ad quæ respondit Pancratius: Noli, inquit, frustra errare Domine Imperator, vt dum me contueris puerum annorum quatuordecim, credas mihi minus sensus aut scientiæ suppetere. Dominus enim noster IESVS CHRISTVS eam nobis intelligentiam contulit, vt nullos prorsus aut principum aut iudicum terrores timeamus. Porro Dij tui quos me hortaris colere, plani & impostores fuerunt, qui nec suis pepercere parentibus, & fratrum suorum se stupris contaminârunt: ita vt ego satis mirari non possim, quomodo non fœdum & turpe sit apud te illos colere, quorum si similes esse scires famulos tuos, iure in eos animaduertes. Diocletianus his auditis, iussit eum deduci in viam Aureliam, atque illic capite plecti. Turpe enim ipsi videbatur, vt à puero victus ignominia notaretur. Itaque Pancratius ad destinatum locum perductus, amputatisque ceruicibus è custodia corporis ad cæleste illud animorum concilium euolauit.

MAR

173
MARTIRIVM S. PETRI ADOLESCEN-
tuli 15. Maij. Sur. Tom. 3.

ADuersis Ecclesiæ temporibus, cum to-
tus orbis beatissimo martyrum sangui-
ne floreret, apud Lampfacum comprehensus
fuit Petrus quidam, egregie fortis in fide, ani-
moq; & corpore speciosus. Cumq; oblatus es-
set proconsuli, ait ad eum proconsul. Quis vo-
caris? Ille respondit: Petrus. Cui proconsul:
Christianus es? Plane Christianus, inquit, ego
sum. Mox subiecit proconsul: Nō tibi venit in
mentem, quæ decreta sanxerint inuidissimi
principes? Sacrifica igitur magnæ deæ Veneri.
At ille, Demiror, inquit, optime Proconsul te
mihi id persuadere velle, vt turpissimæ & im-
pudicæ mulieri sacrificem, cuius res gestæ non
possunt sine verecundia commemorari, cu-
ius historia quæ apud vos est eius arguit impu-
dicitiam. Quam cum vos publicū fuisse scor-
tum non negetis, qua obsecro vel fronte vel
mente, eam me adorare, eiq; sacrificium face-
re compellitis, & non potius suasores & au-
thores mihi estis, vt Deo viuo & vero, Chri-
sto regi omnium sæculorum, sanctarum pre-
cum & laudis offeram sacrificia? Audiens hæc
Proconsul iussit adolescentulum in rotis ex-
tendi, & lignis in orbem circumpositis, fer-
reis vinculis totum corpus eius adstringi.
Inde autem consecuta est corporis contri-
tio & conquassatio, ossiumq; dira comminu-
tio. Sed quanto maioribus Dei seruus afficie-
batur

*Fortitudo
animi.*

batur tormentis, tanto robustior existeret.
Itaq; constanti & intrepido vultu, ridens Pro-
consulis stultitiam & suspiciens ad cælum ita
ait: Gratiastibi ago Domine Iesu Christe, quod
hanc mihi dare dignatus es tolerantiam, vt
possim superare iniquissimum hunc tyran-
num. Vt vero vidit proconsul eum inuicta ef-
se animi constantia, nullisq; licet immanibus
cedere aut succumbere cruciamentis, iussit e-
um gladio percuti. Atq; ita Petrus corporeis
laxatus vinculis, ex his tenebris in lucē illam
gloriosus martyr excessit.

EXEMPLVM S. PETRI DE MORONO,

qui Summus Pontifex creatus dictus est Cale-
stinus V. 19 Maij. Surium

Tom. 3.

Petrus vir eximia virtute in Aprutijs in
partibus Italiæ natus, spiritu quam carne;
& animo quam origine nobilior, patrem ha-
buit Angelerium, qui ex Maria coniuge sua in-
star Patriarchæ Iacob, filijs duodecim à Deo
ditatus, parem cum sancto Patriarcha Deo ser-
uitutem exhibere studebat. Vacabat sedulo
pietatis operibus, & quantum per facultates li-
cebat, curandis pauperibus assiduo operam
dabat, Deoque, vt de data sibi prole vnum
quempiam diuino seruitio dignum deligeret,
continuis suspirijs & orationibus vterq; sup-
plicabat. Neq; spe sua fuere frustrati. Nam ex
duodecim fratribus velut alterum Ioseph à
Deo

Deo singulariter dilectum, diuina prouiden-
 tia multis indicijs mirabilibus declarauit. *Ad pietatem*
 Cumq; vix sextum attigisset annū, tanta tamq; *tempo-*
 mirabilis in eo diuina gratia relucebat, vt ni- *pensus.*
 hil sanctum ac religiosum perciperet, quod
 non alta mente reconditum seruaret. Vnde &
 de cordis sui thesauro bona proferens, matri
 suæ sæpe dicere solitus erat: Bonus Dei seruus
 esse percipio. Extincto dein parente Petrus
 literarum studijs admouetur, quorū felicem
 decursum dæmon compluribus modis impe-
 dire nequicquam allaborauit. Erat puer iste
 simplicissimus adhuc, & iam primum psalteri-
 um leſitare didicerat, cum beatissimam Vir-
 ginem & S. Ioannem Euangelistam stantes iu-
 xta crucem Iesu sæpe deuotè intuens visus est
 sibi videre Apostolum ad se descēdere, & psal-
 mos dulcissima voce cum ipso cōsolando de-
 cantare. Angelos quoq; de cælo lapsos, velut
 pædagogos suos, eum instruēdo, vidit in som-
 nis sibi assistere: Et si quid forte puerili more
 cum suis coætaneis minus decens, aut dicere, *Ab angelis*
 aut facere, à diabolo tētatus fuisset, suauiter *officij ad-*
 increpatione, piaq; castigatione corrigere. In- *monetur.*
 dē paulatim culmen perfectionis ascendens,
 tota mente noctu atq; interdiu cēlestia pertra-
 ctare cœpit: & matri signis minimè dubijs
 spem, quam de eo conceperat, certam osten-
 dere. Itaq; puer sanctus vt primum adolescen-
 tiæ annos attigit, incredibili amore solitudi-
 nis & eremiticæ vitæ flagrare cœpit: Et ne
 qua

*Eremiticā
 vitā expo-
 nit.*

qua dæmonis fraude circumueniri posset pri-
 mum Romam profectus, consilium à Summo
 Pōtifice sanum saluberrimumq; accepit. Quo
 in itinere omni humano destitutus cōsortio,
 post multos labores, terrores & pericula ad
 mōtem quendā peruenit, vbi omisso Romani
 itineris proposito paruam corpusculo suo ap-
 tam formauit faueā, in qua annos tres in sum-
 ma admodum vitæ austeritate peregit. Hoc
 vero in loco inter multas diuinę bonitatis cō-
 solationes, mirum quantas in suę conuersatio-
 nis principio diabolicę malignitatis pertule-
 rit insidias; & quā inuicta virtute insultus ini-
 mici repulerit. Exacto demū hoc trienio Ro-
 mam petijt, vt sacerdotali benedictione ac be-
 neficio dotatus, multo virilius pro sua alio-
 rumq; salute contra hostiles impetus dimica-
 ret. Itaq; sacro presbyteri auctus officio, mox
 ad montem Muronis abiit, vbi in crypta qua-
 dam quinquennio angelicę vitæ puritatem ex-
 mulatus vixit. Cumq; ibidem degens omnium
 rerum terrenarum & corporis etiam consue-
 tudinis oblitus, cęlesti splendore in dies magis
 magisq; illuminaretur, sentiretq; interim hu-
 manę carnis fragilitatē spiritui obluantem,
 & interdum nocturnis pollutionibus corpus
 inquinantem, animo vehementer angi cœpit,
 an deinceps sacrosancta immaculati corporis
 & sanguinis Christi mysteria offerre deberet.
 Ea fluctuatio cum in dies vehementius eū per-
 turbaret, nocte quadam visus est ei in somnis
 ipse

*Magna vi-
 ta austeri-
 tas.*

*Quinquen-
 nio in cryp-
 ta degit.*

ipse Christus assistere, qui vanos illos cōscien-
tiæ stimulos à malo spiritu fraudulenter im-
missos sustulit; docuitque ac monuit, propter
huiusmodi diabolicas illusiones & carnis ille-
cebras, quàm diu illis animus repugnat, à spi-
ritualium exercitio mysteriorū, neutiquam
cessandum esse. Laxatus igitur infelici lanian-
tis conscientie scrupulo, magno est gaudio de-
libutus, & vt præclariora de hoste trophæa e-
rigeret, vastiorem expetens solitudinem, ex
Muronis ad Magallæ montem se contulit, in
quo nouas variasq; dæmonum insidias rursus
expertus, gloriosum semper triumphum de
hoste reportauit. Nec defuerunt in medijs p-
cellis consolationes, & angelorum ministeria,
qui appositis dapibus ei ministrârūt, & ingen-
ti perfusum gaudio recrearunt. Nec mirum sa-
ne, adeò namq; diuinis assueuerat alloquijs, vt
corporeo cultu & cibo potuque plane negle-
ctis, dies noctesq; precibus & hymnis & diui-
nis meditationibus iungeret, & fatigatos vigi-
lia, cadentesq; oculos, tamdiu in opere conti-
neret, quoad somno & lassitudine oppressus,
vbi fors ferret tandem aliquando succumbe-
ret. Et quanquam exhausta ieiunijs membra
promptissime spiritui obtemperarent, ne ta-
men insurgētes interdum rebelles carnis mo-
tus, tranquillum animi statum labefactarent,
asperrimo corpus cilicio domabat, catenaque
ferrea cinctus, lasciuentes lumborum motus
superabat, En victoriam, en arma.

*Mira pie-
tas & de-
uotio.*

Carnem cilicio & ieiunijs edomant.

EXEM-

EXEMPLVM PRAECLARISSIMVM S.

Bernardini Senensis Franciscani 20. Maij

Sur. Tom. 3.

IN Senensi vrbe ex nobili familia Albize-
schorum, Bernardinus, patre Tollo, matre
vero Nera ortus, ab ipsa infantia praeclarum
sanè virtutis de se specimen semper prae-
buit. Hunc sexennem utroq; parente orbum Dia-
na matertera non secus ac proprium filium e-
ducauit, magnoque opere & bonis moribus &
deuotione erga Christi matrem cum imbuere
conata est. Etsi autem instar puerorum in qui-
busdam etiamnum pueriliter se gerere vide-
retur, ceteros tamen condiscipulos in multis
excelebat, in grammaticis institutionibus &
literis perdiscendis longo post se interuallo
eos relinquens, eratque eo ingenio & solertia
etiam ad ea cōficienda quae arte & manu fiunt,
ut Massani omnes eum admirarentur, certoque
sibi persuaderent illum in virum insignem e-
uasurum. Singulari autem studio ferebatur ad
prestādas eleemosynas, nec vlla re adhuc puer
magis delectari videbatur, quam si posset pau-
peribus benignè facere. Accidit quandoque ut
parum panis in ædibus Dianæ reliquum esset;
quem cum illa pauperi stipem poscenti dare
abnuisset, sic eam pius puer est allocutus: Que-
so, inquit, erogemus quiddam in hunc paupe-
rem: alioquin ergo hodie neque prandium neque
cēnam sumpturus sum. Egenum enim hoc
pane quam me reiectum malim. Ex in vero et
iam

Misericor-
dia.

Reuerentiam.

iam ieiunij sibi legem constituens singulis die-
bus sabbathi ad honorem sanctissimæ matris
Dei ieiunauit. Senas porro anno ætatis tertio-
decimo reuocatus, Onuphrio præceptore v-
sus fuit, miraq; discendi celeritate coætaneos
omnes superauit. Erat cunctis affabilis & cha-
rus, honestus quoq; pius ac deuotus. Aras sibi
in teneriore ætate semper extruebat domi, e-
asq; vt potuit ornabat. Ductus interdum ad sa-
cras conciones, cum domum reuertisset con-
uocabat pueros, eisq; tanquam pro concione,
puerili simplicitate, & magna dexteritate di-
cebat, quæ ex auditis memoria retinere potu-
erat. Eundem graui testimonio & varia lau-
de ornare solebat Ioannes Spoletanus totius
honestatis speculum & moralis Philosophiæ
Præceptor egregius: neminem videlicet Ber-
nardino doctiorem è scholis suis vnquam p-
dijsse, nec vidisse se vnquã studiosum vllum,
qui tam omni esset honestate & integritate
præditus, quippe ex cuius ore nūquam sermo
turpis profectus esset, & qui neq; verbo neq;
nutu, neq; signo aut vlla significatione quicq;
præ se ferret aliud quam purissimam honesta-
tem. Testabantur adhæc cōdiscipuli eius, tan-
ta morum honestate & probitate eum fuisse,
vt si quid audisset turpiter dici, adeo commo-
tus fuerit, vt rubore haud aliter suffunderetur,
ac si quis colaphum ipsi infregisset. Vnde fa-
ctum est, vt si fortè pueri & adolescentes in-
ter se de rebus parum honestis verbā miscerēt,

*Morum
honestas.*

*Pudicitia
observans.*

*Turpilo-
quijs valde
insensus.*

M viso

*Morum in-
tegritas.*

viso Bernardino mox dicerent: Facestant hi sermones: ecce enim Bernardinus adest. Tantum enim autoritatis ei integritatis opinio conciliarat. Cuius porro quidam lasciuo eum verbo affatus, non leuiter ab eodem confusus discessit. Sentiens enim pudicissimus adolescens quorsum ille tenderet, sub mēto grauius eum percussit, qui astantium multitudine pudescit, repente ab eius cōspectu se subduxit. Alius quidam improbus cuius per id tempus erga Bernardinum adolescentem verbis ac nutibus inhonestis suum impurū animi desiderium crebrius indicauit. Itaq; Bernardinus, rogat quodā suę ætatis honestos adolescentes, vt sibi essent adminiculo, quo ab illius scelesti hominis vexatione se excuteret: qui cum viso Bernardino etiam ostensis nūmis aureis pudicissimum adolescentem allicere tentasset: ille generosa virtute opportuno eum loco aggredditur; simulq; exclamat. Inique, sceleste, flammis exurēde: Ad eum, ad eum, ad eum, simulq; crebris ictibus onerat mastigiam. Mox socij iungunt voces, & lapidib⁹ fugientem insectantur, donec ē cōspectu sese abripuit. Quāobrem tanta apud omnes pudicitie & integritatis eius fama percrebuit, vt nō solum nihil ipso audiente domesticorum quisquā impudicē loqui auderet, sed cunctis potius esset venerationis. Etsi autē semper iucundū, alacrem, affabilem, cōmodum, officiosum omnib⁹ sese exhiberet, non tamen nisi bonis, maximē autem spiritua-

*Seueritas in
impudicos.
Laudabi-
lis societas.*

libus

libus & religiosis viris familiaris esse voluit, idq; tam in scholis quam alibi. Postquā autem adoleuit, relictis scholis triuialibus & studiis philosophicis, in quibus præ ceteris excellēbat, ad sacros Canones discendos se cōtulit, in eoq; studio triēnio accuratē versatus est. Plurimum vero delectabatur sacris literis; quas vbi degustare cōepit, reliqua studia nullius cōstimabat, nec quicquam ei extra diuinas scripturas sapiebat. Vbi decimum & septimum ætatis annum attigit, Tobiam cōsobrinam suam crebro visitabat: quæ præterquam q̃ institutum S. Francisci profiteretur, ob insignem morum integritatem, studiumq; deuotionis, & pietatis in omniū oculis versabatur. Cui etiam Bernardinus anno ætatis suæ tricesimo primo Senis peste laborans, cū iam medici spem salutis eius omnem abiecissent, in ipso propē mortis articulo cōfessus est, se corporis integritatē, prorsus inuiolatam seruare. Huic vni Bernardinus lo-
Virginitatem integerrimam coluit.
 qui solebat, cum aliarum feminarū colloquia deuicaret. Cū autem esset eximius cultor sanctissimæ Deiparæ, dicebat quandoq; Tobia: Ibo visum amicam meā: itemq; rursus alio die. Adibo amicam meā sane pulcherrimā: Tobia hæc per iocū dici rata, percōtabatur. Quenā illa esset, & vbi moraretur. Respōdit ille: Amica mihi est lōge formosissima, cuius ego amore planē captus sum, est autē extra portā Gamollicā. eāq; ego quotidie soleo interuifere, nec videor mihi somnū capere posse, nisi pri⁹ mihi cōspe-

M. 2 Etā sit. To-

Tobia nihil dum certi intelligens, vt se prauæ suspicionis occasione liberaret, remq; certius exploratam haberet, altera luce extra portam illam Bernardini aduentum è loco occulto operiebatur. Veniens itaq; Bernardinus solus, & coram imagine Beatissimæ Matris Dei, quæ supra portam illam elegantissimè picta habebatur, nuda curuat genua, eiq; pijsimas offert preces, ac dein domum se recepit. Quod cum iterum tertioq; obseruasset. Dic, inquit, mihi sodes fili charissime, quænam sit isthæc amica

Deuotio erga B. Virginem.

abs te adeo dilecta? Cui Bernardinus: Non te, inquit, celabo solam, captum me esse amore beatissimæ Virginis & matris Dei Mariæ, quam semper amaui, in qua post Deum omnes spes meæ collocatæ sunt. Illam vnicè diligo, illam inquiri, illam videre concupisco: quod cum in hac vita non liceat, constitui eius amore quotidie inuisere eius imaginem, quæ in Camollia est, quod ea mihi & cæteris huius vrbis elegantior, & eius maiestate dignior videatur. Hæc est igitur amica illa mea & spes mea pijsima virgo Maria. Hæc vt audiuit Tobia, cum lachrymis eum complexa dixit: Reuera, fili mi, non obtinuit mentem meam sinistra vllade te suspicio, sed non nihil cœpi hesitare propter fraudes & machinas antiqui serpentis, quas debemus modis omnibus cauere. Sed tu fili à Deo benedicte egregiam tibi & insignem delegisti amicā, optimum salutis tuæ præsidium, peccatorū omnium certissimam spem & retu-

& refugium: illam quæras, illam sequaris, om-
niq; animi deuotione illi confidas. Nullum e-
nim post Deum salutis tuæ fulcimentum vali-
dius habere potes, quam ipsam pietatis & mi-
sericordiæ matrem, à qua nemo vnquam, qui
illi benè confideret vacuus recessit. Perseue-
rauit autem Bernardinus in hac imaginis hu-
ius uisitatione multis annis, & cum iam in mo-
nastica religione consenuisset, testibus eius so-
cijs non raro eandem inuisit. Vt vero dein-
ceps arctiori se vinculo diuinis seruitijs atq;
officijs pietatis obstringeret, confraternitati
disciplinatorum, seu benè moratorum B. Ma-
riæ virginis quæ est in domo hospitali dela
Scala, nomen dedit. Vbi uisitatas preces, cor-
poris flagellationes, aliaq; tum iucunda tum
aspera exercitia, præ cæteris ipse copiosius se-
ctabatur. Multis annis in vestibulis suis dormi-
uit, non tam in lecto quam scamno. Cibus &
potus eius communis quidem sed parcus erat,
neque inuenio vel in delicatis escis excessum,
vel in vilibus singularitatem. Erat præterea
iucundus, affabilis, humilis, omnibus se accom-
modans, tristitiæ, torporis & ignauix hostis:
In actione strenuus & assiduus: irasci malo a-
nimo nunquam visus est. Ante omnia autem
vel maximè in eo excelluit laus pudicitix &
honestatis, quam præ se semper ferebat, nuti-
bus, verbis, & factis, ita ut nullus hac in parte
adolescens ei pollet æquiparari. Sæuiente
porro peste illa terribili anno 1400. innumeri

*Seuerus in
saisum.*

*Tempe-
rantia.*

Pudicitia.

M 3 pere-

peregrini Romam Iubilæi causa commeantes,
ad celeberrimam illam domum hospitalem
B. Mariæ virginis, quæ Senis est, confluxere: au-
gebaturq; valde numerus ægrotorum, è qui-
bus quotidie interdum octodecim contagio-
sa lue correpti extinguebantur. Ad eam cala-
mitatem etiam hoc mali accedebat, quod fra-
tres duo & viginti, feminæ octodecim, sacer-
dotes nouem, clerici quinque, pharmacopolæ
sex, famuli sexaginta, cuncti ægrotorum mini-
sterijs deputati, eadem calamitate absumptie-
rant. Bernardinus itaq; annum iam natus vici-
simum, vt vidit egrotantibus deesse ministeria,
zelo incitatus, pestiferam contagionem nihil
metuens, multis hebdomadibus ægris officio-
sissimè ministravit. Tantæ vero multitudini
curandæ imparem sese aduertens, duodecim
religiosos & pios adolescentes ad se vocat eos-
demq; hortatur, vt vnà cum ipso pauperum sese
obsequijs dedant. Dicit eos qui pauperi serui-
ant ipsi Christo seruire: & si tali occasione de-
cedant è vita, pro Christo eos mori: nihil vero
homini Christiano debere esse antiquius &
optatius, quam Christi causa vitam suam pro-
fundere, cum ille suam nostri causa perdid-
erit. Deinde addit. Simus omnes fratres: Deus
sua ope aderit nobis. Videtis fratres ignem ac-
censum esse, iam pene orbis illo conflamat,
securis arbori admota est, falx messem solici-
tat: quid nobis de vitæ nostræ prorogatione
polliceri possumus, cum & alios quotidie vi-
deamus

*Misericor-
dia erga æ-
gros.*

*12. sibi col-
legas ad-
sciscit.*

deamus mori, & plerosq; etiam intimos sodes,
 les, propemodum ante exire è corpore, quam
 morbo correpti videantur? Nos si in his chari-
 tatis officijs obierimus, ad Dominum euolabi-
 mus: sin autem superstites manserimus, quo-
 ad victuri sumus semper lætabimur nos Deo
 nostro in eius pauperibus hæc officia præsti-
 tisse. Suasit & persuasit. Tum mox ex homolo-
 gesi peccata expurgantes, sumpto viuifico Eu-
 charistiæ epulo, iucundis animis & magno fer-
 uore curam morbidorum ordiuntur. Ante
 omnes autem Bernardinus dabat operam, vt
 quoad eius fieri posset, semper omnib⁹ coram
 adesset. A stabat diu noctuq; egrotantibus, phar-
 maca parabat, cibos pro singulorum qualitate
 porrigebat, sordes omnes illic necessariò fe-
 rendas, ipsæ præ alijs amouendas desumpsit:
 non labore, non vigilijs non intolerandis fæ-
 toribus frangebatur: sed ea semper alacritate
 & spiritus viuacitate illis seruebat, ac si vel
 parentes, vel filij, vel fratres sui essent. Cum
 enim Dei amor tanti laboris ac difficulta-
 tis perpetiendæ præcipua ei esset ratio, Deo
 utiq; seruebat, quem patre, fratre, liberisq; o-
 mnibus merito iudices potiozem. Aegrotis
 ex animo condolebat, adeo vt etiam cum illis
 vnà ploraret: interdum vero etiam ridebat,
 canebat, blandiebatur, inque omnem sola-
 tij formam se versabat. Cum erant ex hac vita
 migraturi sacramenta illis ministrari effecit:
 vita functos vesperi sepulturæ mandabat.

*Ingens er-
 ga egrotos
 charitas.*

M 4 Pere-

Peregrinis ferè innumeris ad vesperam aduentantibus cibos & lectos apparabat: si lecti, alioqui multi, non sufficerent, sternerat humi pannos, ita vt nulli deesset commodus capiendæ quieti locus: crebros quoq; excitabat ignes & suffitus grati odoris, spargebat multum aceti tota fere domo, vt corruptus aer salutem aliqua ex parte corrigeretur, ministrique tantò libentius suam operam ægrè affectis nauarent. Et diuina quidem ope protectus Bernardinus nunquam hic aduersa laborauit valetudine; sed semper promptus, alacer, vigil & indefessus, dictis & factis ægros illorumque ministros confirmabat. Cumq; iam amplius quatuor mensibus in ea domo sedulo ministrasset pestisque sopita esset, domum se recepit. Nec multo post intellecto, amitam suam Bartholomeam genere ac sanctitate nobilem, (quæ iam prope nonagenaria, cæcitate & neruorum dissolutione laborabat, nec ægros artus lectulo moliri poterat) necessaria opera & ministerio destitutâ esse, suis ei manibus, tanquã paræti suæ officiosè inseruiuit. In quo ministerio anno integro & eo amplius versatus est, donec optima matrona p̄soluta naturæ debito migravit ad cēlos. Tandē Bernardinus ad sanctiorē viuendi rationē aspirans, cū necdum deliberasset, q̄ genus monasticę religionis potissimum deligeret, decreuit habitare secū, vt ita priuatim virium suarum facultates experiundo metiretur: cumq; sibi loco occulto sa-

*De vita
statu delin-
berat.*

cellum ac altare cum imagine Christi è cruce
pendentis adornasset, precibus, vigilijs, ieiu-
nijs, flagellorum ictibus, cilicio, alijsque pie-
tatis exercitijs sese afficiens, idque & crebrius
& seuerius, quam antehac conlueisset, accura-
tissimè vires explorauit suas etiam vsque ad
herbarum victum & aquæ potum sese pericli-
tans. Cumq; ardenti prece supplex à Deo gra-
tiam posceret, potioem æternæ salutis viam
deligendi, non dubio ipsius instinctu religio-
nem sancti Francisci complexus est. Erat tunc
annos natus duos supra viginti, quo tempore
tanto spiritus feruore, & vitæ asperitate Deo
seruuit, vt hominum mundo deditorum in-
sulso iudicio, non tam Deo seruire, quam de-
lirare putaretur. Tantis deniq; incrementis
Bernardini virtus succreuit, vt egregium to-
tius, tum ordinis, tum orbis Christiani lumen
extiterit: quod eadem prorsus die Senis obor-
tum est, qua insigne illud virginum iubar &
speculû S. Catharina Senensis terris occiderat.

MARTIRIVM S. ANDRÆ DE CHIO:

29. Maij, à Georgio Trapezuntio scriptum.

apud Sur. Tom. 7.

BAndreas cum quadam vice febribus gra-
uiter laboraret, cælibem se perpetuo fo-
re Reginæ misericordiæ vouit si euaderet. Se-
datis illico febribus paulo post quasi ex mor-
te surrexit, & albis se vestimentis induit, vt
scilicet nunquam obliuisci posset munditiem
corporis, quâ matri Creatoris obtulerat. Con-

M 5 stan.

*Austeritas
in affligen-
da carne.*

stantinopolim deinde petijt, nō vt mercator,
aut vagus quispiam magnarum vrbium vifen-
darum cupiditate illectus: summa enim in iu-
uene viginti & septem annorum grauitas at-
que constantia illucebat: rarō quis inane ver-
bum ab ore ipsius excidisse audiuit: à ioco e-
nim penitus erat alienus. Cur igitur iuit? à gra-
tia Dei, vt ego arbitror, ad martyriū vocaba-
tur. sit inter martyrum choros Christo glo-
riosus assisteret, & Christianæ constantia ma-
gnū præberet hostibus argumentum. Sta-
tim verò vt in urbem appulit cum se Chri-
stianis ibidem sociasset, tanquam desertor Ma-
humetis, & transfuga falsissimè accersitur. I-
taque detectis maleuolorum insidijs cum ni-
hilominus vinculis teneretur, ad negandam
Christi fidem varijs modis impellitur. Sed
cum oblatos sibi militiæ honores à rege con-
stanter contempsisset, omnemque huius secu-
li felicitatem flocci fecisset. Statuire, inquit,
in me quicquid malueritis: vnum rogo, ne
me verbis amplius tentetis. His dictis conie-
ctus in carcerem manibusque ac pedibus alli-
gatus ad meridiem sequentis diei, qui fuit 20.
Maij iacuit. Post meridiem statim protrahi-
tur, & in partem vrbis, quæ orientem spectat,
prope mare ducitur, vbi ad palum nudus alli-
gatus, flagellis ac loris suprâ quam dici queat
dirissimè cæditur. Principio quidem fla-
gellorum contremuisse dicitur, & manibus
ad pectus contractis, ac digitis in pugnum
com-

*Fortitudo
animi.*

compressis magna exclamasse voce. Virgo Maria adiuua me. Deinde pedibus adductis, stetit rectus in iisdem vestigijs, mirabile dictu, usque ad solis occasum. Interea dum miles Christi his cruciatibus exercetur, Trapezuntius quidam ex edita turri in qua detinebatur, acclamat: O felicem Christianum, ô beatam quæ te genuit insulam, ô nobilissimum atque omni laude dignum genus, vnde prognatus es: Utinam isthic essem tecum, vt eadem paterer pro Christo. Carnifices autem Andrea reducto, multis lacerata eius membra medicamentis fouebant; vt vitam longius in tormentis extraheret. Postridie ad eundem locum producto tergum ferreis vncis discerpitur, nec quicquam aliud dixit fecitque Christi miles, quanquam primo contremuit, manusque ad se adduxit, digitosque in pugnos contraxit, magnaque voce clamauit: Virgo Maria iuua me. Similiter & Trapezuntius eadem quæ pridie repetens vociferabatur. Sub noctem vero rursus medicamentis illinitur, quasi charam Crucis hostes salutem eius haberent. Sed virtute diuina quod medicamentis impossibile erat, in alterum diem reperitur incolumis, & ad pœnas à meridie producit, ac manus & pedes sic torquentur, vt ne digitorum quidem articuli, nec cubitus nec genua in locis suis remanerent, qui dolor maximus est omnium. Cætera similiter gesta dictaque,
nec

nec aliud in principio dolorū dixit, nisi: Virgo Maria iuua me: Trapezuntio interim ut prius acclamante. Medicorum adhuc diligentia etiam maior solito fuisse perhibetur. Altera iterum die non medicorum arte sed diuina virtute processit incolumis: & iam nouo genere cruciatus humeri carne nudantur, ea tamen ratione habita, ne morti velocius succumberet: sed diuturnitate suppliciorum frangeretur. Adhibetur sub noctem medicamenta & vinculis iterum mancipatur. Sequenti luce eodem in loco clunes B. Andreae, carnibus, adhibitis nouaculis, spoliantur, idque sensim, ut proluxior esset doloris acerbitas. Cætera omnia similiter acta ut superioribus diebus, eadem ingeminante Trapezuntio. Postera die quæ 25. fuit, partes pedū quæ inter genua clunesque sunt carnibus similiter denudatur. Vigesima sexta vero, carnosæ partes pedū, quæ inter genua & poplites sunt, similiter carnibus spoliantur. Vigesima septima die, femur, quæque circa ipsum sunt corporis partes, excoriantur. Vigesima octaua, totum corpus à capite ad pedes verberibus cæditur, ut doloribus renouatis tandem moueretur. Maxillarum quoque altera vno ictu carne nudata est, quam Christiani rapientes seruarunt, fuitque in Monasterio beati Francisci odore fragrans inusitato. Vigesima tandem nona eiusdem mensis die producit Andreas de Chio iam diuerso martyrio nobilis, sanus, viuax, vultu læto, decora facie,

cie. Mahometista cum hoc sanitatis benefici-
um suis medicamentis acceptum ferrent; eiusq;
ingratitude redarguerent, mortem mi-
nantur. Quibus ille: Non est mors sic mori, ait,
sed vita. Quare nolite putare, me verbis ve-
stris terreri posse: nec medicamenta vestra p-
fuerunt, quæ vix multis diebus aliquid effici-
unt. Me autem Crux Domini nostri Iesu Chri-
sti, & Virgo Maria ad hunc diem conseruauit.
His dictis securi caput supposuit, & ad cælestia
regna euolauit.

I V N I V S.

MARTYRIUM PONTICI PVERI XV.

annorum, in historia martyrum Gallicanorum.

2. Iunij apud Sur. Tom. 3.

Cum fortissimi Christi martyres apud
Lugdunum Galliæ ad sanguinem ac ne-
cem usque pro fide constantissime dimicarent,
inuentus est etiam puer ætate quidem imbel-
lis, at animo ac virtute viris superior; qui per
diuersa tormenta martyrij lauream prome-
ruit. Hic cum in Amphitheatrum quotidie
ad spectanda cæterorum supplicia introduce-
retur, & iurare per idola gentilium cogere-
tur, nequaquam obtemperauit. Videns itaq;
vesana multitudo se despiciatui haberi, nihil
adolescentuli ætatem miserata, asperè & fero-
citer sæuebat. Omnibus igitur tormentis e-
um obiectare, & per quoduis supplicij genus
agitare cœperunt. Cæterum Ponticus post
omnia cruciamentorum genera viriliter &
magno

magno animo tolerata, extremum spiritum edidit, atque ad æternos triumphos victor commigravit.

EXEMPLVM S. MEDARDI EPISCOPI
Noviomensis 8. Iunij apud Sur. Tom. 3.

*Miseri-
din.*

Beatissimus Medardus egregia sanctitate vir, patre Nestardo, matre vero Protagia natus, à teneris vnguiculis magna vtriusque parentis diligentia educatus fuit, studioq; literarum adhibitus, breui inter sodales suos scientiæ laude emicuit. Porro adhuc puerulus adeo plicata erat in pauperes misericordia ut semet multa abstinencia macerans, victum ac vestitum necessarium sibi detraheret & pauperibus perbeneuolè largiretur. Quadam siquidem die cæci cuiusdam nuditatem miseratus, vestem non modici pretij sibi à matre donatam, eidem benignissimè porrexit. Et quanquam non raro ea propter parentum indignationem incurreret, pius tamen puer nullo modo ab eo benefaciendi studio auocari poterat. Cum die quodam eius parens ex itinere fessus, equos suos in prato ei custodiendos committeret, puerq; fortuito hominem quendam ephippio onustum pertransire videret, percunctari coepit, qua de causa tam graui onere semet fatigaret, cum ipsa via satis laboris & molestiæ adferret. Cumq; ille mœsta voce equum sibi deperijsse quereretur, puerum tantæ fatigationis miserescebat, vidensq; cum sudantem, adeoq; pene defi-

deficientem, ex pijsimo mētis affectu, In nomine Domini, ait vnum ex his tolle, quos hic in custodia asseruo. Viator vero id facere veritus & aliquantulum cunctatus, ipso insuper puero hortāte, equo donatus abcessit. Dehinc per ministrum ad prandium accersitur, qui e minus eum cōspicatus propter effusam imbrum vim latebram quārentem, volitare super eum aquilam, omnemq; pluuiam diducto alarum remigio auertere stupens animaduertit. Puer autē venire recusans, precor inquit, frater, vt domū reuertens me super hoc excuses. Parentes audito miraculo cum familiaru certatim ad locum, in quo Medardus morabatur, & visu probant, quod auditu didicerant: tum vterq; super filium illachrymantes, Deo puerum cōmendant, & multa cum deuotione, carissimæ suę sobolis innocentiam pertractāt. Interea milites quibus equorum cura incumbat, recēsisit equis vnum de esse reperiunt: quem à puero requirētes, blande ac leniter paruulum demulcent, si quo pacto per eum iactura posset resarciri. Cumq; à famulis ea de causa & priuatim & publicē argueretur, appropinquans patri, rem ei ex ordine pādīt. Miratur pater filij benignitatem, & licet de damno sibi constaret, tamen de optima pueri indole sibi plurimum gratulabatur. Atque hinc inualefcere cēpit diuino miraculo ornata Medardi misericordia. Nam cum denuo equorum suorum sollicitē recenserent numerum, diuina

*Equum esse
misericordia
alteri
donat.*

diuina sic operante potentia, nullum ex ijs
 prorsus desiderarunt. Mirantur astantes, fa-
 milia tota lætatur, amplexantur filium paren-
 tes, & eiusmodi sermone compellant: Fili, a-
 iunt, omnia nostra tua sunt: vtere tuo patrimo-
 nio ad Dei gloriam prout liber, vt nos tecum
 consortes perennis vitæ habeas in præmio.
 Non quippe diffidebant se eius oratione sal-
 uari, quem tantis à Deo virtutibus illustrari
 videbant. His igitur rebus commoti parentes
 Viromandensi eum Episcopo educandum cõ-
 mendarunt, eumq; ad clericatus officium pro-
 moueri petierunt. Quem ille beneuolè reci-
 piens ceu vnicum filium in fide & doctrina
 Ecclesiastica præclarè erudiuit. Quantæ por-
 ro liberalitatis, quantæq; à puero castimonie
 Medardus extiterit, quanta humilitate seu re-
 uerentia & apud Deum & apud vrbis pontifi-
 cem eluxerit, vix fando assequi queas. Erat
 adhæc magnanimus in aduersis, mitis in pro-
 speris, cunctos sibi obedientie sedulitate præ-
 ferens, morum claritate præcellens, in egenos
 larga miseratione propendens. Atq; sic con-
 culcato viriliter fomite vitiorum ad augustum
 conscendebat virtutis fastigium, diuinoque
 præscripto ac nutu, vitæ suæ functiones mo-
 derabatur: quicquid eius voluntati norat esse
 aduersum, declinabat, quicquid vero confor-
 me ac placitum senserat omni cõtentione exe-
 quebatur. Hinc in oratione cernebatur assi-
 duus, ieiunijs & vigilijs apprimè addictus: fa-
 cies

*Castitas.**Humilitas.**Deuotio.**Ieiunium.*

cies eius iucunda, lingua facunda, & os in laudem Dei semper apertum. Obedientiæ virtute omnibus se imitabilem, frugalitate laudabilem, & vniuersa morum probitate præbebat insignem. Decursis igitur multa cum honestate inferiorum graduū ordinibus, post bonam eorum administrationem, ad sacerdotale officium deposcitur. Simulac vero angelicam illam dignitatem sortitus est, non cōtentus iam pristina virtute, grandioribus eam cumulauit augmentis, & corpus quidem incredibili victus parsimonia macerabat, esurientes vero alimentis reficiebat: sitientes refocillabat: ac nudos suæ non parcens nuditati, vestiebat: & omissis suis suorumq; vñibus, quicquid sibi met surripere poterat egenis benignè largiebatur. Reliquis eius præclarè gestis, & miraculis, breuitatis causa supersedeo.

ADOLESCENTIA S. ANTONII DE PADUA 13. Iunij. SUR. Tom. 3.

OLyssipone in regno Lusitaniæ nobili, pascipia natus Antonius in sacro fōte Ferdinandi nomen accepit, atq; ab ipsis incunabulis multa morū probitate ac vitæ integritate admirabili, optimorum parentum studia sedulo æmulatus est. Erat iam tum ab omni vanitate & lasciuiâ puerili alienissimus, crebro Ecclesiarum & monasteriorum terebat limina, & pauperibus lubēs stipem erogabat. Eum mox parētes literis ac virtutibus imbuendum

N

viris

Castinus.

viris pietate præstantibus commendârunt. Cum vero ætate iam prouectior improbos corporis motus spiritui acriter reluctâtes sensisset, nequaquam cessit petulantis ancillæ prauis cupiditatibꝫ nec fræna libidini laxauit: sed corpus suum in seruitutem spiritus redigere maturauit. Vilescebat ei indies mundus ille, & ne vanitatum cõpedibus stringeretur, neue impotenti cupidinis dominatu opprimeretur, ad Augustinianorum monasterium extra vrbis muros situm se cõtulit, vt inter illos spectatæ religionis viros ætatem fragilem à peccati illecebris tueretur. Igitur dulcissimo pietatis studio captus, spretis mundi oblectamentis in eodem vitæ instituto Deo se ibidem consecrauit. Sed cum biennio illo, quo apud eos mansit, crebra amicorum visitatione, ab ardenti rerum cælestium meditatione plurimū retardaretur, impetrata à superiore licentia ad monasteriū S. Crucis de Colimbria seuerioris disciplinæ studio cõmigravit. Cum autem per id tempus sanctorum martyrum quinque Franciscanorū reliquias, dominus Petrus infans Serenissimi Lusitaniæ Regis Marochio adduxisset, & se illorum meritis à magnis periculis liberatum per omnes Hispaniæ prouincias diulgâisset, cœpit Ferdinandus magno martyrij desiderio inflammari. Itaque cum die nocteq; indefessa prece Deum sollicitaret, vt mēti ipsius aspirare dignaretur, quod diuinæ suæ voluntati gratius & proximorum salu-

saluti vtilius foret, tandem summo Abbatis sui consensu, ad Diui Francisci institutum cōmigravit. Et quia parētum suorum molestias vehementer formidabat, simul cum habitu nomen mutavit, ac deinceps Antonium se dici voluit. Interea cum ardens martyrij sitis magis magisque eum extimularet, à fratribus ad Saracenos proficiscendi cōpiam postulavit. Verum profectionis conatū, Deo illum multorum saluti reseruante, vis morbi intercepit. Tandem igitur in Aemiliam delatus vir sanctus, in vigilijs precibusque assiduo perstitit, tantaque carnem suam inedia maceravit, ut hora refectionis ad fratres rediturus, nutante prænimia imbecillitate gressu, seipsum interdū sustentare non posset. Nec deerant illi crebrae dæmonum infestationes, quas mirabili constantia, diuina ope fretus, elidebat. Cetera ipsius egregia facta cum immortalī laude cōiuncta, ne extra metas progrediar, prætermitto.

ILLVSTRE CERTAMEN VITI SAN-
ctissimi pueri 15. Iunij apud Sur.

Tom. 3.

QVo tempore Valerianus Præses sub Diocletiano Imperatore acerbissimam in Christianos persecutionem mouebat, Vitus Hylæ nobilissimi viri filius, insigni religione & pietate ac miraculis adeò claruit, ut ipsi met dæmones publica voce admiranda ipsius merita faterentur. Postquam verò pueri fides

N 2 Vale-

Valeriano suboluit, accersitum ad se Hylam sedulo hortatur: vt filium à cultu Christi auocet, si eum saluum & incolumem velit. Parens igitur vt filium à præsenti exitio vindicaret, ad flectendum eius animum toto pectore incubuit. At Vitus ætate quidem paruus verum sensu senili præditus, nullis se tormentis à charitate Christi dimotum iri asseuerat. Interea Præses Hylam & Vitum tribunali sisti iubet. Et hunc quidem blandè admonet, vt filio ad deorum cultum trāsferendo det operam, neue sibi familiæq; æternam maculam cum mœrore consciscat: Vitum vero minis atrocibus territat, vt relicto Christi cultu dijs sacrificet. Cui Vitus S. Spiritu plenus, cum Christi filij Dei signum expressisset, intrepidè respondit: Ego dæmonibus non assentior, neq; sculptilibus vllam venerationem impendo. Habeo enim Dei filium Deum viuum, cui fideliter seruit anima mea. Tum Præses pueri constantia ad iram prouocatus, fustibus eum mactari iubet: cumq; diutius id factum esset, acquiesce nunc, inquit, dijsq; sacrificat. Cui Vitus: iam tibi dixi Præses; Christum adoro filiū Dei: Quibus verbis magis insuper excandescens, puerum cathamo cædi imperat. At ministris manus ei afferre tentantibus vnà cum præside brachia nutu diuino obriguerunt. Tum Valerianus: Hem, inquit, hic puer magicis nos artibus superat: At Vitus: Non magicis artibus, sed diuina vos vindicta persequente hæc fiunt.

*Fortitudo
animi.*

fiunt. Ego enim seruus Christi Iesu sum, cuius virtute manus tua restitui potest; & eleuatis ad cælum oculis, suis precibus dexteram præstidis in integrum restituit. Quocirca Valerianus admiratione defixus Hylam aduocauit, traditoq; ei filio, Vade, inquit, & emenda hunc filium, vt sacrificet dijs, ne pereat. Parens igitur receptum filium domum abduxit, multisq; adhibitis illecebris & blandimentis piam pueri mentem emollire studuit: Aderant organa & venustarum puellarum chori, quibus puerilis animus illaquearetur, faciliusq; à cultu Dei sui deflueret. At Vitus cælum continuo suspiciens, dicebat intra se: Cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Dein ad cubiculum miro studio tapetibus & gemmis ex cultum refertumq; delicijs introducit, vt in eo luxurians paulatim in obliuionem rerum cælestium perueniret. At Vitus flexis genibus sine intermissione Christi numen precabatur, ne à diabolo in fraudem pelleretur. Interea toto conclauis odor suauissimus spargitur, videbanturq; in eo quasi duodecim lapides mirè radiantes, accurrensq; Hylas cum familia dixit: Dij venerunt in domum meam ad filium meum; cumq; curiosius per ostium in cubiculi adyta respiceret, vidit angelos duodecim alatos instar aquilarum, inæstimabili pulchritudine & splendore coruscantes, cantantesque Sanctus, Sanctus, Sanctus. Atq; extemplo præfulgoris vehementia oculis captus, didicit se-

Castitas.

creta cælestia, non nisi puro mentis cerni posse intuitu. Itaque amissis luminibus præ nimio dolore horrédè eiulare cœpit: cumq; vanam deorum opem frustra sollicitasset, & vehementioribus dolorum stimulis agigaretur, domum redijt & ad Viti pedes sese abiecit. Qui ærumnas parentis commiserans, eum idolis licet simulatè renunciantem, perfectè curauit. At Hylas recuperato visu, gratias, inquit, ago dijs meis, qui me saluum fecerunt, non autem Deo tuo, cœpitq; miser totus in eam cogitationem incumbere, quibus pœnis filium suum trucidaret. Quare immanitatem parentis exoratus angelo duce, vna cum B. Modesto qui eius antehac curam gesserat, transmissio mari, ad locum, quem Allectorium vocitant, peruenit, atq; inde ad Silerum flumen progressi sub arbore quadâ fessâ labore membra quiesci tradiderunt. Ibi vero cum se totos pietatis studio dederent, aquilæ cuiusdam ministerio victus illis quotidie præbebatur: multusq; populus miraculorum fama excitatus ad eos in dies confluebat. Interea filius Diocletiani à spiritu immundo torqueri cœpit, qui se inde exiturum pernegabat, nisi Vitus aduenisset. Imperator itaque Vitum à Silero amne, armatorum custodia septum, Romam reuocauit. Qui vnâ cum Modesto adductus Diocletiani filium, non sine multorum infidelium strage, qui impias in Christum voces iactabant, à dæmone liberauit. Captus vero

Impe-

Pictura.

Imperator pueri virtute, & formæ eius elegantia, blandè & comiter eum cohortabatur: Consenti, inquit, mihi Vite charissime, & dijs sacrificia, daboque tibi maximam partem regni mei, & magnis te opibus auri & argenti & pretiosarum vestium cumulabo, erisque mihi nō immerito & charissimus & cum primis familiaris. Ad quæ Vitus: Ego vero, inquit, & regnum & diuitias & honores flocci facio; totusque ex vno Christo Iesu Deo meo depēdeo, qui stola immortalitatis me induet. Tum Diocletianus: Non sic agas Vite, sed consule vitæ tuæ, & sacrificia dijs, ne diuersis cruciatibus affectus intereas. Cui Vitus: Tormen-
Fortitudo animi.
ta, inquit, quæ minaris, suprâ quam credi possit ex peto, vt ad illam possim palmam pertinere, quam dilectis suis spondit omnipotens. Diocletianus hoc pueri responsum vehementer admirans, iussit eundem cum Modesto in teterrimum carcerem detrudi, & singulos ferro octoginta pondo onerari, carceremque suo obsignari annulo, ne quis vel aquam eis porrigere posset: Vbi Christus cum incomparabili luce oranti apparuit, eumq; ad futurum certamen est cohortatus. Vite, ait, exurge, confortare, & esto robustus: ecce ego tecum sum omnibus diebus. Hic visio abscedit: ferrea vincula ceu cinis dilabuntur: exanimantur terræ motu & corusco lumine custodes carceris: auditur vox multorum angelorum, cum eis in carcere psallentium:

Quibus intellectis Imperator furore percitus Vitum ac Modestum in Amphitheatro constituit. Vbi puer senem admonens; fortis, inquit, esto pater, ne timeas gladium diaboli. Iam enim appropinquat corona nostra. Dixit autem ad S. Vitum Diocletianus: Consule vite tuæ puer, & sacrifica magnis dijs. Cui Vitus: Nunquam tibi benè sit diabole, rapax lupo, deceptor animarum. Demiror frõtem tuam, quod visistantis virtutibus, non erubescis isthoc mihi velle persuadere. Ego vero Christum habeo cui hætenus votum pectoris mei sacrificavi; nunc quod superest me ipsum sacrifico. Tunc præ nimio furore seipsum non capiens Imperator, in clibanum plumbo, pice, ac resina æstuantem sanctum Vitum iactari præcepit. Ille vero in clibanum proiectus, cum feruor omnis angelica virtute esset restinctus, in medio constitit, diuinasque laudes læta voce deprompsit; vocansque Diocletianum Imperatorem: Gratias, inquit, ago tibi tuisque ministris Diocletiane, quod tam commodum mihi lauacrum apparastis. Tunc è clibano profiliens totus illæsus, ac niueo candore nitidus, Domino psallebat: Probasti me Domine quasi aurum, igne me examinasti, & nõ est inuenta in me iniquitas. Imperatoremque obiurgans, erubescere, inquit, diabole cum patre tuo Satana, dum vides tantam omnipotentis virtutem in me seruo suo clarescere. Imperator igitur magis ac magis ira inflâmatus, leonem fero-

ferocissimum, cuius vel rugitus homini foret intolerabilis, adduci iubet: dein B. Vitum affatus: Num & hic, inquit, praeualebunt artes tuae magicæ? Respondit ille: Insipiens, stulte, insulse, & sine sensu, cur tandem non aduertis adesse mihi Dominum meum Iesum, cuius iussu me angelus eius de poenis omnibus, & de tuis manibus potentissimè liberabit? Cumque dimissus esset Leo, S. Vitus signum sanctæ crucis in illum edidit, qui mox ad pedes eius, corruens plantas ipsius lingua coepit porrecta allambere. Tum Vitus. Nondum, inquit, o impiissime agnosces creatorem tuum, quem bruta animalia venerantur. Eo miraculo mille fere homines permoti, in Christum crediderunt. Diocletianus igitur præcipiti ira agitatus, beatus Vitum cum Modesto & Crescentia, quæ Viri prædicatione in Christum crediderat, in catasta tam atrociter torqueri iussit, ut dissipatis ossibus viscera apparerent. Clamauit itaque S. Vitus ad Dominum: Deus in nomine tuo saluos nos fac, & in virtute tua libera nos. Statimque inter horribiles coruscationes, ingens extitit terræ motus, quo labefactata idolorum fana corruerunt, multiq; è populo interempti sunt. Ipse quoq; Imperator animo consternatus, properè aufugit, percutiens manu frontem suam, & cum ingenti clamore dicens: Væ mihi qui à tantillo puero turpiter superatus sum. Sancti vero martyres è supplicijs erepti: angelico comitatu ad Silerum flumen

N 5 per-

Constantin

perducti sunt, vbi paulo post corporeis soluti
vinculis ad cælos migrârunt.

EXEMPLVM B. LANDELINI ABBATIS
Crispiniensis. 15. Iunij. Surius
Tom. 3.

Landelinus claris Francorum natalibus, in
villa quam Vallem vocant, ciuitate Came-
racensi, Dagoberti inclyti regis temporibus
ortus, Autberto Antistiti, qui eum de sacro
fonte susceperat, literis & pietate imbuendus
traditus est. Cumq; & insita naturæ bonitate,
& optima præceptoris educatione non me-
diocres in omni virtute progressus faceret,
prorsus vt relictis mundi vanitatibus, se to-
tum Deo consecrare proponeret, quidam e-
ius cognati venenatis sermonibus eum ab a-
more rerum cælestium planè abduxerunt, fal-
sisq; promissis eo impietatis optimæ indo-
lis iuuenem impulerunt, vt relictis clanculum
Autberto, nefandis se totum sceleribus trade-
ret, ac tandem cædibus ac rapinis prædonum
instar, se suamq; familiam turpissimè inqu-
naret. Et vt liberius huic insisteret negotio,
mutato nomine Maurosum se appellari volu-
it, scilicet ne nomen quandoque proderet e-
um, qui se in perditionis latebris totum abdi-
derat. Interea Autbertus Pontifex, quan-
quam incredibili mœrore affectus propè con-
rabesceret, non tamen salutis eius spem pe-
nitentis abiebat, sed precibus varijsq; cor-
poris

*Amanus
virtutis.*

*Pernertitur à cog-
natis.*

Fit prado.

poris afflictionibus, die nocteque diuinum numen fatigabat, vt errantem ouiculam tandem aliquando in viam reduceret. Nec despexit Deus preces supplicantis. Cum enim nocte quadam insigni flagitio diuitis cuiusdam domum cum focijs diripere statuisset, & quidam ex eius complicibus è vita excederet, Landelinus morte eius vehementer afflictus, vidit per soporem miseri illius animam (horribile dictu) in Tartarum abduci. Cumque non sine ingenti tremore id aspiceret, astitit ei Angelus Domini, eumque in hunc modum terrificam vocem compellauit: En præmia laboris tui Landeline. Vide vt anima socij tui ad inferorum æterna supplicia pertrahatur: simulque considera, vtrum tibi præstabilius sit, ita protrudi in barathrum æstuantis gehennæ, an nobiscum potius gaudijs perfrui sempiternis. Missa igitur fac opera Satanæ, & amplectere Christi militiam. Abijce obscurati pectoris cæcitatem, vt possis intueri clarissimam Christi lucem. Excute iamiam à ceruicibus tuis iugum diabolicæ seruitutis, vt post brevis huius vitæ curricula possis æternum regnare cum Christo. Audi beatum Autbertum antistitem, & agnosce spirituales patrem tuum. Suscipe libens ab ore eius monita cælestis doctrinæ. Hæc & alia multa cum Angelus dixisset, cælos petijt. Landelinus autem

Angelus eum ad poenitentiam hortatur.

Conuersio.

eo visu non mediocriter terræfactus, relictis socijs, & rebus suis omnibus, pedes Camera cum festinat, & S. Autberti pedibus se aduoluens, orat pro admissis criminibus pœnitentiæ multam sibi irrogari. Ille vero pius pater eius gratulans conuersioni & desiderio, suscepit pœnitentem, quem diu profugum fleuerat, sinumq; ei diuinæ misericordiæ aperiens, reddidit eum sanctæ matri Ecclesiæ. Itaq; sub seculari habitu degens in monasterio agebat pœnitentiam, macerans corpus ieiunijs, quod mundi illecebris contaminauerat. Atq; tandem diuturna excoctus pœnitentia, statuit mundi à se negotia omnino reijcere, vt posset liberius cœlestia iugi meditatione pertractare. Quocirca à B. Autberto tonsus, militiæ cœlestis chlamydem induit. Eo autem diuinæ gratiæ munere affectus, vt peregrinationis etiam labore se affligeret, Romam ad limina Apostolorum se contulit. Quem B. Autbertus reducem, ob virtutis & sanctitatis præclarum specimen Diaconum ordinauit. Præstitit vero illi Deus tantum ardorem & compunctionem cordis, vt bonorum cœnobarum vita minimè contentus, magis ac magis diuino se cultui impenderet, & cum gemitibus & lacrymis crebro se ieiunijs, vigilijs & orationibus affligens, vitam sanctorum æmularetur, nec ullam suo corpori requiem indulgeret, quin potius idipsum inedia, nuditate, frigore, siti, alijsq; reb' duris ac molestis maceraret atq; cōficeret.

Ado-

*Pœnitentia.**Contritio.**Afflictio corporis.*

ADOLESCENTIA S. FEBRONIÆ

Virg. & Mart. 15. Iunij. Surius

Tom. 3.

Febroonia Sibapoli apud Assyrios, à secundo ætatis anno in monasterio educata, præclaro Briennæ magisterio ad illustrem sanctitatis gradum adoleuit. Annis quippe octodecim, quibus intra cœnobijadyta vixerat, neq; viri alicuius, neq; mulieris in mundo versantis formam aspexit; neq; huius vicissim virginis vultum, quisquam, nedum eius nutrix, quamuis id lachrymans sæpè optârît aspicere potuit. Erat enim admirabili formæ elegantia hilariq; aspectu, ita vt oris eius venustas humano artificio depingi non posset. Porro Brienna multa sollicitudine distinebatur, vt Febroniam intactam seruaret. Cum itaq; sorores reliquæ ab vnius diei vespera ad sequentis vespertinam horam ieiunarent, iussit Febroniam post duorum saltem dierum spatium comedere. Illa vero cum se tali corporis habitu præditam videret, ne tum quidem panem & aquam ad satietatem vsq; sumebat. Adhæc paruum quoddam scamnû, longum tribus cubitis, & vno palmo ac dimidio latum sibi curauit; in quo requiescebat quoties dormiendi tempus aduenerat. Interdum & in nudo solo carnes suas reclinabat. Quoties vero à diabolo nocturnis cogitationibus tentabatur, exurgebat, & multis cum lachrymis Deo supplicabat, vt diabolum tentantem à se profligaret: & statim

*Custodia
castitatis.*

Castitas.

statim librum aperiens diuinas literas laboriose legebat. Cum vero adolescens esset discendi cupida, adeo multa didicit, ut tantum discendi studium Brienna valde admiraretur. In die igitur Parasceues omnibus sororibus illis ad eadem sacram conuenientibus, iubebat Brienna Febroniam velo tectam, propter mulieres nobiles, quæ illa die spiritualis doctrinæ gratia eodem conuenerant, diuina eloquia recitare. Cum vero Selenus atroci inhumanitate iussu Diocletiani Imp. in Christianos defæuaret, iamque Sibapolim aduenisset, licet alie virgines communi consilio fuga sibi consulissent, Febronia tamen quantum corpore ægra, tantum animo & virtute robusta, hortatu Briennæ magistræ suæ ad martyrij agonem robur vigoremque virtutis acuebat. Certanimum, ob formæ decus, aut inuolui coniugio, aut decorari martyrio. Itaque multitudine ad spectaculum effusa Seleno sistitur, qui ad tantæ pulchritudinis aspectum posita sæuitia, magnis illam pollicitationibus Lyfimacho Duci uxorem deposcit. Cui Febronia: Ego, inquit, o Iudex thalamum habeo in cælis non manufactum, nuptias possideo indissolubiles: dotem habeo totum cæleste regnum. Sponsum igitur immortalem cum habeam, non patior cum mortali & corrupto homine copulari: quin etiam ne audire quidem possum quod polliceris. Noli itaque Iudex frustra laborare, neque enim adulando quicquam

*Laudat
cælestes
nuptias.*

pro-

proficies, neque minis me perterrefacies. Audi hęc Iudex & magnopere indignatus, vestes virginis discindi iussit, & laceris amictā pañis, cunctis spectantibus ignominia nuditatis confudi. Tum Febronia: Audi, inquit, iudex, licet me etiam hoc panno destitutam omnino nudam exhibeas, ego huiusmodi cōfusionem nihilipendo. Vnus enim creator est maris & feminæ. Itaq; nō solum hoc ex quo animo patiar, vt vestibus exuar, sed ense obtruncari & igne incendi cupio. Atq; vtinam digna sim pati pro eo, qui pro me tāta sustinuit. At Selenus: Quoniam, ait, mulier ista aduersum ignis minas audacem se præbet, per quatuor corporis partes illā extendite, & infra ipsam ignem supponite, simulq; quatuor milites virgis ei⁹ terga diuerberent ac dilanient. Id cū fieret & diutius virgo illa verberaretur, copiosus sanguis ex vtraque humeri parte in terrā defluebat: ignis vero subter eius corpore succēsus, viscera etiam ipsa depascebatur, & oleo insuper magis excitatus Febroniam omnino consumebat. Cum autem horis pluribus virgo ipsa verberaretur & combureretur, populus pro ea summis clamoribus iudici supplicabat; vt adolescenti parceret. Cæterum ille nihilo minus desæuiens vehementius illam percuti ac terreri mandauit, quoad vidit eius carnes in terram defluere. Tunc carnifices iussi destiterunt, eamque mortuam esse existimantes extra rogam deiecerunt. Porro Iudex dixit Febronię:

Qua-

*Fortitudo
animi.*

Qualisnam tibi visus est, primus palestræ con-
gressus? Tum illa: Ex primo, inquit, cōgressu
didicisti me inuictam esse, & tormenta tua cō-
temnere. His auditis Selenus dixit: In ligno il-
lam suspendite, & ferreis pectinibus eius late-
ra dilaniate, ignemq; rursus admouete, vt ossa
etiam comburantur. Statim igitur carnifices
ceperunt pectines, & ita eam laniârunt, vt car-
nes ipsæ vna cum sanguine in terram decide-
rent. Admouerunt etiam ignem quo vel ipsa
viscera comburebantur. Febronia vero oculis
in cælum erectis: Veni, inquit, Domine in au-
xilium meum, & ne derelinquas me in hac ho-
ra. His dictis conticuit, quamuis igne valde v-
reretur. Multi vero spectatores non ferentes,
tâtam crudelitatem à spectaculo aufugerunt.
Alij summis clamoribus contendebant, vt ig-
nis ille tolleretur. Amoto igitur igne cum ad-
huc in ligno Martyr penderet, rursus eam cœ-
pit interrogare. Sed cum ea respondere non
posset, iussit eam è ligno depositam palo alli-
gari, & linguam eius amputari. Exemit mox
linguam Febronia & nutu significabat carni-
fici, vt eam amputaret: at turba id vetante, iu-
bet ei dentes eradicari. Cum decem igitur &
septem euulsi essent & sanguinis riui in terram
defluerent, rursus Febroniam Selenus interro-
gat, num dijs tâdem sacrificare in animum in-
duxerit. Cui illa: pessime & scelestissime se-
nex, tu viam meam impedire studes, neq; finis
me ad sponsum meum accedere? Festina quam
maxi-

maximè potes ex huius mei corporis luto me eripere, quoniam amator meus Christus me expectat. Tum Selenus: Omnino, inquit, ense & igne corpus tuum delebo, iussitque carnificem mammas eius secare. At illa erectis in cælum oculis voce magna dixit: Domine Deus meus, aspice violentiam quæ mihi affertur. Veniat anima mea in manus tuas. Neq; amplius locuta est. Præfectis igitur mamillis, vulnera eadem igni aduruntur. Cum vero diutius combureretur & ignis vsq; ad eius viscera penetraret, turbæ ipsæ tam crudele facinus spectantes maxima ex parte à spectaculo illo discesserunt, clara voce Diocletianum & eius deos execrabiles esse testantes. Tunc Febronia à palo dissoluta humi viribus destituta corruit. Deiniacenti utramque manum ac dexterum pedem amputari mandavit. Quo peracto Febronia toto corpore contremiscens, licet iam iam defectura esset, dabat operam, ut alterum etiam pedem ligno superponeret, cupiens eum amputari. Cumque id cerneret iudex: Videtis, inquit, impudentis mulieris pertinaciam, & multo furore accensus carnifici dixit: Seca & alterum. Tandem Febronia cum per horas aliquot animam egisset, amputatis cervicibus ad cælestes thalamos ouans commigravit. Selenus vero tot scelerum & immanitatis architectus cum mæstus domi obambulet, mox tanquam taurus aliquis immugiens, in vnam è columnis prætorij insiliit,

Q

& ca-

& capite confracto miseram animam exhalavit.

MARTYRIVM S. QVIRICI TRIENNIS
pueri 16. Iunij. Surius Tom. 3.

Beata Iulitta, Diocletiano Imperatore persecutionem moliente, vnà cum sanctissimo puero Quirico Tarsi cōprehensa, Alexandro homini improbo & crudeli sistebatur, Quæ cum seipsam magna voce Christianam esse testata fuisset, venerandum suum filium qua erat pietate, proprijs manibus tradidit ad holocaustum. Quamobrem atrocissimus ille Iudex, qui cum Deo bellum gerebat, iubet infantem auferri ab eius vlnis, ipsam autem nudam nervis bubulis flagellari. Atq; mater quidem, lictoribus in ea cædenda laborantibus immaniter lacerabatur supplicijs: indignabatur vero, vt est consentaneum, & vociferabatur, & ægrè ferebat filius. Quem quidem Tyrannus, cum mira puerilis formæ venustate caperetur vi auellit ab vlnis maternis: eumq; suis imponens genibus, & sensim palmis caput eius demulcens, sed etiam impuris labris castissimum impurissimus exosculari aggrediens, blandimentis suis incantare satagebat. Attende, dicens, fili mi suauissime, fili formosissime, attende mihi tuo patri. Audi o scite & chare fili & intellige: hanc autem veneficam & impiam, vt quæ violenta sit morte peritura, & dijs inimica, expellens, nobiscum
sua

suauissimè & iucundissimè viues. Ego autem te adoptans in filium, omnibus bonis benignissimè prosequar, & omnium mearum possessionum te relinquam hæredem. Quid vero Quiricus? num cessit tyranni violentiæ, aut puerili timore exhorruit, aut osculis & promissis est delinitus, aut maternorum suppliciorum metu resolutus diriguit? Nequaquam. Sed cum vteretur perfecta fide atq; prudentia, manibus pedibusq; resistens & renitens mirabiliter luctabatur, & pro viribus repugnans, inimici auersabatur oscula: ad matrem autem toto animi studio contendebat & proflicibat. Tandemq; velut auicula laqueo irretita omnibus modis è manibus tyranni euadere machinans, manibus quidem eius vultum laniabat, pedibus autem execrando lateri insultans athleta breuissimus, amorem illum demoniacum in ferociam conuertit. Nam cum delicatum pueri pedem apprehendisset vir ad eadem propensissimus, eum sublimè elatum, ex alto tribunali manu sua iaciens in subiectos gradus lapideos, vnà cum sacro capite totum quoque athletæ corpusculum aduersis petrarum acuminibus contriuit. Sic corporis confecta compage, victrix anima ad palmas martyrij euolauit.

EX VITA BEATI ALOYSII GONZA-
ga è Societate Iesu, Ferdinandi S. Rom. Imperij Prin-
cipis Marchionis Castilionensis filij, à R. P. Vir-
gilio Cepario Soc. Iesu conscripta,

20. Iunij.

BEatus Aloysius Gōzaga Ferdinandi Prin-
cipis Imperij atq; Castilionis Stiuerorum
in Gallia Cisalpina Marchionis & Marthe Tan-
Santeniae à Cherio in Taurinis, illustrissimo-
rum excellentissimorumq; hominum filius
natu maximus fuit. Hunc mater à pauxillo ad-
huc puero inter primas balbutientis infantiae
voces, sacris imbutum preculis, magnam De-
um diuosq; veneratione compleuit. Quodq;
in tantilla aetate mirandum, egestatem paupe-
rum iam tum pia ope leuare, & quæsitis de in-
dustria latebris orationi frequens incumbere
notabatur. Pater vero eum ad rei militaris stu-
dium vix quadrimulum vocans scopulos,
bombardulas aliaq; minuta arma illi compa-
rat. Cumq; Regis Catholici auspicijs tria pedi-
tum Italogum millia sub signis ad Tunetum
ducturus in agro Cremonensi delectum ha-
beret, puerum quatuor aut quinque duntaxat
annos natum è mulierum manibus & potesta-
te matris ereptum, secum eò perduxit, & qui-
bus diebus copiae censebantur, leui tectum lo-
ricula, ac pusillam hastulam præferentem hu-
meris, militari more anteire ordines iussit. V-
bi aliquot menses commoratus dum ludos
sermoneq; cum militibus miscet assiduò, sen-
sim

*Miseri-
cordia.*

Deuotio.

ſim militares ſumpſit animos, neq; leuibus ſi-
gnis oftendere viſus eſt. ad eam ſe gloriam
propendere, quam patris vocibus exemploq;
didicerat. Itaq; non ſemel uſu venit, ut cum a-
liatela, tum fiſtulas æneas præcipuè verſans,
in magnum veniret diſcrimen ſalutis, niſi De-
us illum ſanctiori vitæ reſeruatum à præſenti
periculo, ſupra naturæ modum vindicaſſet.
Atq; ut eſt plerumq; militum vulgus ad ver-
borum licetiam turpitudinemq; proiectum,
ipſe quoq; ex eorum cōſortio nonnullas eiuf-
modi voces hauſerat, eaſq; interdum (quid ſi-
bi vellent ignorans) iactare cœperat. Id cum
aliquando Petrus Franciſcus Turcius audiſſet,
quem eius pueritiæ moderatorem parentes
præſecerant, tanta vi in eum inuectus eſt, ut ip-
ſe nullum ei deinceps niſi honeſtum decenſq;
verbum effluxiſſe confirmârit. Si quem vero
alium licentius loquentem audiret, è veſtigio
oculis pudore ſuffuſis, humiq; defixis, aut ali-
orſum conuerſis, vel animaduertiſſe diſſimu-
labat, vel dicta ſibi moleſta auditu fuiſſe ſigni-
ficabat. Cæterum in omni Aloyſij ætate nihil
ab eo peccatum eſſe comperio, in quo plus ſit
culpæ, quam in his verbis ab admodum pue-
ro, rei q; ſignificatæ ignaro profuſis: quæ ſimul
ac flagitioſa, atq; à ſuo dignitatis gradu, gene-
re q; aliena eſſe didicit, tantus eum pudor oc-
cupauit, ut poſtea ſit faſſus, ne ſacerdoti qui-
dem ſuæ conſcientiæ quæſitori, ut ea aperiret,
animum inducere potuiſſe, ea erat puerilis

animi verecundia. Neque vero vnquam, dura
 vixit, huius eum grauiſſimi, vt ipſe ſentiebat,
 criminis poenitentia deferuit. Atq; vt nihil de-
 terius cōtraxerat, cuius eum conſcius angere
 animus, ita poſtquam ad religionem acceſſit,
Mumilitas. quo ſui vincendiac vilipendendi cauſa, à te-
 neris ſontem ſe fuiſſe doceret, ſæpè hæc fami-
 liaribus quibuſdam ſuis memorabat. Veriſi-
 mile eſt conſulto Deum hunc ei næuum ad-
 hæreſcere paſſum eſſe: vt dum in ſe culpam eſ-
 ſe credit, quam propter ætatis inſcitiam, reiſq;
 ignoranceſcem propius fidem eſt nullam fuiſ-
 ſe, in tanta munerum cæleſtium, virtutumque
 copia, quibus poſtea mens eius eſt locuple-
 tata diuinitus, aliquam demiffionis haberet
 materiam. Vbi vero ſeptimum annum atti-
 git, tanto ſe ardore ad Deum colendum con-
 uertit, ſeque ita penitus illi conſecrauit, vt il-
 lud poſtea ſuæ conuerſionis, tempus appel-
 lare ſit ſolitus. Suis itaque melioris vitæ pa-
 rentibus, quibus arcana ſua credebat, inter
 præcipua Dei in ſe beneficia, hoc ſe pone-
 re narrabat, quod ſeptuennis à ſæculi amo-
 re ad Deum traductus eſſet. Porro quan-
 to cæleſtium donorum præſidio, iam indè,
 poſtquam illi ratio competere cœpit, efflo-
 ruerit, ex eo manifeſtum eſt, quod quatuor
 ſacerdotes, qui diuerſis locis atq; temporibus
 cōfeſſionum ipſius, etiam earum, quæ vniuer-
 ſam ætatem complectebantur, ante & poſt ini-
 tam Societatem fuerunt arbitri, atq; inter hos

Ro-

*Magnus ar-
 dor colendi
 Deum.*

*Nunquam
 peccauit
 mortaliter.*

Robertus Bellarminus, omnes pari consensu
testari fuere, nihil ab eo unquam letiferi pec-
cati perpetratum. Quæ res tanto quidem mi-
rabiliior, quod maximè lubricam vitæ partem
inter paternæ domus delicias, vitæq; aulicæ ir-
ritamenta exegerit. Tam vero excellens iam
tum erat de hoc sancto adolescente hominum
opinio ut in eius vita ac moribus speciem sibi
delapsi de cælis angeli videre videretur. Años
enim natus nõ plus septem domi quotidie ni-
xus genib; preces quæ exercitiũ quotidianum
inscribuntur, septẽ de pœnitentia psalmos, of-
ficiũ B. Virginis, vel seorsim vel vna cū aliquo
comite recitabat, aliaq; præstabat officia pie-
tatis. Quodq; ei rota vita solenne fuit, nunquã
adduci potuit, ut puluinũ aut simile qd inter
precandũ genibus subijci sustineret. Annũ iam
Aloysius omninò nonũ expleuerat, quando à
parente Florentiã ad magnũ Hetruriæ Ducem
adductus, latino illic Hetruscoq; sermone cœ-
pit erudiri. Festis diebus aulã frequẽtabat, atq;
ut Moderatori pueritiæ suæ morẽ gereret, lu-
do quoq; nõnunq; vacabat, arulis se erigendis,
quam lusibus interessẽ malle dictitans. Biennio
illic cõfecto adeò præclaros in rerũ cælestium
vũ fecit processus, ut deinde Florentiam suã
pietatis parẽtem vocare sit solitus. Atq; in pri-
mis tãta animũ eius erga beatissimã Virginem
Matrem Dominam nostram obseruantia te-
nuit, ut quoties de ea in sermonẽ incideret, vi-
tẽq; eius sanctissima mysteria volueret animo,

*Diligens
oratio.*

*Cultus &
amor erga
B. Virginẽ.*

colliquefcere cœlefti gaudio videretur. Cum vero libellum de myfterijs Rosarij crebrius lectitaret, feq; defiderio sentiret accendi gratum aliquid acceptumq; cœlorum Reginæ faciendi, venit in mentem, nihil ei iucundius accommodatiusq; præftari poffe, quam fi eius caftimonix, quantum mortali fas eft, imitandæ ftudio, fuam illi virginitatem voto obligaret, facraretq;. Igitur cum ante imaginem gloriofæ virginis aliquando precaretur, quod ad eiuſdem Diuæ honorem verteret, Deo vouit, integram fe inuiolatamq; virginitatem fuam perpetuò feruaturum. Quod votum adeò ſemper ſanctè exacteq; perſoluit, vt quotquot ei à pœnitentiæ ſacris fuerunt, ac nominatim Bellarminus Cardinalis & Hieronymus Platus aſſeuerunt Beati Aloyſij & corpus omni ſenſu, motuq; libidinis, & mentem omni cogitationum, imaginumq; obſcœnitate, quæ vel tantillum cum hoc eius voto propoſitoq; pugnaret, dum vixit, caruiſſe. Quam rem humana omni vi induſtriaq; maiorem ſatis apparet, tanquam proprium quoddam donum, à Deo chariſſimæ matri ſuæ poſtulanti datam eſſe. Quod quam ſit eximiū intelliget, qui reputabit D. Paulum ter Dominum rogafſe, vt ſtimulum ab ſe carnis auerteret: D. Hieronymum in illa ſolitudine, eidem retundendo, crebris ſaxorum ictibus nudum pectus conuerberaſſe: D. Benedictum reiectis veſtibus totū ſe in vepres induiſſe: D. Franciſcum item nudum

*Vouet Deo
virginitatem.*

*Eximia
corporis
caſtitas.*

nudum in hybernis se niuibz volutasse: D. Bernardum collo tenus glaciali immersum stagno importunum ardorem restinxisse: paucos quosdam è Diuis, quos Deo singulari munere cohonestare visum est, vacuitatem ab hac tyrannide esse consecutos: è quorum numero S. Equitium, Serenum & D. Thomam Aquinatem fuisse memoriæ proditum est. Quocirca Aloysius diuinum hoc munus *Custodia* è Diuæ Virginis fauore profectum (quam ille *castitatis* deinceps matris loco tenero quodam amore atque insigni pietate complexus est) singulari sensum moderatione sibi tuendum desumfit. Inprimis vero oculos semper ab omnibus flagitij illecebris refrænare incepit, eademque potissimum de causa, ijs humi defixis prodire in publicum. Mulierum autem familiaritatem atq; congressum, supra quam credibile est, vbi *Feminarum* vbi versatus est, in vitæ perpetuitate ita refugit, vt natiuam ei quandam cum illis discordiam esse diceres, adeo ne conspectum quidem illarum ferre posse videbatur. Castilione à nobilibus feminis, quas è suo comitatu, ad eius cubiculum mater interdum quippiam nuntiātū allegabat, nō nisi per conniuentem ianuam, deiectis, ne eas videret, in terram oculis, mandata accipiebat, & reddebat quàm paucissimis. Adhæc Florentiæ cum esset, & solito crebrius conscientiam per confessionem corā Rectore *Insignis hu* Collegij expiaret, tantam ei reuerentiam, ve- *militas cō-* recundiam, suiq; despicientiam adhibuit, quasi *sistentis*.

O 5

morta-

*Actus suos
prudenter
examinat.*

*Fuga de-
tractionis.*

Obediētia.

*Benignitas
erga famu-
los.*

mortales omnes scelerum multitudine superaret. Vnde quadam vice cum vix ad pedes sacerdotis accidisset, deficiente anima labitur, atque à moderatore necessario subleuatus domum reducit. Dehinc vero arctioris vitæ rationem exorsus, quamlibet actionem suam studiosè excutiebat, ut si quid in ea vitij comperisset, eius fibris penitus euellendis insisteret. Comperto enim quod naturæ quodam genio, commotioris stomachi ægritudine facilius pulsaretur, sic omnem animi contentionem ad hanc pestem compescendam adhibuit, ut omni postmodum iræ motu carere sit visus. In hominum porro congressibus, cum verbum sibi quandoque effluere notasset, quod alienæ famæ videretur deterere, quamvis id culpa pene omni vacaret, omnium se colloquijs subducebat, ne quam suæ conscientiae aspergere posset labeculam. Ab eo item tempore omni ludigenere reliqua ætate perpetuo abstinuit. Præterea tantum maioribus obediendi amorem imbibit, ut neget moderator vel leuissimum vnquam imperium ab eo suum fuisse præteritum. Quin immò fratrem suum natu minorem Rudolphum, si quando videret vel morum vel literarum causa Magistri obiurgationes ferre molestius, coarguebat, atque, ut imperij audiens esset, hortabatur. Famulis item nequaquam pro imperio, sed his ferè verborum formulis præcipere assueuerat:

Nisi

Nisi tibi molestum est, licet hoc facias: si tibi commodum est, hoc abs te velim: Amabo te, hoc mihi effectum da. quæ cum diceret, tanta erat in eo suauitas, vt famulorum se misericordia valdè permoueri ostenderet. Verecundia tam erat singulari, vt conspectum cubicularij manè eum veltientis erubesceret, vixque induendis caligis summos extra lodicem pedes porrigeret, adeò verebatur, nequid in se nudi aspiciendum præberet. Ad sacrificium quotidie, festis vero diebus ad vespertinas etiam preces itabat. Postquam vero Florentia redijt Mantuam, nihil de prioripietatis instituto diminuit, sed & Marchionis Castilionensis titulo ac commodis, quibus iam Cæsarea authoritate erat ornatus, se abdicare & Rudolpho minori fratri cedere constituit. Ac etsi iam nuper nuptijs temperare certum habebat, non tamen parum ad hanc nouam cogitationem afflicta per id tempus vrinæ angustijs valetudo momenti habuit. Nam cum vereretur ne id malum glisceret, visum est ei authoribus medicis faciundum, vt noxios humores morbi materiam abstinentia consumeret: cui abstinentiæ tanta pertinacia se dedit, vt mirum sit mortem ab eo vitari potuisse. Etenim si quando vna cœna ouum totum (quod per rarò eueniebat) edisset, tum vero sibi perlautè epulatus videbatur. Hanc inedia seueritatem, cum ipsam hyemem, qua Mantuæ versatus est, tum proximè

con-

*Tempe-
rantia.*

consequentem ætatem Castilione, Medicis iam alijsq; dissuadentibus, non amplius valedudinis, vt vulgo putabant, sed pietatis causa retinuit, quæ sensim in consuetudinem versa, diuino nutu cœperat esse voluptati. Hac vero tenuitate victus vsq; cò stomachum debilitauit, vt neq; cum vellet maximè cibum postea capere, neq; si reluctanti ingessisset, vllò modo continere posset. Fractis proinde viribus corpore esse cœpit affecto ac macilento. Raro prodibat in publicum nisi aut ædem aliquam sacram, aut religiosorum domicilium adiret, quibuscum de cœlestibus rebus sermones identidem conferebat. Reliquum ferè tempus solus atq; ab hominum consuetudine semotus domi, modo legēdis quas Surius collegit Diuorum historijs, quibus mirificè capiebatur, modo statis precibus recitandis, alijsq; frequentandis pietatis officijs trans mittebat. Reuocatus dein à parente Castilionem non modo nihil ex ijs pietatis studijs, quibus assueuerat, laxauit, sed ea potius intendit. Meditandi quippe rationem Spiritu S. doctore hauriens, & quasi ad vberissimum campum, & lætissima animi sui pabula admissus, solidos prope dies, modo in mysterijs nostrę redemptionis, modo in elogiorum diuinorum cogitatione defixus hærebat, cum interea tantis incederet lætitijs, vt nullum lachrymis modum ponere vllò modo posset. Itaq; illis non modo vestes quibus erat indutus, sed cubiculi etiam paui-

*Amat soli-
tudinem.*

*Contempla-
tionis stu-
dium.*

men-

mentum crebro madebat. Cumq; ex epistolis Indicis Patrum societatis zelum pro salute animarum perspexisset, ipse simili zelo succensus, festo quoq; die ad Christianarum institutionum scholas ibat, ingentiq; ardore & ipse pueros de rudimentis nostræ religionis erudire, ac fidei innocentiumq; morum præcepta ijs tradere laborabat. Id quod ille tam singulari modestia, humilitatisq; studio faciebat, nullius ut pueri quavis suæ ditionis esset, minimè vero inopum familiaritatem refugeret, omniumq; intuentium animos ad Deum colendū, amandūq; enixius excitaret. Ad hoc, siquam inter aulæ ministros discordiam esse intelligeret, redintegrare inter eos amicitiam studebat. Deo item Diuisus maledicentes, aut turpia iactantes cum audiret obiurgabat. Quos in oppido deprauatis moribus esse cognorat, magna comitate hortabatur, seduloque allaborabat, ut ad frugem sese corrigerent. In sermone solenne suum obtinebat, ut non nisi de rebus diuinis differeret, idq; tanta verborum sententiarumq; grauitate, ut grandem natu & prudentia virum referre videretur. Annos dein natus duodecim cum in sermonem S. Caroli Borromæi incidisset, & ab eius ore rationem sacratissimum Eucharistiæ mysterium piè frequentandi hausisset, incredibile est quam diligentem præparationem deinceps adhibuerit. Primum enim ne quid in animo suo inuenustum residere pateretur, q̃ in Dei hospi-

Zelus animarum.

Discordes pacificat.

Quis eius sermo.

hospitis, quem præstolabatur, oculos incur-
reret, sanè, quàm accuratè & subtiliter om-
nem antea actam ætatem suam, recensuit. Ad
sacerdotem deinde semet accusatum venit,
quem tam præclaris poenitentis abiectione a-
nimi cuius indices erant lachrymæ exem-
plis instruxit, ut ad eum non reus sed magi-
ster accessisse videretur. Et verò si quam i-
pse culpam sustineret, ea nullius erat facti,
sed præteriti duntaxat, ut ipse sentiebat, of-
ficij, quippe qui ad altiore quotidie virtu-
tis gradum à Deo illuminatus, nunquam se
eo progressibus faciendis pertingere, sed &
ignavum ac cessatorem propensius iudicaret.
In percipienda vero Eucharistia crebris per-
fusus lachrymis, omnes animi vires colle-
ctas, admodumq; attentas habebat, & vberi-
bus delicijs perfundi solitus, palam omnibus
illustre dabat specimen pietatis. Pater vero
intellecto quod nimis arcta pietatis & ieiu-
norum lege semet Aloysius obstringeret,
cum crebram illi & variam remittendi oble-
ctandique animi occasionem offerret, nun-
quam tamen vel latum vnguem à susceptis ad-
versus Deum officijs abducere potuit. Ludus
illi erat, precandi causa, celebrare ædem V.
Matris cognomento à Crea, & modo in Pa-
trum Cappucinatorum, modo in Barnabita-
rum cœnobium se recipere, deque pietatis in-
stitutis cum vtrisque colloqui: à quibus vix
auelli posse videbatur. Admirabatur in primis
illam,

*Fugit pe-
ccationes.*

illam, quam in plerisq; omnib; cernebat vultus hilaritatem: illum rerum mortalium contemptum, illa statura precandi & canendi tempora, illam totis ædibus quietem omni strepitu vacuam, illam animi, siue viuendū seu moriendum sit, æquitatem. Hæc reputans animum ad simile vitæ genus sensim adiungebat. Interea ne ab animi proposito mores discreparent, arctius & attentius vitæ suæ rationem instituere, atque inter sæculi & aulæ delicias, hominum religiosorum consuetudinem omnibus virtutibus exprimere: diutius secum in cubiculo habitare: nolle per hyemem in eo focum licet manus frigore intumescerent. Omnem item populi celebritatem fugiebat, multo vero magis à comædijs, cœnis intempestiuis lautisque epulis abhorrebat, ad quas cum non raro à patre, nonnunquam etiam tam inusitatum eius solitudinis studium stomachante, inuitaretur, nunquam permoueri potuit. Diuorum à Surio & Lipomano descriptas legebat cum voluptate res gestas, è profanis eos ferè legebat, qui de moribus scripserunt, vt Senecam, Plutarchum, Valerium Maximum: è quibus rectè viuendi exempla, pro aliorum excitatione deducebat. Illius porro necessarij cum eius mores non ignorarent, neque tantam victus cultusque duritiem, rerumque omnium quæ in sæculo laudantur despicientiam æquis oculis aspicerent, tamen prudentiam eius singu-

*Emulatur
vitam re-
ligiosorum.*

*Vitat con-
uiuia.*

*Vitas San-
ctorum an-
tè legebat.*

*Ieiunat ter
quot heb-
domadis.*

singularem, virtutemq; reueriti, neq; quid ita faceret interrogare ausi, missum eū faciebant. Reuersus dein Castilonem Aloysius ad pristinam victus parsimoniam, quam Mantuæ fuerat complexus, plura in singulas hebdomadas plena ieiunia adiunxit, sic vt quot hebdomadibus minimū tria seruaret stata ieiunia. Nempe sabbatho honori Beatissimæ Virginis matris: feria sexta neci Christi Saluatoris nostri recolendæ, quo die solo pane & aqua contentus manè tribus panis segmentis in aquam intinctis nulla re præterea, vesperti autem in esuriam cœnulā, vno item panis modicè tosti, & aqua macerati segmento victitabat. Feria deniq; quarta interdum ceteris, præter panem & aquā sibi interdicebat, interdum receptum in Ecclesia ieiunij morem tenebat. Accedebant alia extraordinaria ieiunia, quæ spontè sibi imperabat, quoties vel tempus admoneret, vel ad ea diuini amoris, & pietatis ardore raperetur. Præterea cibi erat adeò modici, vt nonnulli è patris cohorte mirati, quinam vitam tueri posset, decreuerint ipso insciente; quantum cibi vna mensa caperet, appendere. Ij postquam panem vnà cum obsonio statim examinârunt, iure iurando confirmant, quod ille prandere soleret vel cœnare, vnciam totam non pependisse. Illud præterea morum ipsius erat, ad id ferculum, quod deterrimum in mensam allatum putaret, oculos adijcere, atque eius pauxillo degustato, cætera intacta relin-

*Temperans
in victus
admiranda.*

*Vna refe-
ctione vix
vnciam
comedit.*

*Vilissimum
ferculum
sibi eligit.*

relinquere. Postremis vero annis, extra ieiunij dies, non nisi ad libellam expenso usus est cibo, dictitans id ad viuendum satis esse: quod superaret, vt superuacaneum esse respuendum. Singulis item hebdomadibus minimum ter se flagris excipiebat: vltimis vero annis, quibus in saeculo versatus est, quotidie, ac tandem intra noctis & diei spacium tertium, vsque eo dum suo se sanguine perfunderet. Quandoq; etiam fragmen tabulae aut alterius ligni linteis lecticarijs abdebat, quo ipse sibi dormienti molestiam faceggeret. Ne vero interdum perpetuo dolore corpus vacaret, pro cilicio quod illi deerat, calcaria nudo corpori admota non sine acri dolore gestabat. Mane postquam è lecto surrexerat, in meditatione rerum caelestium horam ipsam consumebat, quam non clepsydrae fluxu, sed charitatis in Deum impetu, ac caelestis dulcedinis sensu metiebatur: sub hac familiares suas preces recitabat. Rei praeterea diuinæ dabat operam quotidie, & saepe numero sacerdoti ministrabat, qua re mirifice ducebatur. Insuper religiosorum eius oppidi hominum, interea dum publice Deum comprecarentur, atque laudarent, singulari exemplo, atq; ipsorum fructu, ceteris se miscbat: reliquum diem in libris sacris volutandis, aut in sacrorum arcanis considerandis, animoque penitus contuendis abditus latebat. Appetente nocte, priusquam ad quietem se conferret, vnam & alteram horam orationi

Quot hebdomadis ter se flagellat.

Tabulam sibi dormienti substernit.

Mane per horam meditat.

Deuotio ex ga Sacrificiū Missa.

Duabus horis antequam dormiret orat.

P impen-

impendebat tãto sensu, nullum vt ei modum statuere posse diceres. Cubicularios qui foris operiebantur, dum cubitum concedenti seruirent, non modo non tãdebat eius mora, sed plurimum etiam eius exemplo proficiebant ad virtutem. Igitur modo per ianuã rimas introspeciebant, quemadmodum se inter precandum gereret, modo domini emulatione, & ipsi Deo supplices accidebant. Præterquam vero quod interdum ita in meditatione defixerat animum, vt eius memoriam nulla diurna occupatione deleri sineret, multa item nocte corripiebat è strato corpus, & solo indusio opertus in medio cubiculi pcul semper ab omni fulcro, genua in nuda figebat humo, & cælestia mente pertractans bonam noctis partem conficiebat, adeò vt membris hyemali frigore obrigescens, cum genibus ultra niti non posset, humi stratus meditationem prosequeretur. Ex hac vero cõsideratione illa manasse videtur animi excellẽtia ac magnitudo, quæcunq; mundus possidet despicientis; qua dote nihil aiebat esse præclarior, vnde in Principum palatijs, dũ supellectilem argenteam & auream vestem, stragulam, ministrorum obsequia, aliaque de eodem genere aspiceret, vix risum tenebat, quod res nullius momenti, hominum iudicio tanti æstimarentur. Tandem cum in Hispaniam delatus inter ephebos regios, Iacobo Catholici Regis filio fuisset cooptatus, biennium & eò amplius in

Noctibus
meditatur.

Mundi cõ-
temptus.

us in philosophia ac Mathesi vtilissimè posuit, *Innocentia*
 tantaq; innocentia laude, inter aulae delicias
 effloruit, vt nihil in eius confessionibus mor-
 tiferi peccati deprehensum sit. In publico tam *Morum ele-*
 erat compositus, ac modestus, vt oculos nun- *gantia.*
 quam humo attolleret. Quodq; plurimum ha-
 bet admirationis, cum in regia prope quotidie
 cū Iacobo Principe Imperatricem salutatum
 adire consueuisset, eam tamen nunquam à se
 visam fuisse confessario aperuit. Dehinc cœ-
 pit vestibus etiam detritis atq; obsoletis gau-
 dere; torques adhuc aureos, aliaq; ornamenta
 quæ illius regiae mos amat, respuere, vt huius *Ornatum*
 rei gratia multum illi principio, cum irato pa- *corporis*
 tre, filij modestiam suam suæque familiae de- *respuis.*
 decus interpretante, conflictandum fuerit. Li-
 cet ad extremum constantia filij manus dede-
 rit, quodq; antea certis de causis probare non
 poterat cœperit admirari. Etsi vero Aloysius
 sibi seorsim paupertatem adeo charam habe-
 ret, facile tamen famulos ac stipatores suos,
 pro suo quemque muneris & dignitatis gradu
 ornatos esse patiebatur. Tantæ erat eius cum
 proceribus aulae conuictus grauitatis, religio-
 nisq; plenus, vt eo superueniente, aut eminus
 cōspecto hilariores sermones abrumperent,
 seque ad modestiam componerent, tantaque
 erat eius opinio virtutis, vt inter primos au-
 lae prouerbio vulgaretur: Marchionem Ca-
 stilionensem minorem non videri carne
 constare. Alterum iam annum & sesqui

*Statuit So-
cietatem
Iesu inire.*

B. Aloysius in Hispania egerat, cum divini Spiritus instinctu in dies augescere stimula-
tus, ad religionem quampiam deligendam ani-
mum adiecit. Postquam igitur de re tota diu
multumque deliberasset, frequentesq; ad De-
um preces tulisset, placuit illi demum Societa-
tem Iesu, quam & sibi decretam diuinitus, &
consilijs suis maximè opportunam esse cense-
bat, deligere. Causas autem, quæ se in eam men-
tem impulissent, ut hanc Societatem, cæteris
familijs anteferreret, quatuor adducebat, easque
magna sibi solaria dare prædicabat. Prima
erat, quod eius instituta, quasi integra adhuc
ætate, neque ullis unquam novis moribus in-
peius mutata salva & intemerata hæcenus vi-
geant. Altera quod in ea speciatim votum
voueatur, quo potestas omnis ecclesiasticas
dignitates ambiendi, aut oblatas amplecten-
di eripitur. Tertia, quia videbat multas sup-
petere Societati vias ac rationes, iuventutem
metu Dei, & castimonie præceptis imbuendi,
tum apertis literarum gymnasijs, tum pijs so-
dalitatibus constitutis. Quarta, quod Societas
peculiari studio hæreticos ad Ecclesiæ Catho-
licæ gremium reuocare, & gentiles, Indos, la-
ponios, Americanos ad Christum traducere
contendat. Quare spe ducebatur sibi etiam a-
liquando eam fortunam obuenturam, ut ad sa-
lutem hominum procurandam in eas oras
mitteretur. Hac electione absoluta dedit o-
peram beatus adolescens, ut esset quam fieri
posset

*Vocationem
suam diui-
nitus didi-
cit.*

posset certissimus de Dei voluntate. Itaque cum eo fine festo Diuæ Virginis assumptæ die, inusitata diligentia & ingenti feruore precandi sacram synaxin frequentasset, ecce tibi vox clara & manifesta allabatur, quæ ipsum religiosum in Societate I e s u fieri, & illud quam primum suarum confessionum præfidi aperire iuberet. Certior proinde de diuina voluntate factus, plenusque lætitia, eodem illo die patrem suum à confessionibus conuenit, rem, ut gesta erat exponit, & magnopere rogat, cum ijs, qui Societati præsunt agat, ut sibi quantocyus aditum ad Societatem patefaciant. Pater, postquam huius consilij initia progressusque excussit, ad extremum respondit, salutare quidem hoc consilium & diuinitus datum videri, sed nisi Marchio pater annuisset, repræstari non posse. Itaque cum eadem die matri illud indicasset, magno illam gaudio affecit. Parens vero re intellecta grauius commotus, minas ei intentare occepit, factusque demum mitior distinare filij propositum aut dehortationibus contendebat euertere. Tandem vero post multas etiam grauissimorum hominum dissuasiones, irritum euentu adhibitas, cum filium nudato tergo coram crucifixi imagine, nudis item genibus nixum, lachrymantem, atque in se verberibus sæuientem deprehendisset, stupore defixus quasi alienata mente stetit; & ingrediendæ Societatis copiam fecit. Sed cum multis eum adhuc

P 3 mensis

mensibus remoraretur, & cōficiendis negotijs
Mediolani distineret, titulo fortunisq; Mar-
chionis renunciantem diuinæ vocationi ob-
temperare permisit. Vix Aloysius, tot votis
expetitam à Patre missionem impetrârat, cum
eius rei fama Castilionem peruasit, tanto cli-
entum omnium dolore, vt eum multi abun-
dantibus lachrymis testarentur. Paucis siqui-
dem illis diebus, quibus antequam inde se mo-
uere posset, Castilione moratus est, quories
incedebat per oppidum, certatim viri femi-
næque eius videndi & honorandi causa fene-
stras omnes vestibulaq; complebant, ac dein-
de tanta significatione amoris ploratum ede-
bant, vt & ipse ægrè lachrymas cohiberet.
Adhæc velut cælestem hominem in cælum
tollebant, suamque infelicem sortem lamen-
tabantur, qui mereri non potuissent, à tam
sancto principe gubernari. Nonnulli etiam
quibus faciliores erant ad aulam aditus, plus-
que apud ipsum poterant, flentes aliquando e-
um adeunt, hisque verbis compellant. Do-
mine Aloysi quid ita nos deseris? nactus es
prouinciam tam amœnam, clientes tam hu-
manos, qui te non illo solum amore dili-
gunt, quem erga suum principem cuique na-
tura iniecit, sed in te eximia præterea pietate
feruntur. Tu nobis in amoribus, in te spes
nostræ sitæ erant: & iam cum maximè exspe-
ctamus dū rei nostræ publicæ manum admo-
ueas, à nobis auelleris? His subridens Aloysius
Ego

Ego vero, inquit, vobis profiteor, velle me mihi è cœlo coronam petere. Nimis magni negotij est, hominem ditione & principatu præditum, æternam salutem consequi. Nemo potest duobus dominis seruire, Mundo & Deo. Mihi certum est salutem meam in tuto locare. Idem & vos studere. Tandem vero abdicatione Marchionatus cõpleta, cum à Parète, ac alijs principibus viris ad prandium expectaretur, deposito seculari, resumptoq; Societatis habitu ingreditur, tanto omniũ stupore, vt lachrymas tenere nemo quisq; potuerit, atq; ipse imprimis Marchio parens toto mensæ tempore frustra reluctatus illachrymârit. Ibi Aloyſius ducto ex re præſenti sermone, festiuè, modestè, ac perquam appositè, de periculis diuinæ Maiestatis ledendæ, quib; homines sæculi immerſi cõſiſcâtur, deq; cura, quâ pro ſui quẽq; animi immortalis salute gerere par sit, differe re est exorſus, tanta authoritate, cæleſtiq; spiritus impetu, vt viri illi principes cum multa illum ſignificatione reuerentiæ ac pietatis attenderent. Vespero vero domi vtrumq; parentem ſubmiſſiſſimè orauit ſupplex, vt ſibi benè precarentur. Poſtera vero luce Romã iter capſſit, & viſitata prius e de Lauretana, in domũ Patrũ, Profeſſorũ Societ. Ieſu ſe cõtulit, vbi Patri Claudio Aquaiugẽ Prẽpoſito Generali, q in hortũ obuiam illi deſcēderat, ad genua ſe ſubmittit, ſeq; illi filium & ſubditum tam piè ſubmiſſeq; p̄ſitetur, vt è terra excitari nõ poſſet.

Ad extremum feria ſecunda a. d. VII. Kalend.
Decemb. qui D. Catharinæ Virgini & Marty-
ri ſacer eſt, cum eſſet annorum 17. lætus achi-
laris ſuis omnibus atque etiam Illuſtriſſimo
Scipione Gonzaga comitatus, domum tyro-
num Societatis Ieſu ingreditur, & virtuti ſue
iam pridem exercitæ Euangelicæ perfectio-
nis colophonem adiecit. Itaq; ad religioſæ vi-
tæ ſtadium admiſſus, ubi alieno ductu mores
ſuos cōformare cœpit, primum quidem præ-
ſidum monitu efferueſcentem antea cæ ætatis
ardorem, quo finem modumq; tranſierat ve-
lut iniectis frænis temperauit, tum vero per-
fectionem ſuperioris ætatis tanto interuallo
præterijt, vt cunctis Religioſis tanquam om-
nibus numeris abſolutū ſanctitatis exemplar
ſuo merito proponi poſſit. Ex quo enim re-
rum ſacrarum vberiori cognitione imbui
cœpit, affluentius quoddam lumen in agendo
ſequabatur, nullaque erat eius actio quamuis
minima, quam non & plurimarum virtutum
comitatu, & (vt erat eius voluntas diuinę ſem-
per gemina) vnico Dei gloriæ amplificandæ
ſtudio, atq; pleno in eum charitatis ardore de-
coraret. Illud vero obſeruatu dignum, quod
cum in principatu natus atq; enutritus, tenera
item ac debili eſſet valetudine, tamen vix pe-
dem in Societatis domum intulit, cum ita ad
communem viuendi modum domeſticamq;
diſciplinam aſſueuit, nihil vt à cæteris differre
videretur, neq; ſe vnquam à quoquam præſi-
dum,

*Perfectio
bonorum
operum.*

dum, quamvis recenti, præsertim à mutato statu, sæpius id offerretur, aut accipi curatius, aut vlla in re eximium haberi passus est: & domiad munia quamvis abiecta & humilia tam *Humilitas.* lætus alacerque descendebat, ut illum ad eam diem nunquam alienis ministerijs usum, sed in aliorum seruitijs ætatem contriuisse diceret. Postquam vero primam probationem ingressus est, eos omnes dies quibus secretum egit in diuinis rebus meditandis vel legendis (quanquam, ut erat semper in Deum intentus, nihil propè inter eius lectionem & meditationem intererat) magnopere eius animus acquireret. Interea cum eius valetudo tentari cœpisset, præsidum iudicio, quibus inter tot aduersa affatim probatus videbatur, citius emittitur. Exacta probatione medico tantisper curandus traditur, donec ex inualetudine confirmetur. Postquam verò in aliorum *Humilitas.* consuetudinem admissus est, tyrones omnes perinde observabat, ac reuerabatur, ac si eius familiæ postremus fuisset: neque diu cunctatus est quin ieiuniorum, flagrorum, ciliciorum, aliorumque edomandi vel corporis vel animi officiorum potestatem sibi fieri postulare. Tum vero habitum, quem sibi de eleganti panno confecerat, & canonicarum precum Breuiarium fronte & inuolucro aurato ornatum cum viliori permutari præfides exorauit. Animum usque eò tranquillum atque ab omni perturbatione liberum habuit, ut omnibus mortalium

casibus superior, nulla molestia quateretur, néue charissimi parentis sui morte quicquam commoueretur. Non est prætereunda hoc loco eximia Marchionis parentis ad extremum poenitentia, quam ipsemet Aloysij precibus acceptam referre solebat. Cum enim articuli morbo correptus decumberet, quotidie vespericorâ crucifixi imagine vnâ cū Ghisone Aloysij quondam cubiculario septem de poenitentia psalmos & litanias recitabat, ad quas accersebat etiam cōiugem & liberos, atq; vt respōderent imperabat. Inter orādum vero tanta vi lachrymabatur, tanto cum singultu & gemitu, vt manifestò eius poenitēdi ardor spectaretur. Ad vltimum crucifixi signum complexus & pectus tundens indentidem cum lachrymis ita precabatur. Miserere Domine, Domine peccavi, miserere mei: Miratus verò insolentem hanc suam fletu prōptitudinem, tandem: Non ignoro, inquit, vnde hæ lachrymæ fluant: sunt hi Aloysij fructus. Aloysius à Deo Opt. Max. vt hoc salutari dolore cor mihi suffigeret, impetrauit. Ad hæc sacerdoti omnes superioris vitæ labes accuratè & dolēter Christiano ritu cōfessus est. Illud vero etiam de Aloysio in admiratione erat: quod curam de p̄p̄inquis omnem adeo deposuerat, vt interrogatus quandoque, quot haberet fratres, non prius respōdere potuerit, quàm secū ipse eorum numerum inijsset. Aliàs percunctanti cuidā patri: molestiā me aliquā e necessariorum

Parenti
suo contri-
tionem im-
petrat.

Vacat affe-
ctu omni
erga cog-
natos.

rum recordatione caperet, negavit eorum unquam in mentem venire, nisi cum generatim eos Deo commendare vellet, ac Dei beneficio, usque eo se cogitationes suas in potestate habere, ut non, nisi quod vellet, unquam animo succurreret. Sensus omnes suos tam diligenti custodia sepe-
Custodia sensuum.
 rat, ut oculis & auribus praeditus nec videret, nec audire, & corpore in terra positus mente in celis versari videretur. Nunquam dum Religioni vacavit, rem ullam odoriferam, nedum alcito odore imbutam in manus sumsisse visus est, & quoties in valetudinariis egris ministrabat, cuius copiam saepe sibi fieri postulabat, ad omnium teterrimos applicabat se, situmque illum ac paedorem tam facile ferebat, ut nullum fastidii signum daret. Domabat & tactum inflicti carni verberibus, ad motus ciciliis, nudo pane & aqua in diurnum saepe victum adhibito, aliisque corpori poenis, cruciatibusque impositis, quae omnia valde frequenter
Corpus affligit poenitentis.
 bat, nisi tamen propter infirmam valetudinem rarius ac vellet, horum ei licentia permittebatur. Neque aliud maiorem ei dolorem afferebat, quam quod suo in hac re animo obsequi non liceret. Quondam etiam cuidam patri confidenter negavit quicquam esse ea supplicia, quae corporis animique insolentiae reprimendae causa modo usurparet ad ea, quae in pristina fortuna sua sponte tulisset, hoc uno se recreari, quod religionem navim similem esse sciret, in qua non minores progressus faciat, quam gubernatoris iussu otiosi sedent, quam

*Aurium
custodia.*

*Oculorum
custodia.*

*Linguae
custodia.*

quam qui in remigando defudent. Ad audiendi sensum quod attinet nunquam ille res novas, aut inutiles narrantibus aures accommodavit. Itaque si res ferebat, sermonem aliò trahebat; sin aliquo numero esset qui loqueretur, silentio ipso, habituque oris satis ostendebat quæ dicerentur, invito sibi esse. Oculis, cum in solutiori etiam illo viuendi genere seuerissimè moderatus sit, longè etiam illustriora inter Religiosos eius vigilantiae exempla edidit. Tribus enim à suscepto tyrocinio mensibus (vt alia præteream) cū ad Magistrum retulisset, angi se religione, quod non voluntate, sed fortuitò in assidentem coniectis oculis, quid rerum ageret vidisset: vereri se ne id curiositatis notam mereretur, quodque magis etiam mireris, adiunxit, sibi ià primum, dum in Societate esset, scrupulum qui ad oculos pertineret, incidisse. Gustatum funditus perdidisse videbatur, adeò nullum cibi saporem percipiebat, neque curæ habebat delicatus an vilis, benè conditus, an insulsus esset. Studio illi erat, eius quod sibi propositum erat deterrium sumere, & inter edendum nunquā non mente in res diuinas infixæ esse. Nam præterquam quod lectioni attendebat, meridie solum quod Christo in potione datū est, vesperi cœnam illā sacratissimā, plenamque mysterijs, qua postremū discipulos suos Christus accipit, animo versabat. In linguæ custodiā ea vigilantia incubebat, vt non solum eam legem, quæ

quæ religiosis hominibus certis temporibus
 silentium indicit, ferè supra fidem, observa-
 ret, sed etiã ceteroquin tacendi quam loquen-
 di esset studiosior. Proindeq; ea hora quæ
 proximè à prandio ac cœna remissioni ani-
 morum tribuitur, nunquã non de Deo agere,
 ac sæpenumero institutũ sermonem abrũpere
 solebat, vbi veniebat aliquid in mentem, quã-
 obrem quod erat exorsus reticendum videre-
 tur, & paulisper defixus silentio, nunquã per-
 suaderi sibi sinebat vt eum pertexeret. Vesti-
 um nulla nisi detrita atq; obsoleta illi arride-
 bat, adeo ad sui ipsius salutarẽ despicientiam,
 euulsis omnibus præposteris amoris radicibus,
 & adhibita ad hoc aliquot mensũ de Christi
 ærumnis meditatione ferebatur. Sæpè pote-
 statem sibi fieri postulabat in obsoleta lacerna
 humeris mantica oneratis per urbem stipem
 mendicandi. Interrogatus ecquid hoc illi pu-
 dori esset aut molestiæ? negavit. Proposito si-
 quidem ante oculos Christi exemplo, & eius
 gratia, immortalisq; præmio, quod meriturus
 sit, satis sibi stimuli esse, ad hæc omnia libenti
 gaudentique animo subeunda. At eundẽ mo-
 dum cum festis diebus in vrbis vicis ac cõpitis,
 Præsidum missu, mendicis ac rusticanis homi-
 nibus, Christianæ doctrinæ elementa trade-
 bat, tanta erat eius in hoc munere hilaritas, at-
 que aduersum omnes amor, vt cũ omnes fru-
 ctum ex eius aspectu caperent, tũ vero grauif-
 simi Antistites fortè rheda præteruecti ipsius
 viden.

*Viliori va-
 stitu gam-
 det.*

*Sæpe stipens
 in publico
 mendicat.*

videndiatq; audiendi studio subsisterent. Vnum erat quod eius mētem grauiore molestia pungebat, quando palam in triclinio vel tyronum exedra de suis delictis reprehendebatur. Non quod notam alieni à virtute hominis reformidaret, sed quod sua sibi vitia per se stomachum mouere diceret. Itaq; non aliud crebrius poscebat, quàm vt publice coargueretur, id q; ex vsu sibi imprimis esse fatebatur. Magister tyronum postquam illū adeò omnibus in reb; consideratū videt, volens eius virtutem periclitari, triclinio tergendō, verrendo, & sternendo operam dare iubet, ipsi autem præfecto negotium dat, vt eum identidem catendo & vellicādo assidue exerceat: quare ne adduci quidem Aloysius potuit, vt se vel excusaret, vel cur ita faceret rationem redderet. Ad summam à primoribus sui tyrocinij mensibus tā erat cōpositis suauibusq; moribus, cibi tā parcus, ieiunijs tantopere deditus, corporis animoq; præcipue cum de contemnendo honore agebatur, tā seuerus, ppenfusq; domitor, legū omnium quamuis de minutis reb; tam sedulò obseruans, tam sui despiciens, tam affabilis omnib; superiorū tam reuerens dictoq; audiens, tam pius aduersus Deum, tanta charitate in eū æstuans, atq; omnibus deniq; virtutis numeris perfectus, vt nō modo omniū tyronum ore, velut quidam e Diuorum gente prædicaretur, sed etiam pro tali in cōgressibus omni obseruatiā coleretur, quæq; ille cōtigerat

*Insignis
patientia.*

*Mira Aloy-
sij virtus.*

rat pietatis causa osculis honestarentur. Cæte-
rum erga sacratissimam Eucharistiam eximia
deuotione pollebat: inflammabant enim eius
voluntatem oblectamēta & illecebræ mentis
notabiles, quibus inter capeſſenda diuina my-
ſteria perſuadebatur. Neq; id eius integritatem
animi & exquisitam quam adhibere solebat
præparationē cōſideranti mirū videri debet.
Simul ille ad ſacrum epulum accedebat, ſimul
animum præparabat ad alterum. Ac præter cæ-
tera officia pietatis quibus vacabat, quamlibet
hebdomadem ita particbatur, vt tres primo-
res eius ſerías alteram, tertiam & quartam a-
gendis tribus ſanctiſſimæ Trinitatis perſonis
ſigillatim, pro tam eximio communicatæ ſe-
cum Eucharistiæ beneficio, gratijs confecra-
ret, tres item poſteriores, quintam, ſextam
& ſabbatum iſdem perſonis ſeorſim ſingulis
orandis impendebat, vt facultatem ſibi præ-
ſtarent, ita vt oporteret proximo conſequen-
te die Dominico cæleſtis conuiuij ineundi.
Non rarò quot hebdomadis, ſtatis horis in
ſacram ædem ſe recipiebat, atque ibi augu-
ſtiſſimam Eucharistiam adorabat, & preci-
bus Deo offerendis nonnihil temporis tra-
ducebat. Pridie quam eius particeps fieret, id
vnum myſterium in omnibus ipſius ſermo-
nibus & congreſſibus verſabatur, in quibus li-
quida quædam voluptas & diuinus ardor, quo
eius animus interea compleretur eminebat.
Id cum nonnullis ſacerdotibus gnarum eſſet,
ſabba-

*Deuotio ero-
ga ſacram
Euchari-
ſtiam.*

Sabbato ad colloquium Aloyſij properabant, ac negabant vberiore ſe vnquā pietatis ſenſu quā dominico die ſacris operari. Sabbatho item vespere his cogitationibus imbutus quieti ſe dabat, altera vero luce cū euigilaſſet idem agebat, tum horā ipſam de admirabili, quæ in Euchariftia fit, animi cū Deo coniunctione, cōmentabatur, hac elapſa ædem ſacram rei diuinæ operam daturus petebat, inter quam ſemper immobilis genibus nitebatur. Suſcepta Euchariftia ſeuocabat ſe in angulum, è quo videre illum erat, poſtquam aliquamdiu quaſi alienata à ſenſibus mente oraſſet, ægrè ſe in pedes erigentem, & propè languido gradu è tēplo efferentem. Lucundo verò diuini amoris motu, ſuauiſſimis quæ cæleſtibus pleno interea pectore fruebatur. Reliquis antemeridianis horis ſancto ſilentio intentus, aut preces recitabat Deo, aut eum tacitus ſpeculabatur, aut piè aliquid à D. Auguſtino vel Bernardo litteris mandatum legebat. Agebat id temporis quarto ab ingreſſu Societatis menſe in domo profeſſorum, vbi ſimul conſitenti operam dare cœpit P. Hieronymus Platus, de quibus diuinis rebus atque interioris animi rationibus cum eo ſermones habere ingreſſus eſt, ea omnia ſigillatim exquiſiuit ab ipſo, quæ ſcriptis dein prodidit, tantamquæ in hoc adolescente innocentiam tantum rerum diuinarum ſcientiæ lumen, tantam plenæ ſanctitatis ſublimitatem comperit, vt eum deinceps velut quendā è Diuorum

uorum numero coluerit, & quoties in eius
 mentionem venit, apud omnes ijsdem laudi-
 bus ornârit, & nonnunquam mirum sibi vide-
 ri affirmarit, quod pro tam illustri sanctitate
 multa ac manifesta miracula non ederet. Man-
 sit porro in ea domo diutius Aloysius, quàm
 cæteri tyrones soleant. Prima luce quotidie
 hora piè meditando exacta ad sacrum vestia-
 riū se conferebat, neq; inde nisi postquā quinis
 senisue sacris propensâ admodum pietate, cæ-
 lestique gaudio ministrasset, pedem referebat
 domum. Aedituum, si qua de re monendus,
 aut consulendus esset aperto capite, iunctis an-
 tepectus manibus adibat, coramq; astans, tam
 reuerenter ac submissè alloquebatur, vt vere-
 cundiozem illum faceret. Mādātā tūm ipsius,
 tūm sociorum eius, non minus promptè ac-
 curateq; exhauriebat, quàm si à Christo Dō-
 mino data essent. Feria quinta maioris hebdo-
 madæ negotium ei dederat ædituus, vt ad ce-
 notaphium Christi ardentē lucernas curaret.
 Ibi cum diu astitisset, nunquam tamen ad aspi-
 cienda ornamenta, apparatusque loci, qui sua
 venustate magnam populi vim contraxerat,
 oculos sustulit, ergo sciscitanti postea socio,
 ecquid ei cenotaphium arrisisset, negauit se
 vidisse. Neq; enim sibi visum esse licere, quan-
 do aliud ab ædituo in mandatis haberet. Ad-
 uersus tyropelem qui cæteris tyronibus præ-
 erat, tantam reuerentiam obseruantiamq; ad-
 hibebat, vt ne Præpositum quidem ipsum Ge-
 neralem

Humilitas.

*Mira erga
superiores
reuerentia.*

Q

neralem maiori colere posset. Prætereunti si quidem assurgebat, caput aperiebat, omne honoris genus habebat, donec ille, qui pro suo pudore tantum dignationis ferre non poterat, Præfidi quereretur, isque Aloysio præciperet, ut modum suo officio statueret, quod & fecit. Huius vero facti rationem dabat, quod non eum cui obediret, sed cuius vicem gereret, spectaret, & iubentis vocem tanquam Dei non hominis vocem interpretaretur, quodque melli sibi esset, cogitare Christum sibi loqui, nonnullamque ei seruiendi occasionem dari. Adijciebat iucundius se ijs, qui inferiorem quam qui supremam potestatem gererent parere, neque id tam humilitatis studio, quam quadam, ut ipse appellabat superbia. Etenim si humano iudicio res pèdatur, ægrè quidem hominem, ut in hominis, præsertim si neque genere neque naturæ fortunæque dotibus par sit, potestatem sponte veniat, adductum iri. At vero Deo, aut quod idem est, homini vicem Dei fungenti semet subijcere, rem esse longè gloriosissimam, id vero tantò luculentius eminere, quò minus in eo humanus sensus dominetur, paucioraque sint in eo qui imperat ornamenta, quæ hominum animos ad se còvertere & rapere possint. Valebat plurimum ad aliorum animos accendēdos, cernere quàm parato patienti; animo animaduersiones sustineret, quanta alacritate quicquid grauius de se, nullo licet suo vel culpæ vel negligentia (quæ duo aut nunquam aut

cer-

Patientia.

certè perrarò in eo reperiébantur) merito statutu esset, persolueret. Quinimò sepe numero euenit, vt quod alij deliquerant ipse per errorem in simulatus, libens nihilq; pro se causatus, perinde ac si culpam sustineret plecteretur. at non diu latebat, ijs qui in culpa erant, cum illum puniri viderent, certatim sui abijciendi studio, de contracta noxa profitentibus. Reliquo die solebat quèpiam Patrum ad carceres aut valetudinaria, quo eius domus Sacerdotibus pœnitentiæ administris mos est itare quot hebdomadis sæpius, comitari, atq; interea dum ille vinctis aut ægris confitentibus sui copiam facit, ipse cæteros de Christianæ fidei capitibus, aut ratione obeundæ pœnitentiæ erudire. Domi vero in obeundis
Humilitas.
culinæ munijs, similibusque humilibus ministerijs tanta voluptate versabatur, atque si eo loco natus eoq; iure esset, cui insita quadam naturæ vi illorum studium congrueret. Legibus omnibus, quantumuis minimæ notæ, tam studiosè parebat, vt nullius hominis quacunque dignitate præditi gratia eas migraret. Fuit, cum Illustrissimo Cardinali Roberto propinquo suo in templi vestiarium eius visendi causa venienti se excusans negaret, potestatem sibi esse cum eo loquendi, qua ille excusatione recreatus non prius cum eo sermonem contulit, quam à P. Generali permissum esset. Denique tam erat in omni officij munere perfectus, tam recti & salubris
Obedientia.
Q 2 omni

omnibus exempli, ut in omnium, qui in ea domo erant, sinu habitaret, atque adolescens Sanctus audiret. Reuersus post bimestre spacium ad domum tyronum mirabili innocentia vitæ emicuit; adeo ut ille ipse, qui suas res omnes obseruare, ac non solum actiones, sed cogitationes etiam suas excutere diligentissime solebat, nihil in se reprehensione dignum inueniret. Eamque ob rem tyronum magistro scrupulum, qui se exerceret, eximendum proposuit, cum narraret, se quamuis omnem diligentiam in explorando penitus animo suo confumeret, nihil tamen in eo aduertere posse, quod vel inter venialia peccata reponendum esset. Id verò esse, quod grauiter maceretur; vereri enim ne ex eo id existat, quod parum se noñt, atque adeo ne interiores illæ tenebræ menti suæ sint offusæ, quas sæpè audisset grande ei periculum creare. Atque ex hoc quanta fuerit mentis eius puritas, facile colligi licet. Manauit porro illa ex compluribus animi dotibus, quarum vna est, quod à primâ pueritia in edomandis affectibus animi studium diuturnum posuerat, comparatoque inde habitu eò iam euaserat, ut neque perturbari animus, neque villo rerum mortalium sensu vel primis cupiditatum motibus concitari videretur, ac proinde ne indicium quidem vllum animi inconsulta ratione, ira aut impatientia aut alia quavis ægritudine agitati, quoad in religione versatus est obseruari à quoquam potuerit. Quæ vacui-

*Mira vita
innocentia.*

*Cupiditate
et omni in
ordinato
affectu vacu-
at.*

vacuitas ab insolenti omni affectu, tanto plus habet admirabilitatis, quod minime ex hebeti natura proficisceretur, quippe cum, præterquam quod adolescentia & multo sanguine calidus, etiam sagaci & supra ætatis captum perspicaci esset ingenio. Sed nimirum præcipuæ Dei gratiæ & habitibus excellentium virtutum accepta ferenda est, ad quos illum perpetua meditatio, exercitatioque frænandi sui perduxerat. Accedebat quod in agendo non affectum, qui sæpè ultra rationis fines hominem agit præcipitem, sed lucè prouisionemq; mentis ducem sequebatur. Neque vero in sociorum congressibus ac circulis vnquam cupiditate vincendi ad inanes pugnas verborum descendebat, sed animi sui sensu ingenuè patefacto, si erat qui contradiceret non repugnabat, nisi quid interdum, vt patrocinaretur veritati, blando sermone sedatoq; animo simpliciter respondendum videretur, quod si alter pertenderet, quasi de re nihil ad se pertinente conticescebat. Adhæc desiderium omne non modo indifferens, sed, quod maius est, bonum etiam ac sanctum, quod modò vel tantillū pacatum quietumq; animi statum turbare, & superuacuas sollicitudines accersere posset, omni studio eiiciebat, quamobrem mens illi perpetua tranquillitate quæ diuturno vsu quodammodo iam in naturam venerat, fruebatur. Eodem vel maximè conferebat, quod Deum non modo sibi ante mentis oculos inter actio-

nes omnes assiduò ponebat, cuius gratia nihil fuscipiebat, quod non omni industria elaboraret; verum etiam quod ei perpetuo orationis vñu confociatus erat. In qua oratione tantum studij collocabat, quasi in ea spes omnis sita esset perfectæ sanctitatis parandæ. Negabat fieri posse, vt qui precandi sui que colligendi minus studiosus sit, plena vnquam & diuturna de seipso victoria vtatur, aut ad excelso rem virtutis & sapientiæ gradum aspi-
 ret, id quod experientia ipsa satis ostendit. Ergo illam quorundam religiosorum ani-
 mi impotentiam, illos turbidos concita-
 tosque motus, illud fastidium, neglectæ me-
 ditationis sacræ, orationis que consuetudini
 ferebat acceptum. Hanc ille compendiari-
 am & proximam ad perfectam virtutem viam
 esse dicebat, idque omnibus persuasissimum cu-
 piebat esse, neque enim dubitabāt quin eius
 suauitate degustata, nemo sit futurus, qui ab
 ea se diuelli patiatur. Illi igitur diuino ex-
 exercitio adeò toto animo, contra ac quorun-
 dam consuetudo est, se dederat, vt omnes
 ipsius deliciæ eo tempore quo comprecand-
 um aut meditandum erat contineri viderentur.
 Atque ex ijs quæ longo vñu in seipso
 compererat hausit præclarissima quædam ri-
 tē meditandi præcepta. Itaque P. Robertus
 Bellarminus, qui nunc est in numero Pur-
 puratorum Patrum, cum in collegio Roma-
 no capita meditationum compluribus expli-
 caret,

*Meditatio
 magnum
 perfectio-
 nis vita
 præsidium.*

*Meditatio
 ni valdè
 addictus
 fuit.*

caret, præclaro aliquo rectè meditandi documento tradito adiungere solebat. Hoc se ab Aloysio nostro didicisse. Præparabat animum per diligentem, lectis quartam horæ partem minimum dimidiatam, certis, de quibus postridie commentaretur, locis. Vbi diluxerat, dabat operam, ut aliquanto antè ad meditandum accinctus esset, quàm eius ordiendæ signum daretur, quo tempore collectum animum ad tranquillitatem componere, & cura appetitioneque omni alia soluerenitebatur. Neque enim fieri posse aiebat, quin mens alias res agat, Dei que imaginem, cui se contemplando quam simillimam esse studere debet, recuset exprimere, dum interea sollicitudine, vel amore vel cupiditate cuiusquam alterius rei teneatur. Dato orandi signo quanta maxima poterat reuerentia ante suum oratorium procidebat in genua, tantaque industria in mente, ne quam in aliam curam dilaberetur, arcenda aduigilabat, ut huius gratia ne spuendi quidem necessitati parere sustineret. Totum se dabat cogitationi eorum quæ ad meditandum erant proposita, & confluente, vehementi contentione mentis, ad superiora vitali spiritu ac sanguine, ima membra tanta debilitas & frigus occupabat, ut finita oratione, pedibus nequireret consistere. Accidebat etiam non rarò, ut postquam ab ea surrexerat, alienata aliquandiu à sensibus mente, ne locum quidem in

*Mentem
inter oran-
dū semper
collectam
habet.*

Q 4

quo

*Nimius est
ad lachry-
mas.*

quo constiterat, agnosceret, quod tum præci-
puè usu veniebat, cum illa Deo attributa elo-
gia, bonitatem, prouidentiam, amorem aduer-
sus homines, eorumq; immensitatem cõtem-
plabatur. Inter precandum, tantam habebat la-
chrymarum facultatem, ac tam largè eas fun-
ditabat, vt necesse fuerit Præsides, metune ex
hac copia caput atque oculi detrimentum ca-
perent, aliquam eas inhibendi viam inire, ve-
rum nullo vnquam remedio profectum est.
Admirabilius vero est, cuius tum alij eius cõ-
fessionum arbitri, tum Bellarminus Cardina-
lis est testis, quod ab instituta oratione nun-
quam ferè eius animus aberrare sit solitus;
quod quam sit eximium Dei munus, facilè
quilibet ex eo, quod ipse inter orandum ex-
peritur, assequetur. Lege sancitum est, vt qui-
uis de Societate, cum ineunte tyrocinijs tem-
pore, tum reliqua ætate, sexto quoque mense
non delicta modo, sed dona etiam, gratiã, vir-
tutes haustas diuinitus, omnia deniq; consci-
entiæ arcana Præsidi suo patefaciat: nimirum
vt ille, cuius est cæteros consilijs suis governa-
nare, de omnibus edoctus, paternum in mo-
dum, finem & modum transeuntes refrænet,
incautos fraudibus, quarum in arctiore vita
frequens occasio est, liberet, omnibus deniq;
fidei suæ creditis, ad progressiones, in perfe-
cta viuendi ratione faciendas, viam muniat.
Hoc verò est, vnde complures Beati Aloysij
virtutes patuerunt, studio siquidem parendi
legi,

legi, atque ex Maiorum præscripto dirigendi
 sui, mirifico candore & synceritate Superio-
 ribus suis, & melioris vitæ parentibus, quid in
 suo pectore ageretur à Deo detegebat. Cum
 ergo quondam Rectori interiorem animi sui
 notam patefaceret, percunctanti, ecquid inter
 orandum, cogitatione interdum ad alias res
 abstraheretur, respondit ingenuè: Si cogita-
 tiones omnes alienæ, quæ suam sex illis mensi-
 bus vnquam precantis, meditantis, in consci-
 entiam inquirentis, mentem remorata essent,
 in vnum cogerentur, eam omnem morâ, spa-
 tium, quo salutatio angelica recitari posset,
 non æquaturam. In orationibus quæ pronun-
 ciationem desiderant, maior ei difficultas e-
 rat, non quidem quod inter eas quicquam ali-
 ud tractaret animo, sed quod minus expedite
 psalmorum aut aliorum quæ recitabat sen-
 tentiam assequeretur. Itaque sibi tunc euenire
 aiebat, quod homini pro obseratis foribus
 stanti, qui neq; ingredi possit, neq; alio digre-
 di velit. Cæteroquin, in hoc etiam precandi
 genere, vehementi rerum cælestium sensu, ac
 voluptate affluebat: præcipuè in legendis psal-
 mis, è quibus pios & interdum adeo incitados
 animi affectus induebat, vt ægrè & vi nonnul-
 la verba proferret. Quod ad meditationis ma-
 teriam, in consideratione suppliciorum ac
 mortis Christi D.N. plurimum acquiescebat,
 diuinæque ex ea iucunditates capiebat. Eius-
 demque memoriam quotidie sub meridiem

*Mira ani-
 mi inter
 precandum
 collectio.*

Q 5 breui

breui antiphona mirifico pietatis sensu refri-
cabat. Sanctos Angelos, ac præcipuè tutela-
rem suam, singulari quadam obseruantia co-
lebat, & iucundè speculabatur. Cui præter cæ-
tera argumento est præclara ab ipso de ange-
lis conscripta meditatio, quam P. Vincentius
Brunus in alteram partem suarum meditatio-
num retulit. Denique verissimè mihi videor
confirmare posse, vitam eius religiosam per-
petuam quandam orationem fuisse, siquidem
tot iam annorum orandi, mentemq; à sensi-
bus abducendi vsu, eiusmodi erat habitum
consecutus, ut ubi ubi esset, quicquid rerum
gereret, animus illi potius in ijs esset, quæ mē-
te tantum, quàm quæ etiam sensu vsurpantur.
Quid quod in eum iam statum deuenerat, ut
vix ipsis sensibus, ut oculis ad videndum, au-
ribus ad audiendum vteretur: adeò se totum
ab illis ad interiora cōuerterat: in his solis ac-
quiescebat, hæc in oblectamentis habebat, ab
his, si quæ illum cuiuslibet utilitatis ratio di-
straxisset, omnibus licet quæ res posceret ten-
tatis, tamen parem animo molestiam capie-
bat, atq; si aliquod ei membrum luxatum es-
set. Quā obrem nihil erat ei procliuius, quam
totum diem inter medias etiam corporis oc-
cupationes Deo cogitatione deuinctum esse,
animum collectum atq; hoc agentem retine-
re; nihil difficilius quàm eundē dissipare. Cer-
tè quondam fastus ipse est, quantam alijs diffi-
cultatem, ut ipsi affirmant, habere videatur
men-

*Cogitatio-
nem à Deo
agrè potest
disuellere.*

mentem in Deo defigere, haud minorem sibi esse in auocanda. Quamdiu enim sibi ipsi imperare conabatur ne de Deo cogitaret, vehementi vi conflictabatur, qua dimicatione atq; impetu maiore valetudinis iacturam quam ipsa continua Dei consideratione faciebat. Interdum, ne districto quidem maximis occupationibus, Deus illabi, & cor vberimis delectationibus perfundere abstinebat, neq; sanè breuibus, sed quæ interdum amplius horam tenebant. Quæ quidem ita complebant animum, ut in corpus redundantes, celesti quodam illud ardore succenderent, quem satis ipso vultus rubore probebat. Nonnunquam vero cor illi ea flamma correptum, tam crebro & concitato motu palpitabat, ut exsilire velle diceres. Hæc tot interna gaudia, quibus eius mens pascebatur, adeo omnem corporis curam exemerant, ut magis ac magis indies debilitaretur, & capitis dolor ingraueret. Cum ergo Presides, quæ eum regebant, animaduertenter fieri non posse, ut in tanta contentione animi diu viueret, præsertim valetudine iam pridem voluntariis afflictionibus perturbata, omnis ei ieiunij, abstinentiæ, flagelli, ceterarumque scueriorum poenarum usu interdixerunt; deinde somni tempus prouiderunt, orationis contraxerunt, adempta primum dimidiata, ac postmodum tota etiam hora, vetita insuper frequenti breuium precum, quibus negotia dispungere mos est, consuetudine, ac denique denunciato, quo minus temporis precando consumeret, hoc propius ad maiorum

vo.

voluntatem accessurum. Adhæc quò quam
lōgissimè abesset a meditationibus animi, va-
rijs eum manuum operibus distingere studue-
runt, ac deniq; crebris monitis auctores esse,
vt quo sanitatis tuendæ causa diligentius sibi
temperaret, hoc magis se è Dei gloria facere
crederet. Neq; verò magni negotij fuit, eum
qui multò obedientissimus erat, in hanc men-
tē impellere, ac pro arbitrio fingere. Id vnum
tamen illum pungebat, quod nō satis videbat
quinam superiorum imperium facere posset.
Siquidem etsi laborabat, vt mentem suam de
rerum diuinarum cogitatione defleceret, fur-
tim tamen atq; ex improviso in eam redibat
atq; resorbebatur. Quondā ergo animi anxius,
quod Superiorum voluntati obsequi nō pos-
set, Sacerdoti, quocum illi interior vsus erat,
cōfidenter: Equidem, inquit, quid agā nescio:
vetat me P. Rector orationi vacare, ne cōten-
tione mentis caput lædam, at ego grauius fati-
gor ac torqueor, dum à Dei cogitatione ani-
mum seuocare studeo; quam si assiduò in eam
coner intendere, quod quidem vsu quodam-
modo in naturam transijt, neq; iam labor sed
requies & solatium est. Enitar tamen vt
quod mihi imperatur quàm optimè licebit
perficiam. Vbi sibi omne orationis genus in-
terdictum vidit, eius loco creberrime in tem-
pli Odeum sanctissimæ Eucharistiæ adoran-
dæ causa ascendebat. Ibi simul acciderat inge-
nua, confestim surgere, ac ne qua cogitatione
à sen-

in sensibus abriperetur in Deū, distinereturue,
inde se curriculo proripere. Verum hac dili-
gentia parum proficiebat. Quò enim obedi-
endi amore magis insistebat fugere, hoc Deus
illum acrius consequi, suiq; copiam illi face-
re, & pectus illustrationibus, delicijsq; celesti-
bus totum permulcere, quas ille sentiens, ne
superiorum mandata frangeret, recusabat sci-
licet, submissoq; animo Deum alloquens: Re-
cede à me Domine, aiebat, recede à me. Non
mediocris item illi negotij erat, sensus corpo-
ris ad sua munera fungenda conuertere. Simul
enim mens eius in Deum rapiebatur, neque o-
culis neque auribus competebar. Hac ille san-
ctimonia excelsitateque virtutis vsque ad exe-
untem Octobrem Anni 1586. in domo tyro-
num summa cum admiratione Præsidentum, &
singulari fructu progressionēque æqualium,
qui ut eius verbis meliores quotidie fierent, &
exemplis, certatim eius consuetudinem appe-
tebant, effloruit. Dehinc Neapolim vnā cum
P. Ioanne Baptista Piscatore insignis sanctita-
tis viro, suæq; vitæ religiosæ magistro recupe-
randæ sanitatis ergo mittitur, quo cum iter o-
mne recitandis canonicis precibus, longisque
de diuinis rebus colloctionibus consumsit,
in ijs multa ex eo sciscitabatur, ac præceptis pie
viuendi, præclarisq; sententijs, quas ex eo eli-
ciebat, quamplurimis pectus suum imbui stu-
debat: atque inde tantum sapientiæ hausit, ut
peracto itinere comitibus confirmârit, plus
se

se paucis diebus familiariter agendo longosq;
sermones cum Patre serendo, eiusq; facta om-
nia ac morem cum seculo deditis hominibus
versandi obseruando, quàm multos menses in
tyronū domo desidēdo profecisse. Peracto il-
lic semianno cum nihilo secundiore vteretur
valetudine, Romam magno vniuersę iuuentu-
tis Collegij Romani gaudio reuocatur, vbi re-
sumptis, quæ pridē triuerat philosophicis stu-
dijs, breui moderatorum suffragijs ad publicē
de more, propositis thesibus disputandū aptis-
simus iudicatus est. At ille cum sui deprimen-
di causa de industria imperitē respondere co-
gitasset, communicato cum P. Mutio de An-
gelis consilio, ne id faceret, allatis rationibus
persuasus est. Doctorum vero quidam eius
theses oppugnaturus, cum nescio quid de A-
loysij laudibus, genere, ac natalibus præfare-
tur, adeo eius laudationem humillimus ado-
lescens erubuit, vt quotquot aderant non ig-
nari, quam ab illa abhorreret, ipsius miseri-
cordiam caperent. Exactis philosophię studijs
ad Theologiam proximē traductus, inque ea
doctissimis Magistris vsus est. Hos ille impen-
se reuerabatur: de his nunquam non magnifi-
cē loquebatur, nunquam cum illis opinione
sententiāq; dissensit, nunq̃ breuitatem vel pro-
lixitatem de quęstionibus differendi aut quid
aliud eiusdem generis notauit. In vnus D.
Thomę Aquinatis docendi ordine, perspicui-
tate, & doctrina ab errorum periculis semota
acqui-

*Ad laudes
suas erube-
scit.*

5

acquiescebat. Cum ingenij magnitudine, quantū per valetudinem & Præsidium voluntatem licebat in studijs industriam sociabat. Non prius studia aggrediebatur, quam defixis humigenibus Deum adueneratus esset. Cum domi, tum in ludo, quoties à scholarum accenso, quem Bidellum dicunt, id negotij dabatur, vel contra alios argumentabatur, vel ijs respondebat, atq; ad hæc eadem, si cui cætorum minus commodum esset, ad illius arbitrium operam suam profitebatur. Disputabat acriter, sed modeste. neminem asperiore verbo figere: nō stomachari, nō clamorē tollere: non interpellare respondentem, sed spatium sententiæ suæ planius declarandæ concedere. Dubitatione, & obscuritate quæstionis sublata, ingenuè sanè assentiebatur, finemq; certandi faciebat. Antequam gymnasij intrandi signum daretur, atq; item indidem domū reuersus, cū antequam post meridiem, ædem sacram celebrabat quotidie, sanctissimæ Eucharistiæ adorandę. Inter eundem redeundumq; finitis scholis, tam erat modestis compositisq; moribus, ut externos etiam studiosos literarum in impluvio gymnasij ad sui aspectum restantes, studio pietatis inflammaret. Quid? quod etiam grauissimi Sacerdotes eo conspecto sui admonerentur officij, itaque coram eo grauitatem quandam videbantur assumere, neque temerè cuiquam illo arbitro vllum verbum licentius excidebat, nedum leuiter face-

facere auderet. Anno 1587. ipsa die S. Catharina Paupertatem, Castitatem & obedientiam de more Deo vouit, atque interea vberiore gaudio gestiebat, cum se iam reuera Religiosum, atque arctioribus Deo vinculis astrictum esse conspiceret. Postquam dein anno subsequente prima tonsura & quatuor minoribus ordinibus initiatus fuit, coepit propensius cura omnibus illis virtutibus insistere, quæ à clerico religioso postulari & expectari possint. Inprimis enim Humilitate, quæ fundamentum Religiosæ, perfectæque sanctitatis, & omnium virtutum custos est, usque ed excelluit, ut eam in tanta donorum ornamentorumque celestium affluentia sartam rectam conservaret, neque unquam eorum gratia in superbiam inflatus, neque vero in alia virtute vlla plus ponebat studij. Seipsum humillimo loco ducebat, eumque animi sensum & verbis declarabat & factis. Nihil unquam egit aut dixit, quod vel longo intervallo ad suam laudem pertineret. Laudem vero omnem suæque familiæ commendationem ita abhorrebat, ut vel ad solam suspicionem suæ laudis in morem teneræ virginis erubesceret. Hinc cum in triclinio prudenter sane & accommodate ad pietatem de B. Virginis purificatione verba fecisset, ei que merita laus tribueretur ab omnibus, coramque in os à P. Hieronymo Plato laudaretur, tanto rubore suffusus est, tantamque animo molestiam coepit, quæ se eas laudes ut alienas refugere signi-

Humilitas.

*Laudatus
erubescit.*

significauit, vt omnium animos magnopere delectaret. Itaq; præter vnum dolorem, quem è laude, aut honore sibi tributo capiebat cæteras omnes affectiones ex animo stirpitus euul- sisse videbatur. Domi forisq; decedere omni- bus: Socijs rem domesticam curantibus, qui- buscum foras mittebatur, (in quibus nō semel cocus collegij fuit) priores deferre: abnuenti- bus, tot huius suæ petitionis causas dare, vt illi ne eius animum contristarent, nō possent non morem gerere. Optabat in super absolutis Theologiæ studijs infimæ classis pueris gram- maticæ rudimenta tradere, tum quod locum sibi dari cupiebat, teneram illam ætatulam virtutis pietatisq; Christianæ præceptis infor- mand: tum quod illum ad vilia descendere, nihilq; habere præ cæteris eximiū plurimum delectaret: eamq; prouinciam sæpius, & diuer- sis rationibus prensauit. Non rarò in obsoleta lacerna sportam aut manticam gerens lætitia- que exultans stipem per urbem mendicabat. Domi verò nullum erat tam vile & abiectum officium, cuius non ille maiori quàm homi- nes ambiciosi dignitatis, honorumque studio flagraret. FERIA SECUNDA ac tertia cuiusq; heb- domadis, solenne illi erat, in culina ministra- re, erat vero ei negotium lances è mensa sub- latas tergere, ac ciborum reliquias pauperum necessitati subleuandæ colligere, easq; impe- trata licentia, sportis impositas pauperibus ad collegij fores operientibus perferre. Profesto

R

item

*Obedien-
tia.*

*Paupertas
in studiū.*

item quoque die aliud quid contempti operis
faciebat, cubiculum; aut alia sibi designata
loca euerrere, aut araneorum operas arundi-
ne, aut alia pertica in aulis conclauibusq; com-
munibus tergere. Ad hoc fuit illi complures
annos opera lucernas in ambulacris mundare,
aut indito elychnio concinnare, tantaque
id animi voluptate faciebat, ut eam celare
non posset. Accedebat ad hunc tam demissæ
humilitatis amorem, perfectæ Obedientiæ
studium, de quo illud commemorare sit sa-
tis, conscius sibi fuisse Aloysium, non modo
se nunquam à voluntate maiorum discrepasse,
aut eorum imperium minuisse, sed ne cupidita-
te quidem vili, aut inclinatione, ne ea qui-
dem quæ primoribus animi motibus sit, ad id
vel leuiter incubuisse: nisi fortè cum eorum
iussu à suis pietatis officijs distrahebatur, quā-
quam ne tunc quidem ferè nisi perrarè com-
mouebatur, & eum ipsum motum, qui existeret,
bat, incredibili diligentia ac celeritate com-
ponebat. Ita fiebat, ut non voluntas eius mo-
do, sed mens etiam atque iudicium cum superi-
oris sensu congrueret. Paupertatis verò reli-
giose adeo studiosus fuit, ut in hac magis quam
opulenti homines in copiarum affluentia de-
lectaretur & acquiesceret. Si enim in pristina
fortunæ licentia amore paupertatis, humilis
illi vestitus cordi fuit, quid non in Societate
egerit, quam propriam sanctæ paupertatis do-
mum nominare est solitus? Itaque id omne sem-
per

per abhorruit, ex quo speciem vllā quicquam
 sibi priuatim quasi proprium vindicantis ha-
 bere videri posset. Nunquam nisi ex cōmuni
 copia indutus, amictusq; est: nūquam librū in
 vlu habuit quem secum deferre liceret, nō ho-
 rologiū, non scalpellorū, aut alius generis the-
 cam. Eorum vero quæ ad pietatem sunt cōpa-
 rata neq; alijs largiēdi causa quicquā seruabat
 ipse, neq; alios sibi largiri valdè lætabatur. nū-
 quam vllā reliquiarum thecam vllius generis
 penes se esse passus est, non coronam precato-
 riam è materia pretiosa aut eleganti, nō priua-
 tam vllam picturam aut tabellam, præter duas
 chartaceas D. Catharinæ & S. Thomæ Aquina-
 tis imagines, quas approbātibus superioribus
 aliorum precibus fatigatus ac propè compul-
 sus dono acceperat. Quid q̄ ne in Breuiario
 quidem, neq; in libello officij Beatissimæ Vir-
 ginis Matris, quod in Collegio in vlu habuit,
 vnquā sustinuit vel tantilla imagine, tanquam
 nota, vt multis est mos, preces distinguere.
 Quoniam vero nō deerant, qui pro sua in eum
 pietate varia ad Dei cultū facta munuscula non
 modo offerrent, sed etiam vltro petita à Supe-
 rioribus licentia, vt acciperet propè vim in-
 tentarent, si quidem liceret ea recusabat, sin-
 eorū pace facere nō poterat, quin admitteret,
 ad Superiorem ea continuo deferebat, aut cer-
 tē facta ab eo potestate, cum primum occasio-
 nem erat nactus, alijs donabat. Delitiæ eius
 erant nihil penitus ex hoc mundo possidere.

R a nihil

nihil desiderare, atque ab omni re mortali distractum esse. Immensum quantum illum viliora omnia delectabant, nullaq; non in re, quæ ei obtigisset ad deterrimum quodq; oculum adijciebat. Nostram vero illam legem, qua præcipitur ac iubetur, ut quilibet sibi persuadeat, quo seipsum magis vincere, magisque in virtute proficere condiscat, eorum quæ domi sunt vilissimum quodq; sibi tributum iri, ita interpretari solebat, ut vellet certò nos cum animis statuere ita fore, atq; ita fieri par esse. Ad hoc non semel Sacerdoti apud quem conscientiam expiare est solitus, narrauit in beneficij ac meriti numero ponere, quod ita voluntas Dei sæpè tulerit, ut in partitione rerum quæ singulis utendæ tribuuntur, deterrimæ sibi obuenirent, id ille pro flagranti suo paupertatis amore, præcipuo Dei in se fauori acceptum ferebat. Nam in religione tanta verecundia se tractabat, quasi è pannis & mendicitatis sordibus se sublatum, & maiorum misericordia domo acceptum ex animo sentiret. Itaq; quicquid in eum conferebatur, ab egregia charitate profectum esse iudicabat. De eius castitate non est quod aliud commemorem, nisi præstantem illum Virginitatis quæ corporis, quæ mentis thesaurum, tã excellenti atq; eximio nitore, qualem suprà commemoravi, semper illibatum custodisse. In sermone atq; congressionibus nihil eo veri sincerique amantius, nihil simplicius, nihil magis ingenuum

Castitas.

num fieri poterat, ergo nemo erat qui de eo quod ille, aut affirmasset aut negasset, posset dubitare, aberat enim ab omni amphibologia aut simulationis fuco. Solebat enim asserere artificijs, dolis, simulationibus, fallacijs, ambiguitate, siue dictorum seu factorum eripi huius seculi fortunæ deditis hominibus mutuatam inter ipsos societatem, in Religione verò esse præsentia venena Religiosæ simplicitatis, certas iuuentutis pestes, quibus cum spiritu quo Religiosum præditum esse oporteat, convenire vix vnquam possit. Quâ de illâ dormitrice corporis, cupiditatumq; refrénatrice, quam mortificationem appellamus, erat tam cupidus malè habendi corporis, tantoq; longius quam vires ferrent ab eo se studio provehî patiebatur, vt nisi Moderatores frænum ei iniiecissent, aliquot sibi de vita annos dempturus breui fuille videretur. Nonnullis igitur miratibus quod toties superiores de afflicto seipso nihil considerata sua inualetudine obtunderet, præclarè respondit; vereri se vehementer ne intermisso harum animaduersionum usu, natura diu in virtutis consuetudine retineri nō posset, sed in pristinum statum relapsa habitum patientiæ tot annorum laboribus partum repente perderet. Erat & hoc eius dictum, esse se ferrum incuruum, atq; ad religionem venisse, vt voluntarijs pœnis atq; supplicijs perinde ac malleis corrigeretur. Dictatibus verò perfectionem sanctitatis in in-

Mortificationis studium.

teriore animi virtute consistere, & voluntati
 potius vim adhibendam esse, quam corpori,
 respondebat: Hæc oportet facere & illa non
 omittere. Eamq; ob rem nullū à B. P. Ignatio,
 vigiliarum, ieiuniorum, verberationum, ora-
 tionum aliarumq; pœnarum modum poni,
 quod Professos, aliosq; in stabili aliquo Socie-
 tatis gradu collocatos, tãto earum, quoad eius
 fieri posset desiderio duci autumaret, vt frã-
 no potius quàm calcaribus indigeret. Si quam
 illi corporis castigationem superior interdi-
 ceret, eius fructus iacturam, alio aliquo piete-
 tis officio, vt legendo caput è libello de Imita-
 tione Christi, adeūdo templum ad diuinam
 Eucharistiam veneradam, alioue simili com-
 pensabat. Ad perturbationes animi coërcen-
 das haud sanè magna diligētia opus erat, quip-
 pe quas iam pridem ita sibi subiunxerat, vt ijs
 carere videretur. Studium in primis ponebat,
 in excutiendis omnibus animi motibus, ac si
 quid se deliquisse cognosceret, non nimia tri-
 stitia contrahebat animum, sed semet ad Dei
 pedes abiiciens, seq; confessione expiatorum
 decernens aiebat, En, mi Domine, quam fra-
 gilis sum & miserabilis? quam proclivis ad
 lapsum? Ignosce mihi Domine, & gratiam cō-
 cede, ne idem peccatum iterum peccem, atque
 hoc facto securam mentem gerebat. Eius om-
 nis sollicitudo in suarum cogitationum, ac de-
 sideriorum fonte & capite inuestigando tan-
 tisper versabatur, dum reperisset, culpam ne a-
 liq-

liquam ſuſtineret, nec ne, nimirum vt eam ſacerdoti poſſet exponere: re vero comperta, curam omnem deponebat. In confeſſionibus perſpicuus erat, breuis, minimè anxius, atque vt P. Robertus Bellarminus, qui conſitenti operam dabat, teſtatus eſt, propter lucem diuinitus affuſam, mentisq; acumen intimos animi ſui recessus ita perſpiciebat, vt perinde poſſet explicare quem ad finem cogitatio aut deſiderium aut actio aliqua prouecta eſſet, tamque enucleatè ac diſtinctè, ac ſi oculis ipſis omnia contueretur. Amabat admodum in ſociorum confeſſu palam obiurgari, eaque gratia præſidibus ſua ipſe delicta vltro notabat in ſcheda, verum poſtremis temporibus, cum pro vituperatione laudem ſibi tribui intelligeret, ab ijs, qui nullam in ijs culpam reperiabant, quæ ſibi ipſi vitio vertebat, animum induxit tandem, huius generis reprehensiones non amplius poſtulare, cum diceret eas damno ſibi potius eſſe quam lucro. Exercitia ſpiritualia B. Patris Ignatii non ſolum propterea maximi æſtimabat, quod ad hominum mentes à peccati turpitudine ad honeſtæ vitæ amorem traducendas, verum etiam quod ad ſuſcitandos in religioſorum animis pietatis, diuiniq; ſpiritus ſopitos igniculos aptiſſimum, efficaciſſimumq; instrumentum ſuppeditent. Igitur quotannis quo tempore de more, diutius à ſcholis feriato licebat eſſe, quo illis vacare poſſet, veniam orabat aliquot dierum ſpatio ſecedendi.

Amor Dei.

Dei tanto amore ardebat, vt nullo non tempore ac loco, quoties eius mentio fieret, nō ita inflammaretur, vt in ipso etiam vultu signa quædam emicarent. Præstitit & singulari in cæteros mortales caritate. Ea permotus crebro ad valetudinaria ægris seruitum eundi facultatem quærebat. Eo verò cum venisset ægrorum lectos componere, cibū ijs ministrare, pedes lauare, pauimentum verrere, ad patientiam, criminumque sacram confessionem singulos hortari. Intra domesticos verò Religionis parietes, ad egros quotidie visendi perpetuam licentiam impetrarat. Ergo in hoc officio assiduitate & diligentia omnibus antecedere, nullo delectu omnes adire, solari, & si quando ob capitis dolores maiorum iussu vacaret à studijs, valetudinarijs nauare operam, cultros ac cochlearia eluere, mensam sternere, alia denique ægris, aut ex egritudine cōualescentibus ministeria præstare. Neque verò, quo erat zelo salutis omnium vehementer incensus, promptius corporum curam sustinebat quàm mentium. Itaque si per suos Præsides licuisset, pro eo actum in seculi libertate, tum in Religione ardentibus votis semper experiretur, ad conciliandos Christo Ethnicos in vltimas Indiæ oras nauigasset. Interea ipse haud segnitè, atque vt erat admirabili prudentia imbutus diuinitus, multiplici arte eorum qui iisdem secum religiosæ vitæ rationibus ac necessitudine connexi essent, progressiones in sanctioris

ris instituti studijs adiuuabat. Nam cum in eius vita, quæ ab omni reprehensione aberat, pulcherrimum illis exemplum esset propositum, insuper ipse Rectorem consuluit: placerétne ab se effici, vt meridie ac vespere ijs horis quæ dantur remissioni animorum, non amplius sermones de literis, alijsq; de rebus indifferentibus (nam de vanis & inutilibus nunquam licet) sed de ijs solis, quæ ad pietatem facerent, inter socios miscerentur. Secundum hæc delectos ex omni collegio aliquot adolescentes præclara omnes in res cælestes voluntate, quos suis consilijs opportuniore existimauit, conuocat, & sibi in optatis esse docet, vtilitatis animi sui causa, eo tempore quo aberrare nonnihil à grauioribus curis, & familiares cætus agere licet, cum ijs interdum de diuinis rebus colloqui. Ad hoc ipse quotidie, ne quando ad loquendum idonea materia deesset, libellum aliquem de præceptis pietatis, aut alicuius cælitibus vitam semihoræ spatio lectitare, deniq; cum his socijs initium facit. Ergo si in inferiorum circulum incidisset ipse princeps salutaris sermonis ordiendi erat, quem cæteri mirificè eius verbis excitati magno gaudio sequebantur. Sacerdotibus seq; maioribus quæstionem aliquam discendi studio de pietate ponebat, eorumq; sententiam exquirebat, ita colloctionis de diuinis rebus principium dabat. Quanquam & illi absq; eo, accedentem conspicati Aloysium, sermonē, alio quocunq;

R s abru-

Insigne A.
loysij in-
uentum.

abrupto, ad sacra flecebant. Atq; hac ratione multis recens à tyrocinio egressis, aut studiorum causa aduentantibus, miro ad pristinum feruorem tuendum, aut si nonnihil refrigerant, ad inflammandum diuino amore animum, adiumento fuit. Quimos ipso auctore ita toto Collegio percrebuit, vt non ad relaxandos animos, sed ad serios de diuinis rebus sermones conuentus haberi viderentur, è quibus multi haud minorem, nonnulli etiam maiorem se fructum, quam ex oratione ipsa percipere fatebantur. Atque hæc omnia adeo libentibus, lætantibusque omnium animis gerebantur, vt nemo non tristis ac mæstus ad sua se studia relaturus esset, si quando fortè euenisset, vt remissionis tempore nihil quod ad pietatem conferret egissent. Qui cum illa animorum sacra oblectamenta Aloysio velut principi auctori ferrent accepta, cum ferebant in oculis, tollebant in cælum, pietate complectebantur, eius lateri hærebant, ab eius ore pendebant assiduò, quod si minus liceret, perinde mærebant, ac si ad rem quampiam sacram, eorumque salutis & perfectioni virtutis inprimis vtilem, aditus esset interclusus. Dein graues atque implacabiles discordias inter Ducem Mantuæ ac Rodolphum Marchionem Castilionensem exortas, quas multi viri illustres frustra componere tentârunt, felici euentu, & exiguo temporis spatio sedauit. Huius igitur

*Honorificè
excipitur
Castilione,*

tur rei gratia Castilione profectus, cum vix
eius aduentus fama præcessisset, ingens homi-
num multitudo partim fenestras obsidere,
partim ex ædibus erumpere, pietatis insoli-
tæ & lætitiæ vndiq; argumenta edere; festum
in modum resonare æra campana, tonare ma-
iora tormenta, ciues prætereuntem submissis
genibus venerari cœperunt. nimirum tam il-
lustris erat sanctimonix eius opinio, ad quos
omnes honores incredibile memoratu est
quàm erubuerit. In arcem cum Marchione in-
gressum cōplures aulici, atq; alij pristino mo-
re Illustrissimum vocabāt, atq; eius Excellen-
tiæ meminerant, quæ appellationes dolorem
ei incutiebant & pudorem. Mater vero Aloy-
sium ad se aduentantem, potius rei alicuius sa-
cræ ritu, quam amore filij accepit, nam cum &
materna charitas impelleret, neque adesset
quem vereri oporteret, nō tamen amplexum
aut osculū dedit, sed amore venerationi post-
posito, genibus nixa, submisso ad terram capi-
te venientem salutavit. Neque id mirum, ete-
nim iam inde à prima pueritia pro sancto e-
um ducebat, ac suum angelum appellabat.
Totum eum diem cum matre consumpsit,
socio, ipsius iussu, omnium sermonum, par-
ticipes atque arbitro. Verum ubi ille aduer-
tit suo conspectu minui matri libertatem
de quibus vellet negotijs confidenter confe-
rendi cum filio, capta occasione educit se for-
as, ac precum coronam Beatissimæ Virginis
Matri

Humilitas.

Matri pertexit. Inde sat longo intervallo re-
 uersus ambos reperit fixis humi genibus com-
 precantes, Interea vero dum Castilione com-
 moratur incredibile est quam præclara sem-
 per omnib; ubiq; è quauis opportunitate vir-
 tutum documenta præbuerit. Nusquam per
 oppidum nisi pedibus ire, licet matris fratris-
 que voluntate nunquam non rheda à tergo ef-
 fet, tantiq; essent concursus salutantium, ut pi-
 leum perpetuo præ se ferre cogeretur. Agebat
 promiscuè cum quouis ea humilitate, man-
 suetudine, submissione quasi eorum postre-
 mus esset. A nemine externo sibi vnquam ser-
 uiri passus est. Si qua re eguisset socij potius o-
 peram requirebat, at ne ab hoc quidem vllum
 nisi necessarium, vtrò & propè reluctanti de-
 latum obsequium admittebat. Siquidem in
 suis necessitatibus præstolari solebat, dum alij
 ipso nihil petente, ad ferendam sibi opem di-
 uinitus moueretur. Quàm diu Castilione ver-
 satus est, maximam omnibus in rebus conti-
 nentiam adhibuit, itaq; nihil vnquam è pater-
 na domo postulauit. Quid cum eum hyems &
 frigidissimæ tempestates oppressissent, mu-
 tatisq; vestibus opus esset, nunquam tamen ad-
 duci potuit, vt à suis eas sibi parari pateretur,
 sed cum Rectorem Brixianum de sua socij;
 penuria edocuisset, ab eo togas aliaq; necessa-
 ria vestimenta, quæ iam alijs in vsu fuissent
 (nam noua nolebat) accepit. Matri etiam atq;
 etiam roganti, ne duas subuculas Mantuanas,
 qua-

quarum alteram ipsi, alteram socio offerebat, recusaret, negavit se quicquam eorum posse accipere, quæ tam libenti animo missa fecisset. Non destitit tamen illa cum socio agere, ut eas Aloysium accipere iuberet. Ille igitur matrem surgenti eamque recusanti porrigens, mater, inquit, Dei amore hanc tibi donavit eleemosynæ nomine, quando igitur nunc eges, nolo eam abijcias. Aloysius audito eleemosynæ nomine, & socij imperio coactus, nihil præterea repugnauit. Item linteis quæ in Collegio Romano abeunti data erant, iam propè detritis impetrare non potuit mater, ut exiguum aliorum numerum, quæ pro sua in eum pietate ipsa consuerat vellet accipere, sed obsoleta refici iussit. Ad extremum socius cum necessitas premeret, commemorato item eleemosynæ nomine ægrè eum perpulit, ut modicam admodum eorum partem habere vellet. Nemi-

Paupertas
est studi-
um.

ni domesticorum, aut alienorum mandatum ullum unquam dedit, atque in ea domo instar hominis peregrini ac mendici, qui Dei causa hospitio acceptus esset, verecundè & circumspectè versabatur. Quando negotij causa Marchionem conuentum cupiebat, quod eum interpellari, aut alieno tempore admoneri nollet, aditum in exterioribus cubiculis opperiebatur. In maternis ædibus, ne super patenam, principum more, cyathi sibi porrigerentur, portionem sibi in mensa, Societatis more ut apponerent orabat, minimi cibi ac

po-

potus pro ſua conſuetudine erat, neque cuius
modi eſſet morabatur. Matre quippiam, quod
bonum aut alio melius eſſe diceret, præbenti
gratijs actis, eo deinde abſtinebat. Socio dice-
re ſolebat. Deus bone! quam benè nobis eſt
domi noſtræ? Mihi certè quilibet noſter quā-
uis tenuis victus, maioris, quam dapes omnes,
quibus hæ menſæ onerantur, eſſe videtur. In
materna, & ſi licebat, etiam fraterna domo le-
ctum ſibi ipſe ſternebat, ad ſocij quoque le-
ctum ſternendum operā ſuam promptè com-
modabat, eo tamen aduerſo miniſtris aulicis
curæ fuit illum diligentia antecapere. Manè
ſimul è lecto prodierat iuſtam horam oran-
do ducebat, ſacro aderat, preces canonicas
maiores recitabat quotidie, coronas item ſa-
crarum precum, hæſque interdum cum ſocio,
ſic vt pſallentium ritu inuicem reſponderent.
Si quid interdiu rapere poterat ſubſecui tem-
poris; Frater, inquebat ſocio, eamus pauli-
ſper precatum. Veſpere tres ipſas horas quo-
tidie remotus ab omnibus agebat. Ante-
quam quieti ſe daret Litanias pronuntiabat,
& conſcientiam ſuam inſpiciebat: neq; vllum
priſtinæ pietatis officium prætermittebat.
Fuit cum ei caſtellum Godefridi proficiſcen-
dum eſſet, vt cum Alphoſo patruo ſuo, eius
loci regulo ageret. Diſcedenti igitur Mar-
chio ſervulos addidit, quos coram recuſare
minus auſus, vbi Caſtilionem egreſſus eſt om-
nes ab ſe dimiſit. Cū vero rhedarij vitio, clau-
ſis

sis iam portis altera ab occasu solis hora Castellum Godefridi attigisset, essentq; vigiles sigillatim edocendi quinam essent, & quorsum venirent, sat longo post intervallo panduntur portæ, exoritur magnus nobiliū principis asseclarum numerus faces gestantium, In ipso oppidi ingressu densum armatorum agmen, à porta vsq; ad principis palatium, ex utraq; parte plateæ medium stipant, ipse princeps obuiam progressus ingenti lætitia & honore venientem accipit, atq; in cōclauē regio apparatu conuestitum, lectisq; magnificis instructum profecutus, locum ei aliquantisper se confirmandi reliquit. Ibi Aloysius, vt erat ab his rebus alienus, vbi se tot honoribus cumulatum, atque in eam habitationem tam splendide ornatam delatum videt; conuersus ad socium: Heu, inquit, mi frater: Deus nobis hoc vespere sit propitius, & quo tandem ob peccata nostra delapsi sumus? Viden' hæc conclauia, hos lectos? quanto tandem nobis melius esset, procul ab his obsequijs & opportunitatibus, in cubiculis illis nostris nudis, vilibusq; lectis iacere? Itaq; tot honorum impatienti nihil erat longius quam dum expeditis negotijs discederet. Igitur postridie Castilionem redit, vnde item satis iam de omnibus eruditus vt cum Duce conficiat, Mantuam se transfert. Ibi aliquot hebdomadis in Collegio Societatis per intervalla moratus, tam illustri omnibus sanctitatis docu-

documento fuit, ut Patres qui tum in eo verfabantur ad illum velut præclarum virtutum omnium exemplar aspicerent, eoque confecto pietate magis ac magis inflammarentur. Exorditur deinde negotium, cuius gratia venerat, cum Duce transigere, tamen si non prius apud mortales illud aggressus est, quam cum Deo, in cuius manu hominum corda sunt, omnia constituta haberet. Siquidem primo cum Duce congressu, sesqui horæ spatio, litibus omnibus compositis, omnibus quæ postulârat impetratis, finem ijs attulit. Ac licet Dux acerbissima indignatione, aduersus Marchionem à calumniatoribus esset incensus, neque à Principibus & illustribus viris, qui item concordiae auctores fuerant, flecti potuisset, tamen postquam tam sanctam in eo mentem rectissimumque animi sensum comperit, nihil abnuere ausus, manus dedit, seq; eius bonitati & æquitati confisus, ad eius arbitrium omnia facturum recepit. Gratia inter Ducem & marchionem ad hunc modum composita, aliud quiddam pravi exempli, quod ab ipso Rudolpho Marchione edebatur, de medio tollere ingreditur. Is enim captus amore cuiusdam puellæ, quam postea clam familia, facta ab Episcopo potestate secreto eam ducendi, matrimonio sibi sociauerat, de concubinato insimulabatur. Huius igitur consuetudinem ut abrumperet, fratrem Aloysius ardentè sane cohortabatur. At ille quamvis coniugij

men-

mentionem facere vereretur, Mediolanum ſe
tamen, quo ipſe cogitaret, venturum, ratio-
nem cum eo reigerendæ initurum, eiufq; cõ-
ſilio obſecuturum eſſe ſpopondit. Cum igi-
tur Mediolanum veniens fratri ſe purgaſſet, ac
matrimonij ſocietatem, quæ ſibi cum puella
eſſet, aperuiſſet, ad tollendam infamiam, qua
malo publico flagrabat, rem in apertum de-
ducere proponit. dein hortatu Aloyſij totius
vitæ laboribus confeſſione expiatis, diuinâq;
Euchariftia paſtus, cum fratre, qui ſibi cogna-
torum animos deliniendos deſumpſerat, Ca-
ſtillionem reuertit. Rogatus ibidem à matre,
vt ſermonem haberet in æde ſacra, ſabbatho,
quod Dominicam quinquageſimæ præcedit,
in æde Sodalitatis, cui à Diſciplina nomen eſt,
dixit eleganter & piè, hortatusq; eſt omnes vt
poſtridiè, qui poſtremus Hilariorum erat, ad
ſanctam Euchariftiam venirent, ac tanto ardo-
re vocati paruerunt, vt neceſſe fuerit Sacerdo-
tes ac monachos totam eam noctem audien-
dis confeſſionibus diſtineri. Poſtridiè mane
Euchariftiam acceperunt Mater Aloyſij, Fra-
ter Marchio, eius coniunx, alijq; homines ſep-
tingenti. Ipſe Aloyſius ſacerdoti ſacrificanti
& vinum abluendo ori omnibus ad ſacram
menſam accumbentibus ingenti ſua cum vo-
luptate, & præclaro omnibus exemplo mini-
ſtrauit. Quia vero aſperrimis frigoribus, qui-
bus hyberno tempore in Gallia Ciſalpina hor-
rent omnia, manus ei intumeſcebant, rumpe-
S ban-

banturq; , vt etiam ſanguine manantes videre
 liceret, complures miſeratione eius permoti,
 contendebant vt chirothecas, aut aliud ſimile
 tegmen geſtaret. At ille dura patiendi ſuiq;
 alpernandi amore ardens, nullo huius gene-
 ris præſidio vt ſe muniret adduci potuit.
 Poſtquam dein compoſitis familiæ negotijs
 Mediolanum reuertit. En, inquit, quantum
 mihi ſolatium præbet, quod me videâ pedem
 denuò domi noſtræ fixiſſe, in quali nimirum
 eſſet, qui brumali tempore è medio gelu, quo
 propè dirigiſſet, in mollem calentemque
 lectum transferretur. Etenim tale frigus à
 domicilijs noſtris diſiunctus ſentire videbar:
 tali nunc, ijsdem redditus ſuauiſſe fruor.
 Tum vero ibidem proſecutus Theologiæ ſtu-
 dia, cum Summam D. Thomæ inuolucro &
 fronte aurata elegantem vtendam accepiſſet,
 lachrymans à ſuperiore petijt, vt eam cum ob-
 ſoleta ſibi commutare liceret, idque ſolacu-
 piditate nihil à pauperum moribus alicu-
 num habendi faciebat. Quicquid uſquam à
 ſtudijs nanciſci poterat otij, id totum, bona
 ſuperiorum venia in culinæ, aut triclinij mi-
 niſterijs collocare, aquam coco haurire, lan-
 ces, trullas aliaq; vtenſilia sæpè eluere: tricoli-
 nium cum ſterneret, quo animum intentum
 haberet in Deum, pluſque gratiæ mereretur,
 ſingulis mentis ſuum cognomen addere, in
 qua Rector ſederet eam dicere Chriſti Domi-
 ni, huic proximam Deiparæ, cæteras deinceps
 Apo-

*Paupertatis
 ſtudiū.*

Apoſtolorum, Martyrum, Confefforum, Vir-
ginum. Itaq; quoties cum præfecto triclinio
mēſam ſternebat, explicemus, aiebat, mappam
Saluatoris, aut Dominæ noſtræ. In quo ille
munere perinde inflammato affectu, propen-
ſoq; in Deum animo verſabatur, quaſi reuera
ad illas menſas Chriſtus D. B. Virgo cæteri-
q; Diui, quibus ſe miniſtrare finge-
bat, accubituri eſſent. Suaue illi erat cum
quotidianæ vitæ adiutoribus, remiſſionis
tempore conſueſcere, aut foras egredi,
rūm quod illam humilitatem amabat,
tum quod ſibi tunc liberius de diuinis
rebus loqui videbatur. In aliorum conſue-
tudinē ſi quidem ſedebatur, in extremum
aut incommodiſſimum locum ſe conijciebat;
ſi ſtabatur in circulo, ſecundum aliorum
humeros, ſermones attendebat. ſin deambula-
tur, priores deferrebat omnibus. Cognōrat
quondam velperi ſocium, qui religionis more
vota ſuſcepturus erat, mendicatum per
vrbem iturum poſtridie, huius igitur
comitandi poteſtatem naſtus, haud ſe
continere potuit præ gaudio, quin eodem
die, cum iam conſcientiæ excutiendę
vacaret, ad lectū illius ſocij hæc tā-
quam Euangelia afferret. Poſtero die
dū vicatim ſtipem cogit, multo maxima
illum lætitiæ cæleſtis inuaſit, itaq;
identidem quaſi iubilans has per
vicos iterabat voces. Etiam D. N. Ieſus
Chriſtus ad hunc modum ſtipem
conquiſiuit. Muneris eiſ fuit araneas
circum collegium decutere, quo funge-
batur ſanè gnauiter,

idque, ad maiorem ſui deſpectum, tum maxime cum viri ſenatores aut opulenti eodem diuerterant. Epiſcopi nonnulli alijq; antiſtites prandium in Collegio condixerant. Rector quo illis Aloyſij cognoscendi locus eſſet, inſiſt eum ſuper menſam concionem habere in triclinio. Hoc onus, vt erat in ſpeciem illuſtrium munerum, fugitans & latendi cupidus, deprecari optabat, ſed mandato ſuperioris minimè refragari auſus, elegantem fanè, grauem & eruditam de epiſcoporum officio orationem habuit. Gratulanti deinde cuidam de felici concionis euentu: ſibi, inquit, eo die nihil accidiſſe lætius, quàm quod publicè blæſum ſe eſſe ſit cognitum. Siquidem literam R. minus expedite proferebat. Quia vero, vt erat ferè eius animus in Deo, ab obuijs ſe ſalutari minimè ſentiebat, de eo palàm admonitus, multis ſuperbiam ſuam damnavit, ac deinde diligentiffimus in hoc genere fuit, atque ita ſtudit mentem ſuam Deo coniungere, ne tamen ſuo humanitatis officio deeſſet. Singulare vniuerſo Collegio ſubmiſſionis, modestiæ, obedientiæ, ſtudiij, diſciplinæ religioſæ ſpecimen erat, & quoniam eo loco ducebatur ab omnibus, nemo non eximia eius virtutis fiducia, pietatiſq; ſenſu in eius familiaritatem ſe immergebat, etſi ipſe, vt erat quiſque in Dei cultu feruentior, ita libentius ſe ad eum applicabat. Erat iam Beatus adoleſcens pro tot ſuis virtutibus æternæ gloriæ maturus; quip-

pe vi-

pe vita, quam in terris inter mortales angelicum in modum semper coluerat, dignū eum cælorum domicilio, Angelorumq; societate reddebat. Mediolani igitur matutinæ orationis tempore diuinitus, paulò amplius anno ante mortem, cognouit paucos sibi vitæ dies superesse, atq; insuper præceptum accepit, vt instanti anno quàm posset perfectissimè, animo ab omni mortalium rerum studio diuulso, Deo seruire, omniq; seipsum virtute adornare studeret. Tum vero Romani Collegij Rectore Aloysij reditum vehementius exoptante, Præpositi Generalis mandato, Romam, magno ibidem iuuentutis bono, redijt. Reuersus, iam pridem, ait, est, postquam mortuos meos sepeliui, non est quod de illis præterea mihi curæ sit, tempus est iam de altera vita cogitandi. Non multò post scriptis suis omnibus ad Rectorem delatis, nullo se eorum cæterarumq; rerum mortalium amore teneri confirmat, voluisse his se etiā orbare, vt animum porro ab omnibus seiunctum haberet. Vsq; eo item omnem sui ipsius amorem extinxerat, & ne cuiusquam animus ad se potissimum adheresceret, deprecabatur, vt ne à Superioribus quidem se peculiari amore, vel obsequijs affici sustineret. Si quis se eum præ cæteris diligere significaret: neq; respondebat amori, neq; sine animi dolore audiebat. Idcirco qui ipsum regebant, quo ei gratificarentur, non plaris se eum quam cæterorum quemuis æstimare mō-

S 3

strabant.

ſtrabant. Cum in omni conſuetudine affabilis ante alios fuiſſet, tum per hoc tempus nihil illo comius, nihil erga omnes ſuauius fieri poterat, adeo immenſa & communi quadam caritate omnes amplectebatur. ergo certatim ad eum de Deo, de felicitate cæleſti, de perfectione virtutis, remiſſionum tempore diſſerentem audiendum concurſus fiebant. Equidem & expertus ipſe & aliorum ſermone ſum edoctus, ab eius congreſſu inflammatiores multos quàm ab ipſa oratione diſceſſiſſe. Si quos erat nactus, quibus confidenter ſe abſq; arbitris indicare fas eſſe ſciret, eis tam diuinos ſui pectoris affectus expromebat, vt eis admiratione percuſſis ſimul ingemiſcendi, ſimul tam inuſitatam cum Deo coniunctionem venerandi cauſam daret. Quocunq; ſe ferret nunquam præſentis & ſua omnia arbitrantis Dei memoriam deponere: Dei amore ſic flagrare, vt ſiue à legente ſuper menſam, ſiue à ſermocinante eius mentio fieret, euertiſſimo illi cæleſti ſuauitate diſfluere, palamq; eius ſignum daret toto vultu inflammato, & loquendi facultate tantisper inhibita. Id cum alias euenit, tum aliquando inter menſam, cum nescio quid de diuino amore legiſſet, ſubitò ſenſit ex intimo pectore velut flammam erumpere, cuius vi ab edendo ceſſare coactus eſt. Id cum aſſidentes ſocij ignorarent, veriti ne grauius affectus eſſet, deſixis in eum oculis, ſatin' rectè habeat, inter-

interrogant. Ipſe vero reſponſi impotens, vidensq; ſe deprehenſum, tanto magis verecundari, oculos deiſcere, mittere lachrymas, ardere vultu, ac ſic pectore intumeſcere, vt in metu eſſent, ne qua eius vena rumperetur. extrema tandem menſa pedetentim ad ſe redijt. Multum teneri videbatur ſoliloquijs D. Auguſtini, vita B. Catharine Genuenſis, ſermonibus in Cantica D. Bernardi, præcipuè vero eius epiſtola quæ inſcribitur, ad fratres de monte Dei, quam tanto ſtudio volutârat, vt propè edidiciſſe videretur. Menſe Nouembri, anno 1590. quartum iam annum Theologici ſtudij inchoantem Rector cubiculum ſeorſim à ſocijs habere compulit: ibi ille agere vti ſibi in modico quodam domus angulo, vetuſto, atro, humili, anguſto, vnica in tecto fenestra, habitare liceret, qui ſcalis imminens, præter vilem eius lectulum, ſellam ligneam, & ſcaebellum, in quo eidem & præcanti & ſtudia tractanti nitendum erat, nihil admodum capiebat. Itaq; quod eſſet arctæ cuſtodix quàm cubiculo ſimilius, nemini antea ſtudioſo attribui conſueuerat. In eo loco cum eum aliquando viſitaret P. Rector, exultantem, & perinde de exiguo illo tugurio atque de amplo palatio gaudentem offendit. Ad ſummam ita omnes ſanctitatis partes explebat, vt nihil in illo venialis culpæ ſuperiores, contubernales, ac diſcipuli comperire potuerint. Qui autem cõſitenti operâ dabat, negabat ſe vnquam,

*Virtutes
Aloysij.*

nisi nouo ex eius confessione hausto lumine ab se dimittere. Erant huius adolescentis compositissimi affectus: in continendis in suaditione sensibus summa vigilantia: arctissima cum Deo societas: cæterorum hominum ad immortalẽ salutem, suorum sodalium ad supremum omnis sanctimonie culmen prouehendorum ardentissima cupiditas. Denique vt breue faciam, absolutæ innocentie exemplum & erat, & domi, forisq; audiebat. Paucis ante mensibus quàm in supremum morbum incideret, ingenti cælestis beatitudinis desiderio rapi se sensit: quo tempore crebro ac libenter de morte loquebatur, eamque sibi pro eo statu, quem adhuc à grauiorib; negotijs seiunctum, reddendæq; de grauißimis officijs rationi minus obnoxium, gereret, optabiliorem esse affirmabat, si igitur Deo videretur minime se ea ætate mortem reformidare. Annus agebatur 1591. sæua lue, quæ difficultatem annonæ consecuta erat toti Italiæ funestus, quo tempore Aloysius victu per urbem egris egentibusq; (quibus valetudinaria complebantur) summa hilaritate conquirendo, singulari sua charitate magnam vniuersis admirationem mouit. Sed tunc maximè cū nobilissimi Principis comperto aduentu, quocum illi à puero familiaritas intercesserat, Præpositi Generalis permisso, eundem in habitu pañoso & suspensa ex humeris mantica salutauit. Quo facto, præter rerum mortalium despicientiam, qua
eius

eius animum imbuit, etiam copiosa pro egenis
 eleemosyna donatus, fructum eius rei, quem
 sperauerat vberimum est consecutus. Quin
 & ipsi cum Socijs valetudinaria adire, agros
 exuere, pedes abluere, lectulos reponere, in
 ijs ipsos collocare, cibum ministrare, de pœ-
 nitentiæ sacris erudire, ad sedatè ferendos do-
 lores hortari solebat. Nonnullis vero ex so-
 cijs B. Aloysij hac lue extinctis cum superio-
 res illum eodem redire vetuissent, neque ta-
 men ille pro suo sanctitatis amore, vt eodem
 remeatus daretur instare cessaret, concessum
 tandem est, vt in valetudinarium, cui à Con-
 solatione nomen est, vbi plerumque nulli
 sunt quorum morbi contactu vulgentur, se
 conferret. Nihilominus ipse etiam confestim
 in eundem morbum cecidit, lectoq; se dedit
 V. Nonas Martij, anno 1591. Hunc igitur mor-
 bum pro eo ac Mediolani cognorat, postre-
 mum fore ratus, incredibili lætitia circum-
 fluere, eamq; cum vultu tam moribus omni-
 bus præseferre incepit. Eoq; erupit vis mor-
 bi, qui pestilens febris esse credebatur, vt in
 septem diebus eum ad extremos vitæ fines ad-
 duceret. Ergo cum sollicitè, pieq; vt cum ma-
 ximè animum confessione deterfisset, sacro
 viatico & Extrema vnctione à P. Rectore mu-
 nitus est, ipso cum maximo pietatis sensu soli-
 tas preces prosequente, cæteris omnibus, qui
 aderant, de tam cari sanctique fratris iactura
 collachrymantibus. Ceterum quia commoda

S s adhuc

adhuc valetudine vtentem complurēs è fami-
liaribus pro ſuo in eum amore, ſæpe coargue-
rant, quod nimia pœnarum acerbitate quibus
corpus animumq; aſſiduo exercitum haberet,
interitū ſibi maturare videretur, ac fore præ-
dixerant, vt quod D. Bernardo eueniſſe legi-
mus, vel in ipſo vitæ exitu, huius eum im-
moderati ardoris pœnitētia caperet: hunc vt om-
nibus metum eximeret cæleſti iam viatico in-
ſtructus P. Rectorē rogat omnibꝰ ſuo nomine
diſertè affirmet, in hac quidē re nullo ſe ſcu-
pulo pungi, verū id potius dolere, qꝫ plurima
omiſiſſet, quorū poteſtatem ſuperiores facilè
cōceſſuri fuiſſent. horum ſi voluntati obtem-
perārit, omnem animi ſui angorem depulſum
eſſe: Ad hoc, nihil ſe vnquam arbitratu ſuo, ſed
omnia eorum permiſſu feciſſe. adiecit & illud,
nulla ſe vllius religionis ſuæ legis vnquā vio-
latæ conſcientia cruciari. quod iccirco ab eo
dictum eſt, ne in cuiuſquam animo, qui ipſum
plus aliquid, & præter cæterorum conſuetu-
dinem facere vidifſet, vllam offentionem, aut
perperam ſumendi exempli materiam relin-
queret. Ingreſſum ad ſe P. Prouincialem ora-
bat, ſibi vt eius venia flagello in ſe vti liceret:
illo negante, tam infirmo vires ad cædendum
ſuffecturas: at ſaltem, inquit, permitte, alius
quiſpiam à vertice ad calces totum me cōuer-
beret. Ne id quidem iā fas eſſe reſpondet. Cum
hoc etiam præcidi videret, denuo inſtantius
id vnum flagitare, vt humi proſtrato emori
dare-

Mortifica-
tionis ſuæ
inquit.

daretur. tantus extremum etiam spiritum tra-
hentem, crucis pœnitentiæ, afflictionis amor
obtrinebat. Sed ne id quidem datum est. Iam
propè videbatur eo die, qui erat morbi septi-
mus, viuendi finem facturus, quo ipso exple-
bat annum ætatis tertium & vigesimum. Ve-
rum Deo visum est fracta ac mitigata eius vi,
ægritudinem extendere; scilicet, vt pluribus
virtutum exemplis, quibus dū lecto se tenuit
nobis præluxit, informaremur. Ac simul pri-
mus ille mali ardor deferbuit, hæsit Aloysio
febricula lenta, hæctica, quæ trium mensium
spatio pedetentim illum absumpsit. Incipien-
te morbo, cum in lecto, tela crassiore vndi-
que circumdato, compositus esset, Aloysius à
superiore petijt, vt submoto hoc velo, cæte-
rorum more sibi iacere liceret. intellecto ta-
men, neque id sua causa factum, neq; à religio-
sa paupertate alienum esse, acquieuit. Initio
valetudinis mandarat medicus, vt ipse, atque
ité alter, qui simili malo tenebatur, perquam
amaram potionem, sumerent; alter ille ope-
râ dedit vt fugiendæ nausæ causâ, suam quam
citissimè exhauriret, alijs etiam, vt assolet, ad
id præsidij adhibitis; at Aloysius quo saluta-
rem sibi molestiam faceret, perinde ac dulcis-
simum liquorem sensim sorbere, neq; vllum
deinde perceptæ amaritudinis signum dare.
Valetudinarius in eius cubiculo modicū can-
didi sacchari, atque succi glycyrrizæ, eius ori
subinde, aduersum destillationes reficiendo
posue

poſuerat, poſcentem pauxillum ſucci illius
glycyrrizæ ſocius percunctatur, Quin potius
ſaccharum peteret: Quia, inquit, alterum pau-
perem magis decet. Cum accepiffet eo anno
periculum eſſe, ne qua peſtis exiſteret, non
modo paratum ſe oſtendit, ſi conualeſceret,
ea affectis miniſtrare, verum etiam à Præpo-
ſito Generali, qui eius viſendi cauſa venerat,
facultatem poſtulauit id etiam Deo vouendi.
Qua impetrata in ſigni cum animi voluptate,
& eximiæ caritatis ſignificatione votum ſuſce-
pit. Eodem tempore æger iacebat P. Ludoui-
cus Corbinellus, ad quem eius rogatu valetu-
dinarius Aloyſium in cubiculum deportat.
Poſtquam vero inter ſe collocti, inuicem ad
moderatè patiendā aduerſa Deiq; voluntati
obſequendum hortati ſunt, ſenex: Age, inquit,
mi frater Aloyſi, propè iam eſt vt moriar, ne-
que amplius inter nos reuiſuri ſumus, ne igitur
prius hinc diſcedas, oro, quàm mihi benè
precatus ſis. Hac petitione Aloyſius partim
attonitus, partim rubore ſuffuſus, negauit id
conuenire, vt minor maiori, grandæuo adole-
ſcens, adeoq; ſacerdoti inferior benedicat. At
ſenex, qua erat in hunc ſanctum adoleſcentem
pietate, inſiſtit denuo precariò exigere & ob-
teſtari, ne ſibi in extremo iam vitæ poſito, hoc
ſolatiij ſubtrahat. Reluctari tamen ſapiens ado-
leſcens, neq; prius flecti, quam à valetudina-
rio impuſus eſt. tunc enim & viam reperit,
qua ſimul & ſenis mœrorem vitaret, & ſuam
humi-

humilitatem tueretur. Sublata siquidem manu
seipsum in crucis formam designans: Deus, in-
quit, D. N. nobis ambobus benedicat, deinde
Patrem aqua lustrali aspergit & interea. Deus,
inquit, D. N. te mi R. Pater sua sancta gratia ac-
cumulet, vota q; omnia tua ad sui nominis glo-
riam fortunet, eum tu vicissim pro me preca-
re. Post felicem vero exitum P. Corbinelli
sciscitanti P. Roberto Bellarmino, quid de il-
lius anima sentiret, tenerine igne Purgatorio?
confidenter sanè respondit: Absq; mora pur-
gatorium transisse. Auctores illi omnes, era-
mus hoc tempore, conquisitis ad id, omnis
generis rationibus, vt propagari sibi vitam à
Deo exoraret, sic enim & meritis iam in cælo
præmijs ingentem cumulum accessurum, &
plus hominibus atq; inprimis Societati pro-
futurum. At ille omnibus id vnum responde-
bat: Melius est dissolui. Postquam lecto tene-
ri cœpit, nullis vnquam nisi de diuinis rebus
& vita beata sermonibus aures accommoda-
uit. siquidem omne temporis momentum,
quod sibi Deus extrema sua vita concederet,
tanti æstimabat, vt non nisi in rerum pretiosa-
rum tractatione expendi vellet. Poscebat nō-
nunquam vestem, lectoq; egressus pedetentim
ad mensam, in qua erat Christi crucifixi ima-
go adrepebat, eamq; complexus osculabatur,
quot item imagini D. Catharinæ Senensis & a-
liorum Diuorum, quibus cubiculum cingeba-
tur factitabat. Cuidā vero è valetudinarijs di-
centi,

centi, non esse cur à lecto surgeret, se crucifixi, cæteraque simulachra ad lectum allaturum. Atqui, inquit, Aloysius, hæ sunt meæ stationes. Ad hoc interdium quando sine arbitris erat, educebat se furtim è strato, & genibus nixus orabat, donec id sibi à valetudinario vetaretur. Quodam vespere ex P. Bellarmino penitentia suæ Præsidi percontabatur, Arbitraretur ne quempiam ab igne purgatorio intactum cælum contingere? Ille cum annuisset, non ignarus quantum sibi haberet de Aloysij virtute polliceri. Quin adeò, inquit, ex ipse vnum fore existimo, id enim ad cumulum cælestium ornamentorum ac munerum, à Deo, qui te ab omni mortifera culpa immunem esse voluit, tibi adiectum iri, confido. Hoc responso tantis incessit lætitijs, vt abducta à sensibus mente, ad cælestis illius ciuitatis beatitudinem contuendam diuinitus sit euectus. Quo in excessu mentis cum totam propè noctem oblectamentis quibusdam atque solatijs, quæ humanum modum longè excedunt, traduxisset, eam postea eidem Patri asseueravit, vitam esse sibi vix momenti instar habuisse. Dehinc octauo à sacro corporis Domini die se è vita migraturum cōpluribus prædixit, sociumque quendam cōpellans: Nescisne, inquit, quam felix nūtijs venerit, intra octauum diem mihi moriendū esse. Amabo te, mecū vnā pro tam eximia in me beneficētia, hymno Te Deū laudamus, recitādo Deo gratias age. Alteri vero cō-

disci-

discipulo cubiculū ingredienti, exiliens gaudio: Pater mi, inquit, lætantes imus, lætantes imus. Secundum hæc viſum fuit tribus Patribus, quibuscum præcipua ei gratia intercedebat per literas valedicere. His aliena manu indicauit, se, vti speraret, in cælum proficisci, multam illis salutem dicere, atq; orare, vt se Deo commendarent. At cum præ imbecillitate virium subscribere nō posset, iussit sibi manum duci, & pro suo nomine calamo crucem depinxit. Curæ illi fuit octo postremos vitæ suę dies singularibus quibusdā pietatis ac religionis officijs exigere. Ac principio quotidie cū Sacerdote sibi familiari tertia ante occasum solis hora septem psalmos pœnitentiales, imagine crucifixi in lecto collocata, pronūciabat; in quam ille oculis animoq; defixus ac cum lachrymis quæ legebantur pertractans ingentes lachrymarū imbres Patri ciebat. Ceteris horis diurnis, aliquod sibi caput è psychagogia, aut è soliloquijs D. Augustini, aut sermonē D. Bernardi in Cantica, aut Iubilum: Ad perennis vitæ fontem, aut psalmum quempiam à se delectū, vt, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: Quēadmodum desiderāt seruus ad fontes aquarū, aut aliū eiusedē generis legi postulabat. Plerūq; totū animum diuinarū rerum cōtemplationi intendebat, nisi q̄ interdū aliquot de rebꝫ sacris verba interloquebatur, aut breuiiores preces interuallis funditabat. Extremo triduo gñeū Christi crucifixi simulacrū indulgentia Pon-

Pontificia sacrum, ad extremum usque spiritum pectori appressum tenuit. Crebrius eo ritu qui in Ritualibus libris percipitur, fidem suam professus est, vehementem interea amorem semper præ se ferens Deo se consociandi. Itaque illud identidem iterabat. Cupio dissolui & esse cum Christo. Octavo demum die eadem se nocte morituum confirmat. Circa meridiem sacrum viaticum, quod à prima luce eius diei sæpè poposcerat efflagitare enixius cepit, sed quia eo loci valetudo esse non videbatur, à valetudinarijs neglectum est. Interea summus Pontifex cum audisset Aloysium iam in celum cogitare, suapte sponte suam ei benedictionem, unam cum indulgentia, ut vocant, plenariam transmisit. Id cum ei P. Collegij Minister nunciasset, ut erat humilitatis amantissimus, quantum ex illis sacris muneribus gaudij, tantum ex eo quod sui Pontificem meminisse audiebat, verecundiæ percepit, continuoque vultum manibus contexit. Altera autem solis occasum hora sacerdotem quendam orat, ut P. Rectorem Collegij ad præbendum sibi salutare viaticum, flectat. Paruit ille, & unam litaniam de sanctissima Eucharistia pronunciarunt, Aloysio clara voce sacerdotem sequente, cui ad extremum vultu præter consuetudinem hilari, & ore ad risum composito gratias egit. Sumpto dein sacro viatico, placuit beato adolescenti, quemadmodum in societate aduenientibus, aut proficiscentibus in longin-

Humilitas.

longinquas oras fieri solet, omnes qui adērāt
in signi amore & alacritate complecti. Ibi cum
eum pro se quisq; postremum saluaret, nemo
erat qui lachrymas teneret, nemo qui ab eius
complexu diuelli posset, omnes in eum inhian-
tes identidem oculos magno amore & dolore
referre, eiusq; preces ambire. Quidam vero
Aloysio mutuis caritatis officijs deuinctus se-
orsim eum adiens: se, ait, confidere, breui eum
beato Dei conspectu fruiturum, orare proin-
de ne illic sui memoriam deponeret, cuius si-
bi salutem viuenti curæ fuisse comperisset.
Respondit flagranti sane affectu Aloysius, se
infinitæ Dei benignitatis & clementiæ, pre-
tiosi item sanguinis Iesu Christi, & commen-
dationis Beatissimæ Virginis Matris fiducia,
sperare ita paulò post fore. Ne dubitaret, spó-
dere, sibi pro eo agere cordi futurum, etenim
si in terris eum amauisset, longè etiam vehe-
mentius in cælo, vbi plenior sit charitas, ama-
turum. Atq; hæc omnia tam integris sensibus
& sermone tam expertito, vt nemini verisimi-
le videretur, tam scitò abscellurū è vita. Cum
vero sub occasum solis sacram Christi crucifi-
xi effigiem defixis oculis contemplaretur, ela-
ta manu linteum capiti tegmen deripit, alte-
riq; sibi reponenti, Christus, inquit, moriens
capite operto non fuit. Rector nusquam hæ-
sitare lingua cernens Aloysium, fidem eius di-
ctis non adhibebat, quamobrem eius iussu la-
chrymantes omnes, qui eius beatum exitum

T ope-

operiri optauerant duobus illic relictis sacerdotibus, disceſſerunt. Tum ille mente ſemper in Deum erecta, identidem has voces repetebat: In manus tuas Domine commendo ſpiritu meum. Vbi ad poſtremū conflictum ventum eſt appreſſo cereo, & ſanctiſſimo Ieſu nomine inuocato inter alteram & tertiam noctis horam admirabili tranquillitate animam ſuo procreatori reddidit. Poſtea vero eius ſanctitas multis paſſim miraculis illuſtrari cœpit, quæ ſi lubet vide in eius vita.

*PVERITIA S. IOANNIS, BAPTISTÆ
& præcurſoris Domini Ieſu 24. Iunij.*

Magnus reuera exiit coram Domino B. Ioannes Baptiſta: cuius eximiam ſanctitatem in puero adhuc maternis oculoſo viſceribus gratia cœleſtis mirabiliter auſpicabatur. Cum enim virgo mater plena gratia, & plena Deo domū B. Eliſabeth cognatæ ſuæ ingrederetur eamq; fauſta cōſalutatione impertiſſet, mox de gratiæ redundantis plenitudine Ioannes prior accepit, atq; accelerato ſibi rationis uſu, & de præſentia Saluatoris gaudio geſtiit, & tanquam præcurſor alacer exultauit. Conduſcantur adhuc inter vitæ primordia vicinis ſtupentibus, miracula, & de futuræ ſanctitatis magnitudine admirabundi bellè ominantur. Rigatur porro deinceps intra paternæ domus penetralia, ſacra inſtitutione puriſſima infantis ætatula, & iuxta cœleſte oraculū nihil ſibi indul-

*Tempe-
rantia.*

indulgens, vino & quolibet potu rationē he-
betante abstinet, ac meditatæ seueritatis dat
prima specimina. Succressitq; intra domesti-
cos parietes sincerissimæ castitatis lilium, aŋo
mox septimo ætatis eremo transplantandum,
vbi diuiniore amictu intra humilitatis sacra-
rium delitens, vniuersam regnantis quondam
Salomonis superet gloriam. Ne itaq; primam
innocentiæ trabeam, cōmunis inter homines
vitæ contagēs inquinaret, aut indecens vitia-
ret affatus, deuitare statuit periculi impenden-
tis salebram, & spreta domo opibusq; paternis,
posthabitis mundi delicijs vniuersis, in aspe-
ram eremum puerulus Deo ductore commi-
grauit. Vbi penitus exutis terrenarum rerum
compedibus, Spiritu S. pædagogo, Angelis so-
dalibus vtens, ipse puritate verè Angelus, cæ-
lestem vitam degebat. Videntq; sibi committi
pœnitentiæ magisterium, operam dabat huius
in seipso excolere archetypum, vt doctrinam
efficaciorem viuā astruerent exemplaria. Mu-
tatur ratio victus, ne vitæ mutetur integri-
tas, & locustæ cum melle syluestri sancto
pulsioni in pastum cedunt, non hic condimen-
ta proritant cupidinem, non palatum dul-
ciori epulo ingurgitari optat, non denique
cocto aut condito caro saginatur: sed he-
roica mente blanda temperantiæ detrimen-

Cōscientia
puritas.Vita ere-
mitica.

Ieiunium.

T 2 Venit

Venit Ioannes nec manducans nec bibens. Et quia ad perfectionem sanctitatis præcipue spectat, seipsum vincere, atque effrenes animi motus in gyrum ducere rationis, nullum armorum genus reliquit intactum, quod ad victoriam conferret. Omnibus enim quibus corpus pascitur delicijs longissime semotis, atq; è diuerso collectis omnibus asperioris vitæ præsidijs, cum propria carne bellum gerebat. Vestitum itaq; eligit visu horridum, è pilis camelorum confectum, & quouis cilicio asperiorè, cibo vitur vix humano: somno item breuissimo, quem dura cubanti humus & penitentia atq; contemplationis studium concederet. Hominum iucunda consortia horrida solitudine: amplum patrimonium, pia paupertate cõmutat: nec quicquam sibi reliquum fecit eorum, quibus vel caro titillari, vel animus ad peccandum inclinari atq; irretiri posset. Tantis igitur animorum vinculis immunis, & cupiditatum ac peccati expers, liberius obtutu cælestia speculabatur, & euacuato synceri pectoris vase diuina mysteria contemplando capacius hauriebat: donec è schola Sancti Spiritus, à spelæis ferarum, ad præparandam Domino Iesu viam Doctor sublimis accersitur. Digna profecto vita cui colophonem martyrij gloria superimponeret.

EXEMPLVM S. ANTHELMI CARTHV-
siani & Episcopi Bellicensis 26. Iunij
Sur. Tom. 3.

B Anthelmo celsa progenie edito id à te-
neris vnguiculis præcipuè curæ fuit,
quomodo perfectam Deo seruitutem, carnali
nobilitate posthabita exhiberet. Diuina au-
tem prouidentia ita disponente, adhuc puer à
parentibus sacris literis traditus est imbuen-
dus. Postquam vero adoleuit, cum egregia in-
dole, tantam celsitus consecutus est gratiam, vt *Morum*
ab omnibus ob honestatem morum apprimè *honestæ.*
diligenteretur. At deinceps parum cautè tanta
gratiarum vsus affluentia, paulatim arridentis
seculi huius blandimentis allici cœpit, adeò
vt rebus omnibus ad votum mirificè fluenti-
bus tandem abreptus sit: ac seuerioris discipli-
næ oblitus, in Gebennensem & Bellicensem
ecclesias magnis opibus & honoribus auctus *Vanitate*
concesserit. In Gebennensi enim Ecclesia *seculi ab-*
ripitur.
Præpositus & Secretarius, in Bellicensi vero
Secretarius creatus est: quas ille dignitates in
illis Ecclesijs præcipuas, magna cum laude ad-
ministrabat, ita vt prouectioris ætatis viris &
grauissimis senibus longè anteferreretur. Cum-
que multæ ei essent facultates, nam id ei stu-
dio fuit, vt opes colligeret & coaceruaret, sed
vt liberaliter & honestè eas expendere. De-
lectabatur enim fauoribus & laudibus homi-
num, vt solent illi, qui in pretio haberi vo-
lunt. Prætereuntes vel aduentantes illustres

*Castitas.**Delectatur
contra
bernio reli-
giosorum.*

viros, tam religiosos quam seculares, reuerenter arripiens, adeoque pertrahens honorifice tractabat, & obsequia opportuna officiosissime exhibebat: animumque erga pauperes plimum ac benignum ostendebat. Quamuis vero vanis hisce caducisque rebus esset implicatus, summo opere tamen cauebat, ne quid flagitiose, impure aut turpiter admitteret. Itaque cum adolescentiæ flore in magna mundi vanitate consumpto, diuina eum bonitas in rectum salutis iter reuocare vellet, coepit religiosorum hominum & imprimis Carthusiensium loca inuisere: vitamque eorum non tam conuersionis desiderio, quam animi quadam curiositate diligenter explorare. Interim cum suauitate eorum paulatim afficeretur, fratres illos frequentius adiit, eorumque domicilia, & cætera omnia diligentius perlustrans, sermones etiam de rebus diuinis instituebat. Tum vero fratres, qui ad illum usque diem vanitati eius nonnihil indulserant, ut sensere eius animum emollitum, tempus nacti opportunum, de contemptu mundi sermones conferunt, hortanturque ut exigua pro magnis, pauca pro multis, falsa pro veris, & pro sempiternis fluxa & caduca contemnere ne dubitet. Quid multa? Diuini timoris spiritu excitatus, consilij & fortitudinis spiritu confirmatus, omnibus quæ mundi sunt protinus ex animo abdicatis, totum se diuino cultui & seruituti addixit: & in Carthusia quam Portarum vocant, monasti-

co eius Ordinis habitu hilariter suscepto,
Christianæ militiæ nomen dedit.

I V L I V S.

ADOLESCENTIA S. GALLI A R V E R -
norum Episcopi 1. Iulij Sur. Tom. 4.

S Gallus Aruernorum Antistes à stirpe Ve-
stij Pagati martyris apud Lugdunum ce-
leberrimi descendens, Georgio & Leocadia
parentibus inter Gallos lógè nobilissimis na-
tus est. Huic pater illustrem genere virginem,
vt partam magna virtute gloriam & generis
dignitatem longius propagaret despòdere co-
gitabat. At Gallus perspecto parentis consilio, *Castitas.*
cum iam pridem facibus diuini amoris mira-
biliter incēsus, de sanctiore quopiam vitæ ge-
nere cogitaret, assumpto secum vno puerulo,
ad Cremonense monasterium, sexto ab Aruer-
na vrbe milliario situm profectus, monasticæ
vitæ institutum feruēter arripuit. Abbas vero
perspecta pueri prudentia & formæ ac morum
elegantia, primum ad parentem percontatum
milit, vt quid filio suo fieri velit renunci-
et. Qui parumper contristatus: Primogenitum;
inquit, meum coniugio potius destināram, si
tamē suo illum Deus dignatur seruitio nolim
volūtati eius refragari. Abbas igitur de parētis
factus beneplacito certior, puerum inter cle-
ricos cooptauit, Erat vero egregia castitate, &
moderatione animi, & velut pūcta ætate vir

T 4 àiocis

*Morum in-
tegritas &
maturitas.*

*Ieiunij car-
nem edo-
mat.*

Castitas.

à iocis se iuuenilibus omniq; cupiditate cohi-
bebat. Vox illi adhæc erat miræ dulcedinis
cum modulatione suavi: lectioni incumbere
assidue, & ieiunijs ac multa victus temperantia
lasciuia carnis restringebat. Vbi magna cum
opinionem virtutis aliquandiu versatum, Quin-
tianus Episcopus, ob insignem illius vitæ mo-
rumq; constantiam, ad ciuitatem secum abdu-
xit, & cælestibus disciplinis apprimè erudit.
Interea crescente nominis eius celebritate
Theodoricus rex captus item fama tantæ vir-
tutis, quæ passim de eo ferebatur Gallum ac-
cerxit, tãtoq; amore complectitur, vt proprio
eum filio haberet chariorem. A regina autem
eius vxore pari amore diligebatur, non solum
pro honestate vocis ac morum, sed etiam pro
caltimonia corporis. Per id tempus vnà cum
rege Agrippinam delatus, cum fanum quod-
dam gentilium succendisset, eamque ob rem à
barbaris infestis armis peteretur, ille fugam
capiens in aula se regia condidit, ac rege pro-
tecto, & minitantes paganos blandis sermo-
nibus submouente, improbum eorū furorem
euasit. Quamquam multis id postea lachrymis
deplorare consueuerit, quod oblatam marty-
rij coronam declinasset. Deniq; Quintiano
Aruenorū Episcopo vita perfuncto B. Gallus
à rege Theodorico summa omnium gratula-
tione susceptus est, multisq; virtutum
ac miraculorum claruit orna-
mentis.

EXEM-

EXEMPLVM S. GREGORII THAVMA-
turgi Neocæsarensis Episcopi per D. Grego-
rium Nyssenum. Sar. 3. Iulij

Tom. 4.

Vitæ admirabili B. Gregorij præclara san-
ctitatis in tenella ætate responderunt,
procæmia, cœpitque iam inde cum egregia in-
dole læta quædam virtutum seges pubescere.
Cum enim à teneris vnguiculis animum ho-
nestatis studio appulisset & iudicio pruden-
tiaq; singulari quæ verè utilia censuisset con-
sectaretur, nihil eorum, quæ iuuenilis ætas ina-
niter stupet atq; admiratur, sibi appetendum
esse existimavit. Quare vestium splendorem,
equos, venationes, ludos talorum, ceterasque
huius generis delicias alta mente contempsit.
Et primo quidem reginam illam virtutum e-
nixo studio conquirebat sapientiam, ex cuius
perinde saluberrimis fontibus scaturiebat
temperantia: Vnde postmodum utriq; gemi-
na & castissimis compta moribus manabat
cōtinentia. Ne vero in eum caderent effrēnes
iracundiæ impetus, & fastus atque arrogantia
corruptela (quæ cæteroquin ex auaritia & plu-
ra habendi cupiditate nascuntur) iam egregia
pecuniæ & diuitiarum effecerat despicientia.
Cumq; in philosophia perdiscenda studiose
versaretur, eius scientiæ adminiculis, quæ alij
ad gentilium errores abstrahuntur, ad Christia-
nismum relicta parentum superstitione per-
uenit; & antequam duceretur ad mysticam il-

*Maturitas
ingenij ac
morum.*

*Sapientia.
Tempe-
rantia.*

*Continen-
tia.*

*Cōtemptus
opum.*

T s lam

*Cōscientia
puritas.*

lam in baptisinate regenerationem, tam rectè vitam egit, vt nullas peccati sordes ad laucrum attulerit. Dein Alexandria aliquantum cominoratus, quo iuuentus multa studiorum causa confluxerat, æqualium suorum cœpit inuidia laborare. Laus enim eius qui puram castamq; vitam degebat probrū erat fœdè in-cesteq; viuentium. Ad calumniam igitur integerrimo adolescenti intentādam, producit ab eis publico infamis scelere meretricula. Illo autem cum viris eximijs in habitu honesto de re quapiā philosophica differente, accedit lena, seq; cū eo stupri cōsuetudinem habuisse petulanti sermone ostendit; sibiq; mercedem qua fuerat fraudata deposcit. Cæteris igitur, quib⁹ erat ipsius perspecta castitas, grauius in mulierem commotis, ipse neq; turbari visus est, neque calumnijs vel grauiore verbo, respondit. Non suæ vitæ citauit testes, non iurando illatum sibi probrum deterfit, neque huius calumniæ authores, malitiæ insimulauit: sed quieta & constanti voce conuersus ad quendam ex suis familiaribus: Heus, inquit, solue ei pecuniam, ne amplius molestiam exhibens rei propositæ studium inturbet. Accepit igitur mercedem femina, & ecce tibi temperantiæ huius adolescentis illustre testimonium. Vix illa manu mercedem exceperat, cum mox à cacodemone exagitata, & stridore belluino præter vocem humanam eiulans, pronā in conspectu omnium corruit, & disse-

ctis

etis crinibus, auersis oculis & ore spumante,
horrendum de se spectaculum adstantibus
præbuit. Nec prius eam remisit, qui eam suffo-
cabat dæmon, quam Magnus ille Gregorius
Deum inuocasset, illumque ei propitium red-
didisset.

HEROICVM MARTYRIVM S. PROCO-
pij 8. Iulij, Surius Tom. 4.

Diocletianus Romanorū Imperator cum
rebus in Aegypto ex animi sententia
confectis venisset Antiochiam, ac ibidem
tribunali noua crudelitatis suæ in Christianos
edicta proferret, suosque cōmentitios deos ne-
faria superstitione multis laudibus in cælum
tolleret, femina quēdā senatorij ordinis Theo-
dosa nomine marito Christiano recens orba-
ta, vnico cum filio cui nomen erat Neanias, &
ingenti pecuniarū vi supplicē se imperatori, p-
tribunali sedenti exhibuit, vt filium vnicum
egregio corporis robore adolescentem & deo-
rum amicum suscipiat, & aliqua militiæ præfe-
ctura pro generis nobilitate honoret. Impera-
tor ea re vehementer gauisus, vt adolescen-
tem aduertit græcorum disciplinis esse per e-
ruditum, ætatemque magnitudine animi super-
gredi, per ampla cū potestate ipsum Alexādriz
præfecit, iussitque ad Christianos internecone
delendos, tota virtute incūbere. Ac porro in
eam rem duas ei militum cohortes, quarum
ope Christianos supplicijs fatigaret attribuit.

Quo

Quo deinde Antiochia cū instructa militum manu, digrediente, atque in itinere circa tertiam noctis horam constituto ingens repente terræ motus cum horribili tonitru exortus, cunctos in fugam disiecit, metuq; mortis examinatos solo prostravit. Solus Neanias diuina magis quam humana virtute roboratus constitit, vocemq; cælitus delapsam huiusmodi audiuit: Neania quo vadis, & cōtra quem tanto impetu incitaris? Ille autem, qua erat animi libertate, Imperatoris edictum protinus exposuit, acceptamq; ab eo potestatem, ut quous Crucifixi cultores de medio tolleret. Tum rursus audiit: Quid vero ò Neania, tu etiam contra me venis? Ille autem, tu, inquit, quis es Domine, non enim te queo cognoscere. His dictis, vidit protinus crucem chrystallino candore mirè rutilātem, vocemq; ex ipsa non sine stupore audiuit: Ego sum Iesus Crucifixus Dei filius. Tum vero Neanias maiori stupore oppressus: Et tu, inquit, Domine quomodo Dei filius es, qui tantis vulneribus, supplicijs, contumelijs sub exitum vitæ diceris fuisse affectus, quanta scelestissimus quisq; nunquam sustinuit? Cui Dominus: Ego quidem extrema suppliciorum omnium ignominiam acerbiter; perpeffus sum, multisq; plagis contusus è vita excessi, sed nisi ego hasce grummas sceleribus vestris debitas excepissem, doloresq; qui vobis subeundi erant, sustinuissem, vos sempiternis supplicijs addicti, nunquam salu-

salutem consecuti fuissetis. Meo igitur crucia-
 tu ab exitio & tormentis perennibus liberati:
 mea morte à faucibus æternæ mortis erepti
 estis. In hoc autem signo quod tibi apparuit,
 vince hostes & pax mea erit tecum. Ad hæc
 Christi verba Neanias animus calore diuini a-
 moris adeo incensus fuit, atq; ex Crucis illius
 aspectu tanto repletus gaudio, vt mox Scy-
 thopolim ingressus, vocato ad se clanculum
 aurifabro, artis illius peritissimo Crucis sig-
 num ex auro formari iusserit, quo perpetuo
 illius aspectu tanti beneficij memoriam re-
 coleret. Quam ille iam elaboratam magna
 pietate commotus adorauit, ac venerabundus
 eam amplexans purpura inuoluit, cœptoq; iti-
 nere cum militibus perrexit. Ceterum cum id
 temporis Agareni improba quadam consue-
 tudine, ex finitimis ciuitatibus filias vi sibi
 vxores deposceret, recusantesq; armis in suam
 potestatem redigerent: Neanias rei indignita-
 te ciuiumq; deprecatione permotus, infantes
 armis in libertatem statuit vindicare. Quare
 Crucis suæ virtuti confidens, cælestiq; oracu-
 lo excitatus, facta in Agarenos impressione
 primo eos conflictu in fugam dedit, & nemine
 è suis desiderato sex hostium millia ferro tru-
 cidauit. Hoc ingenti trophæo diuinæ Crucis
 virtute parto, matrem de victoria reddit cer-
 tiore, quæ filio gratulabunda occurrens, mag-
 nis vocibus dijs tam præclaræ victoriæ lau-
 dem acceptam referre admonuit. At Neanias
 Chri-

*Neanias
 crucis effi-
 giem humis-
 liter vane-
 rat.*

*Virtute S.
 Crucis ho-
 stes profligat.*

Christi iam gratia à nefandis purgatus erroribus, matrem dextra prehédens, in cubiculum deorū simulacris refertū deduxit, aitq;: Fraus maligni dæmonis hætenus te à via veritatis in præcipitiū impulit, prout mox experimento disces. Si enim dij, quos dicis, opē mihi in bello tulerūt, ipsi, pñuncient vocemq; edant, vt credam eos vitę & mortis habere imperium. Hęc audiens Theodosia primū grauiter indignata est, tū vero supplici corporis habitu ad simulacra accedens singula nominibꝫ proprijs inuocauit. Sed cum respōsa nequicquā præstolaretur, adolescens sinistra crucē tenens, reiecta ex humeris chlamyde, matreq; paululū repulsa, dextra statuas deiecit, humiq; prostratas pedibꝫ cōminuit, tandemq; in pauperes (erāt enim ex auro & argento cōflatę) distribuit. Tum vero mater, & naturę & viscerū suorū oblita, mente furibunda ad regiā cucurrit, & Diocletiano factū filij, ipsumq; filiū crudeliter prodidit. Imperator cōfestim datis ad Palæstinæ præsidem literis (is erat Italus, Iustus quidem nomine, at ipso Nerone crudelior) mandauit, vt Neaniam sacrificare recusantem, omnibus supplicijs dirē excarnificatum, dignitate simul & vita spoliaret. Præses acceptis literis illico ad eđes Ducis festinauit, easq; illi legendas exhibuit. Ille vero perlectas minutatim conscidit, partesq; ventis mandans, Ego sum, inquit, Christianus, quod imperatū tibi est exequere. Cui Præses, Non, inquit, Ducum fortissime sic agendū est; quin

*Simulacra
deorum
cōminuit.*

quin potius novos tibi honores ab Imperatore tui studiosissimo cōcilia. Cui Neanias: Ego me Christo lubens sacrificabo. Viden' propositas tibi carnes? castiga atq; afflige Præses, ne tantillum quidem nostri curam gerens. Dein adolescens suspectam habens remissam præsidis responsionem, ne ipsius lenitate de spe martyrij periclitaretur, Crucifixi se seruum profiteretur, & militare cingulum in faciem Præsidis per contemptum proiecit, ut eum citius ad inferendos sibi cruciatus prouocaret. Tum vero in iram furoremque conuersus Præses, vinctum repente Procopium Cæsaream abduci iussit: ubi populus errore simulacrorum remulentus magnis ipsum clamoribus ad necem poscebat. Aduit tandem & Præses; qui à maligno dæmone animo effertus, suspensum iuuenem crudelissimè cēdi iussit, adeo ut non pauci martyris ætatem & corporis pulchritudinem miserati, lachrymas funderent. Sed Christi athleta quanquā toto corpore ita fuisset laniatus, ut ossibus carne nudatis, vix membrorum forma appareret, inuictus tamē permanebat, flentesq; hortabatur, ut potius animarum suarum interitum, quam eius corporis plagas luctu lachrymisq; prosequerentur. Præses tantā animi fortitudinem admiratus, iussit eum in carcerē abduci. Custos huic præerat Terentius, qui multis iā ante à sanctissimo martyre beneficijs affectus, incredibili animi sui dolore illū excepit, ac Præsidis quidem veri-

*Fortitudo
animi.*

*Laniatur
crudelissimè.*

veritus minas, in interiore carcere conclusit, fœnum tamen ac sindonem subministravit, ut fracta corporis membra commodius foveret. Vbi angelico primum recreatus alloquio, vidit Christum Dominum clarissima luce circumfusum sibi assistere; qui eum aqua aspergens, non tu, inquit amplius Neanias, sed Procopius appellaberis. Præbe igitur te strenuum inuictumq; athletam, ut alios per te ad vitam destinatos, patri meo cælesti eadem martyrij gloria coronandos exhibeas. Procopius tam stupendo Dei beneficio pene exanimatus, flexis genibus delictorum suorum suppliciter veniam postulare, vires contra tormenta petere, seque totum profusis lachrymis Christo commendare. Interea pristinae sanitati, fugatis omnino plagarum vibicibus restitutus, novusq; insuper delibutus gaudio, iubente Præsidente ita è carceris latebris prodijt, ut maxima populi multitudo, visa corporis eius eximia pulchritudine, ac diuino splendore, qui ex ipso vultu radiabat, vnum Deum Christianorum, verum & viuum clamaret. Ea re ingenti affectus molestia Præsides, indicto silentio: Fratres, inquit, merito magnis deorum nostrorum clementia celebranda est laudibus, qui nouo insuper addito decore hunc famulum suum reformârunt. Tum Procopius: Quin, inquit, ad eorum templa contendimus, ut sciatis quanam deorum adeo in me beneficus extiterit, Hoc dicto gauisus Præsides, magnifico eum duxit

clausit, duxit apparatu, solumque ingredi cupientem honorifice dimisit. Ibi tum Procopius, clausis templi foribus, ardentius precari, Christi que numen inuocare, ut statuas ad vnum omnes contereret, atque in aquam resolveret. Exaudiuntur illico preces martyris, & collapsa vno impetu simulacra in aquam resoluuntur. Permoti hoc miraculo milites, sua Christo dant nomina, paremque martyrij palmam vehementer exoptant. Quare diuina iam luce collustrati, ad martyrem Procopium abierunt, supplicibusque ab eo verbis contenderunt, ut eos Christo sociare dignaretur. Ea re mirifice lætatus martyr, omnes ad Leontium ciuitatis illius antistitem noctu perduxit, sicque ritè ab eo instructi, & aquis expiati lustralibus in numerum fidelium percepto primum viuifico corpore & sanguine Christi fuere recepti, ac paulo post 21. Maij, certamen fidei capitum suorum abscissione præclare absoluerunt. Christi autem martyr Procopius maximo ferri pondere oneratus tetro iterum carceri mancipatur: ad quem mox duodecim prima nobilitate matronæ peruenerunt; quæ se quoque Christiana imbutas fide profitebantur. Quod simul atque rescivit iudex, eodem illas carcere conclusit: ac cum paulo post easdem in Christi confessione mirè constantes ferro & igne ad aliorum terrorem immaniter excarnificaret, fortè tunc aderat fortissimi martyris mater Theodosia: quæ cum femineos animos vna Christi virtute

V

ita

ita repente roboratos cerneret, vt neq; teter-
rimo carceris squalore, neq; horrendis crucia-
mentis quicquam à fidei constantia dimoue-
rentur, immò cuncta Præsidis supplicia quæ-
dam quasi ludibria reputarent, adeò repente
immutata est, vt animo planè virili, in medi-
os se carnifices vltro ingereret, voceq; libe-
ra Christianam se profiteretur. Quare obstu-
pefactus Præses cum multis Theodosiam
blanditijs nequicquam ab ea mente reuocare
contendisset, tandem furore incensus, cum a-
lijs eam matronis in carcerem detrudi man-
dauit, vbi post multa charitatis officia eisdem
exhibita, susceptumq; à Leontio Antistite sa-
crum baptisma, à sanctissimo suo filio ad con-
fessionem pro Christo cum alijs viriliter sub-
eundam piè roborata est. Misit post hæc Præ-
ses, qui omnes illas suo tribunali sisteret. Pri-
mò autem Theodosiam irrita aggressus trucu-
lencia eandem dirè verberatam vncisque fer-
reis crudeliter laceratam, capitalem demum
sententiam cum reliquis (quarum cōstantiam
iam exploratam habebat) subire iussit. Quæ
prompto & alacri animo iugulum pariter præ-
bentes, vitæ finem glorioso acceperunt marty-
rio. Hac præclara earum cōsummatione Pro-
copius incredibili exultatione dum tripudiat,
ecce iterum ad tribunal accersitur: in què illi-
cò iudex verbis asperis vultuq; truculento in-
uectus: Quid vero, inquit, impium & execran-
dum caput, esne tot animarū interitu satiatu?

Cui

Cui Martyr. Non, inquit, ad interitum, sed ad vitam tibi adhuc ignotam eas traduxi. His dictis statim veneranda eius facies iussu Præsidis ferreis contunditur manibus. Inde ad omnia corporis membra vngulæ immani crudelitate adhibita, aliaque pœnarum genera, quæ tamen in caput Præsidis redundabant. Nā cum æquè inuictum cerneret martyris animum, eum quidem compegit in carcerem, ipse vero inuidia & furore tabescens magnaque animi molestia faucius in febrem incidit, quæ diuino illi iudicio infelicem paulo post excussit animam, flammisq; mactandam tradidit sempiternis. Ei continuò ab Imperatore suffectus fuit Flavianus, & ipse Italus; honesto quidem loco natus, sed priore nihilo æquior: qui statim à ciuitatis ingressu martyrem accersijt, ratus eum dicendi facultate, qua multum pollebat facillè superatum iri. Sed cum post longas sermonum ambages martyris inuictum animum irritò tentasset euentu: in rabiem versus Archelao cuidam imperat, Procopium stricto ense conficere. Qui de paricidio audaciæ sibi gloriam promittens, mox vt ferrum in martyrem nihil aliud optantem strinxit, viribus destitutus in terram prolabitur. Hæc cum merito ingenti stupore Flavianum afficerent, dubius tamen animi Procopium in carcerem relegat: in quo post ardentissimas preces cælesti rursus voce martyr ad agonem animatur.

Interea continuis sex diebus consilia cogitat tyrannus, quo tandem pacto victoria ex martyre potiretur: productumq; de ergastulo sic affatur: Tametsi maleficijs tuis enssem auertisti, nobisque omnibus tenebras offudisti, efficaciam nihilominus, vt noxiorum condocesset tormentis imperata tandem facessas. Audiebat hæc interritus Christi athleta, suamq; in Deo declarans fiduciam improbissimum iudicem maledictis insectabatur: Tu, inquit, ignis sempiterni nutrimentum, omnis iniquitatis operarie, me tanquam fontem puniri asseris, & non aduertis quantam mihi tua supplicia pariant voluptatem? Quid enim iucundius, quàm pro Christi nomine pati? qd vilius quam pro breuissimo cruciatu æternæ vitæ præmia & triumphos sortiri immortales? His dictis grauitè commotus Iudex, Procopium crudis iubet neruis laniari, dorsumq; vulneribus concisum prunis torreri, tunc candentes obeliscos liuoribus infigi, atq; postremo vstulata membra sale perfricari. Quæ cum martyr inuicta planè virtute perferret, deosq; ipsos maledictis & contumelijs incesset, iudex grauiori dolore percitus, dexteram eius imposito thure & ardentibus impletam carbonibus, super aram extendi iubet, vt si acriori doloris sensu victus manum excuteret, dijs sacrificasse diceretur. Et quidem manus longo tempore vrebatur, ignisque paulatim carnem absumebat; martyr vero fixo in cælum vultu illa-

illachrymans, immotam cōltanter dexteram
 tenuit. Stupere cuncti, error labefieri, Christi
 gloria crebescere, Martyr interea vocem ex-
 altans: Tenuisti, dicebat, Domine dexteram
 meam, & accinxisti me virtute ex alto, & non
 impiè egi à Deo meo. In me sunt Deus vota
 tua quę reddam laudationes tibi? Tum Iudex:
 si te nihil, inquit, tormenta isthæc afficiunt,
 vndenàm gemitus & lachrymæ? Ad quæ præ-
 clarè admodum martyr; Absit, inquit, ò tu ve-
 rè digne lachrymis, vt ego corporeos hosce
 defleam labores. Sed quoniam corpus hoc ex
 luto formatū compactumq; est, necesse est vt
 lutum ignis calori admotum ex natura aquam
 distillet: Alioqui autem tuam quoq; miserrimam
 defleo animam, quod dæmones & im-
 pios Imperatores colendo, à Deo vero defici-
 as; flammisq; perennibus (ni resipiscas) infe-
 lix pabulum referueris. Reductus deinde in
 carcerem manibus supernè alligatis atque im-
 manilapidū pondere ab illius pedibus suspen-
 so, vt compages membrorum dissoluerentur,
 aliquamdiu tortus fuit. Eo quoque superato
 tormento in clibanum vehementer accensum
 coniectus, signo Crucis & precibus ira flāmas
 discussit, vt ministros oberrantes momento
 deuorarent. Quo periculo vniuersa ferè ciui-
 tas percussa clamare & vrgere Præsidem cœ-
 pit, vt quam ocyssimè martyrem consumeret,
 ne vt illi dicebant, omnes illius maleficijs ab-
 sumerentur. Igitur Flauianus paucis post die-

bus capitis eum sententia damnauit. Cum autem Martyr ad vltimi certaminis locum peruenisset, impetrato orandi spatio, ardentissimas multis cum lachrymis pro omnium salute preces fudit, & cunctis, qui sui post transitum memoriam cum pietate agerent, opportunum in quauis necessitate Dei auxilium postulauit. Hæc orantem vox cælitus delapsa confirmauit, certioremq; reddidit, cuncta ad eius petitionem esse perficienda. Hanc ut audiit vocem, alacer statim ceruicem licitori præbuit, atq; ictum gladij hilari vultu excepit.

EX VITAS. DISIBODI EPISCOPI ET

Confessoris per B. Hildegarden Abbatisam

Bingensem conscripta 3. Iulij Sur.

Tom. 4.

Dilectus Deo Disibodus ab ipsa infantia sua ad instar beatorum Nicolai & Benedicti ac similium gratia Spiritus sancti perfusus, ad bona omnia, quæ vel vidisset vel audiuisset magno cordis desiderio aspirabat. Eiusdemque gratiæ cælestis præsidij ita à teneris vnguiculis vsq; ad decrepitam ætatem, vitæ integritatem coluit, vt neq; pueritia ipsius improbis ludis & leuitatibus dedita, nec iuuentus libidini obnoxia, nec confirmata ætas ad deteriora fuerit intenta. Adeo enim pōpam omnem & mundi huius fastum animo corporeq; calcavit, vt quib; usdā stultus, nonnullis vanus, alijs errori obnoxius, plerisq; vero etiam admiranda

*Virginea
castrata.*

mirabilis ea de causa in factis suis videretur. Huius parentes præclaris in Hibernia orti natalibus, cum tyrānidem quorundam detestati, solum verisissent, & procul patria vnā cum Disibodo filio habitaret, liberalibus eum disciplinis imbuendum religiosi viris cōmendarunt: & acri illius ingenio feliciq; ad discendum industria delectati, molestiam exilij solis suæ ingenuitate leuabant. Porro Disibodus in dies proficiens & tum ætate tum sanctitate crescens, à studio literarū ad studium bonorum operum progrediebatur, & precibus ^{studium bonorum operum} ac eleemosynis vacabat. Quicquid vero de Deo auditione accipere, aut discendo cōsequi poterat, id multa auiditate complectebatur. Denique per gradus virtutum & ætatis incrementa singulis initiatus sacris ordinibus cum trigessimū ageret annum presbyter ordinatus est. Quam ille dignitatem tantis virtutum ornamentis decorauit, vt eius regionis Antistite feliciter demortuo, inuitus atq; reluctans ad Episcopalem dignitatem raperetur.

MARTYRIVM SS. FELICITATIS ET
septem filiorum eius 10. Iulij Sur. Tom. 4.

Cum Antonini Imperatoris tempore, cingens sacrificulorum exorta seditio Christianam religionem interneccione penitus delendam esse conclamaret, Felicitas illustri admodum genere matrona, inter alios omnes fidei cultores tanto pietatis virtutumq;

omnium splendore fulgebat, vt Sacerdotes idolorum illa vna superstite, res suas nefandumq; dæmoniorum cultum diu saluum consistere posse diffiderent. Erat enim castis adeo moribus ornata vidua, & orationis studio die nocteq; tam sedulo intenta, vt cuncti vel solo eius intuitu, Christianæ religionis amore inflāmentur. Crescebant per illam quotidie Christi præconia, & pietatis studium magna capiebat incrementa; prorsus vt idolorum sacrifici inuidia tabescentes, Imperatori Antonino reipublicæ excidium denunciarent, ni maturè Felicitatem cum filijs dijs sacrificare compelleret. Antoninus ea denunciatione commotus, Præfecto vrbis Publio vitæ necisq; potestatem in viduam sanctissimam tradit, vt ea ratione offensa deorum numina placaret. Publius igitur Præfectus Vrbis eam ad se priuam adductam blando primum colloquio ad deorum cultum prouocauit, deinde verò poenarum atrocitate cum minis proposita fermineum pectus terrere aggreditur. Cui Felicitas: Nec, inquit, blandimentis tuis resolui, nec terroribus frangi potero. Quid? tu sanctum Spiritum, qui fidelium mentes inhabitat, nosque contra aduersos tuetur casus, ab homine superandum existimas? nihil agis; de illius namque protectione segura, supplicia tua superabo, & si interfecta fuero, gloriosorem occisa reportabo triumphum. At Publius: Si tibi o misera suaue est mori, vel filios tuos viuere per-

permittas. Viuent vero, inquit illa, filij mei si
idolis litare abnuerint, sin vero in se tantum
scelus admiserint, in æternum præcipitabun-
tur interitum. Alia vero die Publius in foro
Martis pro tribunali sedens productam sic
blandè affatur. Felicitas, misere filiorum
tuorum egregia indole iuuenum, & noli flo-
ridam illam ætatem tua dementia prodigere.
Respondit matrona: Misericordia tua imple-
tas, & exhortatio tua crudelitas est. Et cõuersa
ad filios, O filij, inquit, ò chara matris pigno-
ra, mentes oculosq; ad cælum erigite, vbi vos
Christus cum sanctis suis exspectat. Pugna-
te pro animabus vestris, & fideles vos in amore
Christi exhibete. Audiens hæc Publius iussit
eam alapis cædi, dicens: Itane me præsentè ist-
hæc monita dare audes, vt spresis dominorum
nostrorum iussis in perniciem spõtanèam ru-
ant? Et statim amota matre filium eius Ianua-
rium natu maximum blando ad se sermone
vocauit, multaq; haud contemnenda obtulit,
si idolis sacrificare acquiesceret. Sed cum ille
munera constanter reijceret, Publius fulmine
verborum minas ingeminans iuuenem terre-
re nitebatur. Tum ille: Quid, inquit, stulta
suadendo inani verborum strepitu aures me-
as obtundis? Ego enim Christi virtute hæc fa-
cilè superabo. Iudex ea contumelia prouoca-
tus virgis atrociter cæsum in carcerem recipi
iussit, deinde vero Felicem secundum adduci.
Quem cum hortaretur Publius ad immolan-

V s dum

dum idolis, constanter respōdit. Vnus est Deus quem colimus, cui sacrificium pię deuotionis offerimus, caue igitur exiltimes me aut fratrum meorum quempiam à Domini Iesu amore recessurum. Hoc audiens Præfectus, isto amoto iussit sisti tertium nomine Philippum: cui cum diceret: Dominus noster Imperator Antoninus iussit, vt dijs omnipotentibus immoletis: Respōdit Philippus: Isti nec dij nec omnipotentes sunt: sed sunt simulacra vana & omnis sensus expertia: & qui eis sacrificare voluerint de æterna salute periclitantur. Amoto item Philippo iussit adesse quartum Silanum cui sic ait: Vt video, inquit, conuenit vobis cum pessima matre vestra, vt spreitis principum mandatis, vnum omnes eundemq; interitum subeatis. Respondit Silanus Imo si tua tormenta timuerimus, in æternum interitum horrendaque supplicia incidemus, Sed quia compertum est nobis, quanta iustos maneant præmia, quanti q; sceleratis impendeant cruciatus, securi legem Romanam contemnimus, ne diuinam præuaricemur: adorantes enim dæmonia, cum iisdē incendio mactabuntur sempiterno. Amoto Silano iussit quintū præsto esse Alexandrū vix dū ex ephebis egressum, cana tamen prudentia adolescentem cui dixit: Miserere etati tuę iā florescētī & dijs sacrificā, vt possis amicus Augustorum fieri, & vitam habere & gratiam. Cui Alexander: Ego, inquit, seruus Christi sum, quem ore cōfiteor, corde

torde teneo, incessanter adoro. Dij autē tui cū
cultoribus suis interibunt. Isto amoto iussit
sextū applicari, eum q̄; his vocibus affatur: For-
te vel tu optas viuere & nō abire in interitum.
Respondit Vitalis (hoc namq; illi nomen erat)
Ecquis tibi videtur rectius viuere, qui Deū co-
lit immortalem, an qui dēmonē cupit, habere
propitiū? Cui Publius: Et quid est, inquit, dē-
mon? Omnes, ait ille, dij gentiū dēmonia sunt,
& qui eisdē honores diuinos tribuunt. Publius,
hoc per cōtemptum submoto iussit p̄dire Se-
ptimū, animo ad supplicia p̄ Christi nomine
ferēda prōptissimū. Hic Martialis vocabatur,
cui Iudex dixit: Crudelitatis fautores effecti,
Augustorum instituta cōtemnitis, & in vestra
perniciē permanetis. Martialis vero cōtra ex-
clamans, O, inquit, si nosset, quæ p̄cēa idolo-
latris cōstitutæ sint, aliud sciret. Quotquot
enim Christum verum Deum non cōfitentur
perpetuis gehēnē ignibus cōflagrabit. Tunc
Publius omnibus iam auditis & carcere cōclu-
sis, gesta singulorum in chartas redacta Anto-
nino misit. Quos Imperator tandē Antoninus
diuersos ad iudices varijs excarnificandos sup-
plicijs destinauit. Et primus quidem fratrum,
plumbatis diu grauitēque cæsus, præclare in
Christi confessione spiritum tradidit. Secun-
dus & tertius, fustibus maçtati, egregiam ani-
mi constantiam, ad extremum vsque vitæ
spiritum, magno fidelium gaudio declarā-
runt. Quartus præcipitio interemptus,
ad

ad cælos migravit. Reliqui tres capitali sententia damnati vnà cum matre intrepidè ceruices gladio subdiderunt; pia interim genitrice sua pignora ad tam præclarum certamen hortante & confirmante. Quæ demum & ipsa de filiorum iam salute secura, plena gaudio & exultatione in certamen prodijt; & gloriosum triumphum simili exitu feliciter compleuit.

*EXEMPLA SS. PVERORVM MARTY-
rum in persecutione VVandalica pro Christi fide viri-
liter certantium, habentur apud Surium in vita S. Eu-
genij Episcopi Carthaginensis 13. Iulij*

Tom. 4.

HVNERICO VVandalorum rege persecu-
tionem seuissimam in Christianos, suasu
Arrianæ factionis, moliente, Episcopi, Presby-
teri, Diaconi, & alia Ecclesiæ membra ad qua-
tuor millia nongentos & sexaginta sex, ad exi-
lium eremi compellebantur. Inter quos & in-
fantuli fuere quam plurimi, quos genitricēs
materno sequebantur affectu, aliæ gaudentes,
quod martyres genuissent, aliæ retrahentes,
vt morituros diluio rebaptizationis à fidei
confessione reuocarent. Nullum tamen tunc
nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas
aliquem inclinavit ad terram. Dum vero hic
Dei exercitus cæpto itinere pergeret, videre
anum tenentem manu infantulum eumq; his
sermonibus consolantem; Curre domine mi;
vides

*Paruuli se
exulibus
comites
adiungunt*

vides vniuersos sanctos, quomodo pergunt, & festinant hilares ad coronas? Cumq; eam increparent, quod importunè virorum se societati ingereret: Benedicite, inquit illa, & orate pro me ac paruulo hoc meo nepote, quocum ad exilium pergere destinaui, ne inueniat eum solum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem. Cumq; postmodum per vniuersas Africanæ terræ prouincias tortores crudelissimi mitterentur, nobilis quædam matrona cognomento Dionysia cum flagris toto corpore crudeliter cæsa fuisset, filiumq; suum Maioricum admodum teneræ ætatis atq; delicatum timore pœnarum formidolosum cõspiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans autoritate materna, ita confortauit, vt matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera constituto ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre Catholica baptizati sumus: non perdamus indumentum nostræ salutis, ne veniens inuitator vestem non inueniat nuptialem, dicatq; ministris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Illa *Constantia* pœna timenda est quæ nunquam finitur. Illa *S. Maioricæ* desideranda vita quæ semper habetur. Tali *pueri.* bus igitur filium solidans verbis, velociter martyrem fecit: qui in certamine cõfessionis immotam seruans constantiam, gloriosa morte victor occubuit. Nobilis item illa fuit duodecim puerulorum cõstantia, qui cum in exilium

lium vnà cum clericis Carthaginiensibus per-
 rexissent, suasu Teucharij perditì apostata,
 qui eos quondā discipulos habuerat, tanquam
 cātores apti modulis de itinere reuocati sunt.
 Segregantur paruuli corpore non spiritu à
 grege sanctorum. Qui timentes præcipiti-
 um, cum suspirijs lachrymarum, ne diuelle-
 rentur constringebant manibus genua socio-
 rum. Quos violentia tamen hæretica minaci-
 bus separans gladijs, Carthaginem reuocauit.
 Verum & hi annis suis superiores inuenti
 sunt, & ne obdormirent in morte, lucernam
 sibi Euangelici luminis accenderunt. Indig-
 nantur ob hoc grauiter Arriani, & se supera-
 tos à pueris erubescunt. Vnde ira accensi, sub-
 di fustibus iubent, quos paucis ante diebus va-
 rijs verberibus dissipauerant. Imprimun-
 tur vulneribus vulnera, & rursus pœna re-
 staurata crudescit. Domino igitur confortan-
 te factum est, vt nec ætas minor dolori suc-
 cumberet, nec fides constantiaque nutaret.
 Quos tunc Carthago miro coluit affectu, &
 quasi duodecim Apostolorum, chorum con-
 spexit puerorum. Vnà degebant, simul velle-
 bantur, pariter psallebant, simul
 in Domino gloria-
 buntur.

*Constantia
 12. puero-
 rum.*

VITAS. ALEXII CONFESSORIS

17. Iulij ex Simeone Metaphraste

Sur. Tom. 4.

Arcadio Honorio Imperatoribus Rome agebat Senator opulentissimus cognomento Euphemianus, vir præter cæteras laudes insigni in pauperes beneficentia. Huic vxor erat Aglais nomine pari pietate atq; in egenos liberalitate ornata. Qui licet omnibus mundi bonis septi atque vallati, ingenti etiam seruorum numero abundarent, vnico tamen sterilitatis incommodo cruciabantur. Cumq; eam ob rem multis precib; Aglais masculam à Deo prolem poposcisset, natus est illis filius, cui Alexij nomen imposuerunt, & insitæ indolis bonitate, & corporis animiq; præstantia ad omnem virtutem promptissimus. Qui vt sexto ætatis anno literarum studijs adhibitus fuit, breui eo eruditionis peruenit, vt Grammaticæ fundamentis feliciter superatis, haud vulgari Ecclesiasticæ historiæ cognitione imbueretur, tademq; arte oratoria probè institutus, summam eruditionis laudem consequeretur. Adulta vero ætate, cum iam matrimonio idoneus videretur, parètes virginem ei regio sanguine claram & moribus virèq; integritate ornatissimam, desponderunt, ipsumq; nihil repugnantem ad nuptiarum celebritatem adduxerunt. Fuere magno totius ciuitatis gaudio in æde S. Bonifacij iunctæ dexteræ, & dies in multam noctem hilaritati dicatus; atq; postremo,

vs

*Alexius ad
virtutem
propensus.*

*Excellit
eloquentia.*

Castum.

ut moris est ad thalamum à parentibus honorificè deducti. Tum vero Alexius, qui occulto numinis instinctu ardua sanctitatis opera meditabatur, sponfam in sella sedentem blandè affatus est, hortatusq; ut casto amore sponsum suum ad supremum usq; vitæ spiritû prosequeretur, simulque annulum suum & caput baltei velo purpureo inuoluta ei tradidit: Accipe, inquit, hæc, & serua. Deus enim erit inter me & te donec illi placebit. Moxq; suum ingressus cubiculû ex proprijs diuitijs secum sumsit, & clam ad portum digressus conscensa nauis Laodiceam cursum instituit. Inde Edessam Mesopotamiæ urbem (ubi imago est Christi Iesu non manu facta, quam fertur misisse Abagaro) contendit, & se suaq; omnia eidem Domino Iesu ex animo consecrauit. Omnibus namq; in pauperes distributis, vestiumque splendore quo ad illam usq; diem usus fuerat, deposito, in vestibulo templi Domine nostre Dei genitricis manebat, & oblatam sibi à fidelibus stipem, vicissim inter egenos partebatur. Interea luctus & cõtinui ploratus domum paternam impleuerunt. Mater nimio luctu deformata in cubiculum se solitariam abdebatur, nurus sequebatur: ambæ mœrore oppressæ nullam se consolationem admissuras volebant, nisi de Alexij statu factæ essent certiores. Pater dimissa in omnes orbis partes seruorum multitudine filium requirebat; qui licet ab ipsis famulis frequenter visus & eleemosy-

nis

*Sancta
paupertas.*

nis fuisset donatus, nequaquam tamen agnitus
 fuit; prorsus ut vniuersa parentis industria in
 indagando filio sine vlllo fructu desudare vi-
 deretur. At Alexius cum decem & septem an-
 nis in vestibulo ædis Dei genitricis excubaf-
 set, & pauperum curam ipse pauper & inops
 sedulo egisset, imago Deiparæ sic custodem æ-
 dis allocuta est. Introducito huc virum illum *Misericor-*
 Dei, dignum regno cælorum, cuius oratio si- *dia in pau-*
 cut incensum in conspectu Dei ascendit. In- *peres.*
 troduktus igitur cum sanctitatis suæ opinio- *Humilitas,*
 nem apud omnes celebrari aduertisset, atque
 ea ex re periculum animæ suæ imminere iudi-
 caret, humanam exosus gloriam, statuit Thar-
 sum Ciliciæ ad S. Pauli templum nauigare, vbi
 omnibus ignotus cœptæ pietatis officia; secu-
 rius prosequeretur. Sed naui conscensa vi tem-
 pestatis Romam appulit. Ibi tum Alexius no-
 ua Spiritus sancti gratia repletus, & humilita-
 tis amore vehementius inflammatus, rectâ ad
 ædes paternas concessit, suoq; patri ingenti fa-
 mulorum caterua stipato obuiam factus, igno-
 tus tamen: Virorum, inquit, ornatissime ac
 Serue Dei altissimi, capiat te quæso aliqua mei
 pauperis & abiecti misericordia, & aliquem
 mihi domi tuæ concede habitandi locum, ut
 reliquijs mensæ tuæ fruam: Deus enim munifi-
 ca te vicissim mercede dignabitur, & si qui
 tuorum peregrinantur, eos tibi reddet inco-
 lumes. Audita peregrinorum mentione Eu-
 phemianus, filij sui vnigeniti recordatus, læ-

X tus

*Patientia.**Crebra cō-
munio.**Tempe-
rantia.*

tus eum excepit, ministrisq; curandum tradi-
dit, & eorum vnum ingentibus cumulatū pro-
missis, si sedulus peregrino ministraret, eidem
ministerio præfecit. At illi spreto Domini sui
mandato, vesperi illum contumelijs & verbe-
ribus affecerunt. Alij eum alapis cædebant; alij
capillū vellebant; alij sordes (dictū scædum) in
sacrū eius caput effūdebant. Quod ille demo-
nis machinatione geri haud ignorans, nō mo-
do patienti, sed læto insuper hilariq; animo
cuncta perferebat. Quodā autem die Impera-
tori, dū sacrosancto sacrificio interesset diui-
na voce indicatur, quendā eximie sanctitatis
virū in ædibus Euphemiani delitescere, cuius
precibus flexus Omnipotens, Romę propitius
foret. Imperator itaq; huius viri videndi per-
cupidus, Euphemianum aduocat, virumq; me-
ritis sanctitatis ornatissimū sibi postulat exhi-
beri. Dū hæc geruntur Alexius futurorū præ-
sciis, totius vitę decursum literis diligētissime
consignauit, & sic demū omnibus incisijs in cę-
lum emigravit. Euphemianus autem ad susci-
piendū domi suæ Imperatorem cuncta ornatū
imperat. Spōsa vero stans in solario spectabat,
qd sibi vellent illa perturbatio, & quæ diceren-
tur ac fierent. At Alexij minister ad dominam
suā: Num, inquit, hic pauper est vir Dei? Magna
profecto & præclara signa in ipso perspicio.
Quolibet enim Dominico die sacra mysteria
suscipit, cibisq; eius tenuis, & potus duæ sunt
aquæ vnciæ. Ad hoc quidam ē seruis assignat
cum;

etiam, nonnulli alapis cedunt, alij vellunt capillos, multi sordes in caput eius effundunt, quæ ille perfert æquo animo. Interea Euphemianus Alexium ut eum de Imperatoris aduentu præmoneret, & habitu decet exornaret, adiit: Sed cum ille planè immobilis persisteret, neque Euphemiano multa dicenti quicquā responderet, tandè reiecto pallio quo sancti viri facies velabatur, vita functum inuenit, vultumque angelico splendore radiantem obstupuit. Charta vero dexteræ adeo tenaciter inhærebat ut nulla eam vi posset euellere. Tum gaudio pariter & timore repletus festinus ad Imperatorem abiit, & cuncta ei ex ordine exposuit. Accessit igitur Imperator depositoque in lectum sancti corpore, unà cum Archiepiscopo fixis humi genibus precatus est, ut chartam traderet; quæ cōfestim cessit, & ab Aetio sanctæ Ecclesiæ Cancellario lecta est, & magno silentio ab omnibus audita. Cum vero ad eum locum vētum esset, ubi parentum & sponsæ fiebat mentio, tunc Euphemianus tāquam ex profundo somno excitatus canos diuellere, cursu ad venerabile corpus contendere, magno desiderio amplecti, oscula figere, locum omnem miserabili valdè eiulatu cōplere. Heu me miserum, inquit, domine mi, cur sic mecum egisti? Cur hanc animo meo afflictionem inuulisti? Cur mihi tecum in paternā domo esses, meque tristem ac moestum cerneret, non aperuisti? Mater vero vix mentis suæ compos, scissis vestibus;

X 2 pas-

passisq; crinibus confertam turbam per-
 pere. Date mihi, inquit, o viri dicebat ut uni-
 genitum meum amplectar. Et accurrens pre-
 tiosum filij sui corpus peramanter osculaba-
 tur. Heu mihi, dicens, domine mi, cur nobis i-
 ta fecisti, ut affligeres animam nostram? Vide-
 bas nos in patria domo dolentes & te nobis non
 patefecisti? Hei mihi quid faciam? Sponsa ve-
 ro lugubri veste induta similiter accurrens su-
 perq; venerandum spōsi corpus inclinata lar-
 gissimo illud lachrymarū imbre rigauit. Por-
 ro Imperator, ut omnib⁹ sanctissimi viri cor-
 pus spectandum proponeretur, lectum tolli &
 circumgestari præcepit. Sed tantus erat popu-
 li concursus, ut loco moueri non posset. Im-
 peratum igitur ut aurum argentumq; sparge-
 retur, quò populus ad colligendam pecuniam
 diuerneret. Sed tanta omnibus inerat videndi
 cupido, ut pauci admodum auelli possent.
 Coruscabat enim corpus admirandis virtuti-
 bus. Dæmones ad illius conspectum fugaban-
 tur, mundabantur leprosi, & cuncti quibusuis
 affecti morbis præsens ibidem remedium in-
 ueniebant. Tandem sacris reliquijs ad S. Petri
 templum delatis diebus continuis septem pa-
 rentes & cognati iusta celebrarunt. Imperator
 autem, arca è marmore & smaragdo elegan-
 tissimè fabrefacta, venerabile corpus excepit,
 & eodem in templo deponi curauit 16. Calen.
 Aprilis. Apostolicam Sedem administrante
 Innocentio Primo. Porro ex arca ipsius ole-
 um

um suauissimum emanauit, ex quo si quis acceperat, quicquid postulasset à Deo obtinebat.

PVERITIA S. FRIDERICI EPISCOPI
Traiectensis & Martyris 18. Iulij.

Surius Tom. 4.

S Fridericus natione Friso, nobilis quidem fuit genere sed nobilior sanctitate. Hic à primordio pueritiæ ea erat morum innocentia animiq; candore, vt angelicâ potius quam humanam in terris vitam degere videretur. *Pietas & morum maturitas.* Erat enim puerulus & corporis pulchritudine & tantis animi dotibus præditus, vt cõtemp-
tis ludis puerilibus, assidue diuinis rebus vacaret: & ad ecclesiam prompta animi alacritate properâret, & quicquid ibi lectum aut cantatum esset, intentis auribus acciperet, domûq; reuersus, matri suæ, si quid intellexisset, referret. Ea re gauisa eius mater, inuito ipsum parente quibusdam patribus literis imbuendum commendauit; quos etiam tum muneribus, tum precibus sollicitans obsecrabat, vt eum sanctæ religionis semitam, & peccati deuitandi rationem docerent. Interea nocturna quadam eaque cælesti visione, sibi admoneri visa est, vt puerum inde reuocatum, S. Ricfrido Traiectensis Ecclesiæ Episcopo commendaret. Et mox ingenti perfusa gaudio, quod Deo puerum curæ esse videret, filium reluctantem licet patre, Traiectum adduxit, & memorato

X 3 præ.

*Proficit in
virtutibus*

*Zelus ani-
marum.*

*Corpus af-
fligit.*

*Diuitiarū
cōtempnus.*

*Munditia
cōscientia.*

præsuli commendauit. Quem ille spiritu suc-
cessorem sibi fore prospiciens, liberalibus iu-
xta ac Ecclesiasticis disciplinis accuratè cura-
uit erudiri. Proficiebat igitur insigniter Fri-
dericus, & ad fastigium honestatis præclara
virtutum accessione contendens, condiscipu-
lis præclaro erat exemplo. Et si quempiam in
sacra æde risu aut iocis dissolutum vidisset,
blandè suauiterque admonebat, vt ab ijs sibi
temperaret, simulq; eum diuini cultus obeun-
di rationem edocebat. Multos necdum ab or-
iginis culpa mundatos, catechesi instituebat:
magnaq; ei inerat ad dogmata fidei explican-
da alacritas. Simulac vero subdiaconi gradum
fortitus est, ad tuendam eius sacri ordinis dig-
nitatem, vigilijs, orationibus & perpetuis ie-
unijs carnem suam macerare aggreditur, &
inanes humanæ gloriæ auras alta mente de-
spicere. Tum vero princeps illi cura erat op-
es suas furum scilicet ludibria, tinearumque
nutrimenta, per manus pauperum in cælestes
thesauros tuto reponere; atque ab omni spe-
cie mali mentem intactam conseruare, vt ad
communione corporis & sanguinis Domi-
ni sacrorum vasorum portitor, mundus ca-
stus, & ab omni carnali immunditia liber assi-
steret. Ac deinceps ob continuum virtutis
studium eò pietatis prouectus fuit, vt sede ca-
dem defuncto Ricfrido omnium iudi-
cio dignissimus habere-

tur.

EX-

EXEMPLVM S. DANIELIS ET TRIVM
puerorum ex libro prophetia Danielis

cap. 1. 21. Iulij.

Cum Nabuchodonosor rex Assyriorum, regiam Hierosolymorum urbem bello cepisset, & amplissimis ditatus spolijs, plurimos in captiuitatem redegisset, & splendide ac magnificè reuersus esset Babylonem, prefecto Eunuchorum Asphenez id negotij dedit, vt nobilissimos Iudeorum pueros, è regia ortos prosapia, formæ venustate spectabiles, omni- que eruditos sapientia deligeret, q̄ literas lin- guaq̄; edocti Chaldæorū, inter ephebos regios accenserentur. Inuenti igitur fuere ex Dauidi- ca stirpe adolescētuli quatuor, pulchritudine, ingenuitate, & sapientia florentissimi, quos ci- bo potuq̄; regio delicatè enutriti triennio vo- luit, vt postea in conspectu regis assisterent. Horum nomina fuere Daniel, Ananias, Azari- as, & Misaël. Mutata vero eorum nomencla- tura Danielelem vocat Balthasar, Ananiam, Si- drach, Azariam vero Misach, & Misaelem Ab- denago. Amabatque eos rex, & benignè eos aspiciebat, eorum laudans indolem, & quod

Modestia.

etiam ornarentur cādorē atq; modestia. Emi- cuit porro confestim S. Danielis pietas atq; sa- pientia, quod nō solum asperitate vitę corpus suum affligeret, nolletq; regijs dapibus inqui- nari, sed alijs etiam cognatis, tribus inquam pueris eiusdem consilij auctor existeret.

X 4

Cum

*Tempe-
rantia.*

*Temperan-
tia in vul-
tu puerorū
reliucet.*

*Temperan-
tie amica
sapientia.*

Cum vtrisque ergo visum esset, spretis anima-
lium carnibus, solis leguminibus & oleribus
victitare, præfectū Eunuchorum exorant, vt
per eum liceat cibis regijs abstinere. Qui cum
sermone Danielis diuinitus flecteretur: Ti-
meo, inquit, dominum meum regem, qui con-
stituit vobis cibum & potum, qui si viderit
vultus vestros macilentiores præ cæteris ado-
lescentibus coæuis vestris, caput meum in dis-
crimen vocabitis. Dixit vero Daniel ad Mala-
sar, quem constituerat princeps Eunuchorum
super Danielem, Ananiam, Misaëlem & Aza-
riam: Tenta nos obsecro seruos tuos diebus
decem, & dentur nobis legumina ad vescen-
dum & aqua ad bibendum; & cōtemplare vul-
tus nostros, & vultus puerorum, qui vescun-
tur cibo regio: & sicut videris facies cum ser-
uis tuis. Cessit ille precibus puerorum, cumq;
diebus iam decem huiusce rei experimentum
cepisset, apparuerunt vultus eorum meliores
& corpulentiores, præ omnibus pueris, qui re-
gijs cibis alebantur. Itaq; Malasar tollebat ci-
baria & vinum, dabatq; eis deinceps legumi-
na. Dedit vero Deus pueris his scientiā & disci-
plinam in omni libro & sapientia: Danieli au-
tem intelligentiam omnium visionum & som-
niorum. Tandem euoluto præscripti tem-
poris spatio, introducti sunt à præfecto Eunu-
chorū in conspectu Nabuchodonosor. Cumq;
eis locutus fuisset rex, non sunt inuentitales
de vniuersis, vt Daniel, Ananias, Misaël & A-
zarias,

zarias. Et steterunt in conspectu Regis. Omne
porro verbum sapientiæ & intellectus, quod
sciscitatus est ab eis Rex, inuenit in eis decu-
plum super cunctos ariolos & magos, qui erāt
in vniuerso regno eius. Accidit vero regem
Nabuchodonosor viso somnio exterritum,
oblitumq; somnij, omnes sapientes babylonis
ad manifestationem somnij, eiusq; interpreta-
tionem conuocare, & nisi exponant exitium
interminari. Qui cum diuinæ illud non hu-
manæ sapientiæ esse respondissent. Atq; ob id
à Rege interfici iuberentur, Daniel petitis à re-
ge inducijs ad solutionem indicandā, domum
se recepit, & cum socijs communicato cōsilio
non antè precandi modum fecit, quàm Deo
reuelante somnium regis cum interpretatio-
ne didicisset. Audita vero interpretatione
Rex, cecidit in faciem suam & Danielem ado-
rauit: Vere, inquit, Deus vester Deus deo-
rum est, & Dominus regum, & reuelans my-
steria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacra-
mentum, Tunc Rex Danielem in sublime ex-
tulit & multis magnisq; auctum muneribus,
constituit eum principem super omnes pro-
uincias Babylonis, & præfectū magistratum
super cunctos sapientes Babylonis. Daniel au-
tem postulauit à rege: & constituit super ope-
ra prouinciæ Babylonis Sydrach, Misach &
Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus
regis. Postea felici rerum successu in flatus Na-
buchodonosor, statuam auream altitudine cu-
bito.

X s

bito.

Fortitudo
animi.

bitorum sex in campo Dura constituit, atque ad eius dedicationem omnes regni sui magistratus conuocauit. Tum vero vniuersis ibidem congregatis voce præconis edixit, signo dato statuam adorare, ni velint eadem hora in clibanum flammis horribilibus æstuantem præcipitari. Reliquis igitur promptè statuam adorantibus, soli Sidrach, Misach, & Abdenago præuaricationis apud regem accersuntur: Quibuscum graui indignatione expostulans, statuam iubet adorare, aut in fornacem igne succensam iactari. At illi: Non oportet, inquit, nos de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster quem colimus potest nos de camino ignis ardentis, de quæ tuis manibus o rex liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, Rex, quod statuam abs te erectam adoraturi haud simus. Tunc Nabuchodonosor rex repletus furore præcepit succendi fornacem septuplum, suprâ quàm consueuerat, & viris fortissimis de exercitu suo iussit, vt ligatis pedibus Sidrach, Misach & Abdenago, in fornacem eos darent præcipites. Confestim itaque viri illi vincti cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium ignis. Porro viros illos qui miserant Sidrach, Misach & Abdenago interfecit flamma ignis. Illi vero ab igne intacti ambulabant in medio flammæ laudantes Deum. Cumq; non cessarent ministri regis succendere fornacem, effundebatur supra fornacem cubitis quadraginta

ginta nouem, & incendit quos reperit iuxta
fornacem de Chaldæis. Angelus autem Do-
mini descendit cum Azaria & socijs in fornace-
cem: & excussit flammam ignis de fornace,
& fecit medium fornacis quasi ventum roris
flantem, & non tetigit eos omnino ignis, ne-
que quicquam molestiæ intulit. Tunc hi tres
quasi ex vno ore laudabant Deum in fornace
dicentes: Benedictus es Domine Deus pa-
trum nostrorum, &c. Rex igitur eductos de
fornace cum stupore aspexit, & Dei veri po-
tentiam collaudans edicto statuit, vt quicum-
que Deum Azariæ & sociorum blasphemaf-
set internecioni daretur. Sidrach vero Mi-
sach & Abdenago maiori honore in prouincia
Babylonis affecit.

VITA ET MARTIRIVM SANCTI PAN-
taleonis Mart. ex Simeone Metaphraste
Sur. Tom. 4. 27. Iulij.

Cum tetra idolorum caligo, imperante
Maximiano, orbem inuolueret, inter a-
lios, qui Nicomediæ religionis pietatisq; splē-
dorem egregiè tuebantur, admirabilis in pri-
mis & magnus fuit Pantaleon. Is filius Eu-
storgij viri longè opulentissimi ac gentilium
superstitionibus dediti, matrem habuit Eubu-
lam Christianis imbutam sacris, quæ mariti
execrata impietatem, filium Pantaleonem san-
ctissimis disciplinis diligēter instruebat. Quæ
dein

dein immatura morte sublata, tenerum impio
 parenti educandum reliquit filium. A quo, si-
 mulac humaniores literas Græcæsq; discipli-
 nas mira ingenij facilitate superasset, Euphro-
 syno cuidam medica arte imbuendus traditur.
 Erat autem & moribus modestus, & sermone
 iucundus, & pulchritudine insignis. Quam ob-
 rem cunctis erat admirationi & in ore atq; o-
 culis omnium versabatur, adeo ut ipsemet im-
 perator, visa ipsius tanta ingenuitate indolis,
 in regia illum sua habere decerneret. Eodem
 porro tempore Hermolaus Christianæ fidei
 cultor eximius, cum Pantaleonem ad regiam
 frequenter cōmeare vidisset, atq; ex incessu,
 vultusq; decora compositione nobilis animæ
 vigorem coniectaret, clam eum accersit, & cui
 disciplinæ det operam rogat. Aesculapij, in-
 quit, ille Hipocratis & Galeni, quam ubi per-
 tractâro certam omnibus morbis magistro af-
 firmante exhibebo medicinam. Hermolaus
 vero hoc responso occasionem idoneam capi-
 ens adolescentis conuertendi; Crede mihi, in-
 quit, optime adolescens vera dicenti. Hæc Ae-
 sculapij, Hippocratis & Galeni parua sunt, &
 parum prodesse vrētibus assolent. Quin etiam
 dij ipsi quos colit Maximianus, sunt vana om-
 nino fabula & leuiorum deceptio mentium.
 Vnus autem solus verus Deus est Christus; in
 quem si credideris, eius sola inuocatione om-
 ne morborum genus profligabis. Ab hoc in-
 numera miraculorum maruit seges, suisque
 ipse

ipse amatoribus maiora quam ipse fecerit præbet facienda miracula. Cumq; Hermolaus in hunc modum multis de religionis Christianæ præstantia disleruisset: ille & pristinae educationis quâ illum pia genetrix ad fidei rudimenta formauerat memor, atq; occultis diuinæ gratiæ facibus succensus, toto animo fidem Christi amplexatur, & reliquum deinde tempus diuinarum rerum cōmentationi attribuit. Accidit vero tandem, vt Pantaleon puerum in via venenato viperæ morfu enectum inueniret; quo viso; profecto, ait, si Hermolai doctrina vera est, puerum hunc verbo ad vitam reuocari fas est, viperamq; vicissim emori. His dictis Christi numen pro salute pueri implorauit, dictoq; citius defuncto vitam restituit, & viperam eadem virtute interemit. Quod factum tantam illi firmitatem perceptæ fidei, & gaudiorum peperit suauitatem, vt continere se haud posset, quin concito gradu ad præceptorem suum Hermolaum accederet, expositoq; miraculo cælesti lauacro peteret expiari. Suscepto igitur baptismo, iam Christi amore ebrius, patrem in primis ac reliquos omnes eiusdem gratiæ facere optabat participes. Cumq; idola conterere vellet, & sæpè pio sane zelo admotis manibus simulacra demoliri pararet, rursus prudenter se continuit, ne concussus ratiunculis paternus animus, iamq; in superstitione nutare incipiens, interposita grauiore offensa fieret intractabilis. Statuit
igi-

igitur lenitate ac mansuetudine efficere, ut a nefario dæmoniorum cultu abductus, Christo sponte nomen dare annueret. Hæc cum animo volueret Pantaleon, & diuinum numen profusis lachrymis in auxilium vocaret, ecce adest præ foribus cæcus, qui Pantaleonis in arte medica industriam requirebat. Quo audito vir sanctus accurrens, præsentem patre cæcum quid velit interrogat. Cui cæcus: Hæc, inquit, miserranda mea cæcitas omnium in hac vrbe medicorum eludit industriam; neque vllum potui exhaustis iam penè facultatibus remedium inuenire. Tu vero qui artis medicæ præstantia plurimum valere dicaris, quæso te manum huic meæ adhibe calamitati, & quicquid facultatum mihi reliquum est prompto atque alacri animo tibi exsoluam. Cui Pātaleon: Donum, inquit, lucis conferet tibi per nos pater luminum. Tu vero quæ mihi es pollicitus vade & da pauperibus. His auditis pater, cum inani quadam ostentatione à filio isthæc dici crederet, eum à cœpto abducere conatus est: Quid enim, aiebat, fili mi, tu cæteris medicis plus possis, quibus & ætate & prudentia longè es inferior? At nemo, inquit ille, o pater hunc medicandi tenet modum, quem ego à magistro meo edoctus sum. Quin vero, ait pater, etiam Euphrosyni præceptoris tui in hoc curando irrita fuit diligentia. Tum Pantaleon; Exspecta, inquit, paululum pater, & res ipsa indicabit: mox quæ, in-

uocato

tuocato Christi Iesu nomine manus suæ con-
tactu caliginem ab oculis cæci pepulit, pa-
trisque; tenebras fidei ac veritatis luce illustra-
uit. Quamobrem apud medicos iuxta ac deo-
rum inanum cultores magna cœpit flagra-
re inuidia. Accedebat quod patre extincto
amplissimam hæreditatem inter pauperes
dispertisset, & morbis afflictos reddita sani-
tate largisque elemosynis recreasset. Per-
ductus vero ad Imperatorem nullis cessit
blanditijs, sed hostes in certamen vocans, fi-
dem suam diuina miraculi auctoritate asse-
ruit. Prolato enim in medium paralitico
deorum se fore cultorem paciscitur, si ipso-
rum ope ægro sanitas redderetur: cumque in
eo negotio sacerdotes idolorum contenta
prece fatigarentur & Aesculapium Iouem,
Dianam cæteraque deorum monstra nequic-
quam inuocarent; tandem & ipse Deum su-
um inuocare iussus, oculis in cælum piè sub-
latis paralytici manum arripuit, dixitque: In
nomine CHRISTI IESU, qui elisos erigit
esto incolumis, membrisque tuis ad illius glo-
riam deinceps vttere sanus. Dixit, & protinus
is, qui omni membrorum destitutus officio,
lecto affixus iacebat exilijs, atque sempiter-
num Christi numen magna voce prædicauit.
Eam rem, cum non sine maximo inuidia
sensu idolorum sacerdotes aspicere pos-
sent, Imperatori persuaferunt, vt Pantaleo-
nem vita exueret, dignumque de illata dijs
iniu.

iniuria supplicium fumeret. Quem ille mox blanditijs aggressus: Nosti, inquit, ô Pantaleon quam horrenda omnibus deorum contemptoribus subeunda sint supplicia. Vidisti iam pridem atrocissimos Anthimi cruciatus. At ego, qui præ cæteris iuuentutis tuæ curam paternè gero, nolo te tam facilè interire; quin potius si deos honorare proponis, honoribus auctum nomen tuum immortale facere decreui. Sin autem in mentis tuæ stultitia, quod absit, perseueras, profecto vel inuitus te supplicijs tradere cogor. Ad hæc Pantaleon: Ne existimes, inquit, ô Imperator, me vel minis vel blanditijs à spe immortalis gloriæ, quam fidenter à Christo Iesu æterno Deo exspecto, abstrahendum. Neq; enim tormenta extimesco, quin potius magno me damno affectum putabo, si non plurima & grauissima quæque attuleris. Porro ad Anthimum quod attinet, non illum ego miserum vt tu, sed mortalium omnium felicissimum iudico, qui veneradam suam canitiem roseo cruore postremo exornare, & martyrij palma gloriosus ad cælos migrare promeruit. Quod si ille deuexa planè ætate vir, tam gloriosum de hoste triumphum egit, ego qui iuuenili ætate, & ad grauia quæq; multo robustior esse debeo, certamen detrectabo? Nunquam mihi crede, me patriamque meam, & piam genitricem tanto dedecore afficiam. Quâobrem Imperator, quod reliquum erat, omnes adhiberi machinas iussit, vt supplicio-

*Fortitudo
animi.*

placiorū atrocitate victus Christi fortissimus
athleta, hanc animi magnitudinem remitte-
ret. Nec mora. Lictores manibus animisq; ex-
pediti, appensum in ligno martyrem ferreis
ungulis certatim dilantant; indeignitas lam-
pades lateribus admovent; vrgent, clamant, vt
dijs sacrificet, supplicemq; se Imperatori ex-
hibeat. At martyr neq; plagis, neq; vstionibus
quicquam motus, intentus orationi oculos in
cælum defixos tenebat; cum ecce consolator
Christus in habitu Hermolai apparens, marty-
rem suum verbis dulcissimis cōsolatur, lictō-
rum manus eneruat, lampades restinguit, & fa-
tellites momento quasi elumbes reddit. Tum
Imperator inops consilij: Quænam, inquit,
hæc ars prestigiarum est, qua lampades extin-
guis, & lictorū vires ac vigorem hebetas? Cui
Pantaleon: Nullæ, inquit, præstigiæ sunt, sed
adest mihi Christus ipse, qui & suis animum
addere, & hostium potentiam infringere con-
suevit. Tum Maximianus: Si ergo maiora tibi
tormenta infligam, quid facies? Quid aliud,
inquit Martyr, quam maiorem texere mate-
riam præmiorum? Hoc audiens improba &
scelerata mens maiora experiri voluit. Itaque
leberem ferreum plumbo redundantem con-
stitui, ac in eum martyrem conijci iussit. Sed
illa quoq; machina, orante martyre, per Chri-
sti præsentiam non tormentum, sed potius re-
frigerium attulit; prorsus vt plumbum subi-
to ad naturalem frigiditatem reductum om-
nibus

Y

nibus

nibus admirationem adferret, plurimosq; ad Christi potentiam confitendam prouocaret. Solus Imperator cum suis in impietate & furore persistens alio protinus supplicio martyrem deleri volebat. Iubet igitur ingenti saxo ad collum eius appeso in mare præcipitem dari, ne reliqui Christiani reliquijs eius ad consolationem potirentur. Sed missum in mare CHRISTVS mox excepit, ficcisq; plantis, vt quondam magnum illum Petrum, manu deduxit; lapide interim instar folij arboris leuiter super fluctus maris natante. Pantaleon vero ductore Christo, inambulans ad littus peruenit, & alios quidem multos stupendo miraculo ad Christi virtutem prædicandam excitauit. Imperator autem, malitiæ tenebris profundè nimis immersus, ad noua supplicia inferenda & furore, & vindictæ cupiditate acriter inflamatus ingentem ferarum vim incertum cogi locum iussit; vt cum ijs martyr cõgressus reliquis Christi cultoribus immanitate supplicij terrorem incuteret. Et quidem vniuersa ciuitas ad spectaculum cõfluxit, vt iuuenem corpore & animo præstantem, & multistrumphis celebrem, cum feris congregientem cerneret. Ibi tum videre licebat rem maximè nouam & longè iucundissimam, homines quidem mutatos in ferarum sæuitiam, feras autem velut ratione præditas summa humanitatis & beneuolentiæ præ se ferre obsequia. Nam Tyranno & satellitibus feras magnis clamoribus

ad sæ
magn
res, su
bant
telini
rum
num
essen
Eo ta
admi
Deur
stati
porte
Impe
feras
anim
Agita
filijs
tur,
mem
fessio
uoca
spe
coep
Chri
misc
spe
bāt
se
part
fuge

ad

ad sæuitiam & crudelitatem excitantibus, ipsæ
 magna cum reuerentia ad martyrem acceden-
 tes, suauiterq; blandientes, inter se contende-
 bant, quænam prima accederet, & medican-
 te lingua pedes tangeret. Nec prius singulæ ea-
 rum recessere, quàm benedictione per ma-
 num martyris accepta, quo gaudio affectæ
 essent, cursu & saltu spectantibus declararent.
 Eo tam nouo spectaculo qui aderant magna
 admiratione commoti, vno clamore omnes
 Deum Christianorum verè magnum esse te-
 stati sunt, virumque iustum iure dimitti o-
 portere. Quid verò? Ferus planè & crudelis
 Imperator, totus vindictæ cupiditate æstuans,
 feras illas ad vnam omnes, vt vel eo supplicio
 animum dolore faucium leniret, trucidauit.
 Agitatis demum deperimendo martyre con-
 silijs, placuit, vt in sublimi ad rotam ligare-
 tur, quæ dein per decliue impulsa, martyrem
 membratim contereret, & reliquos à con-
 fessione fidei suppliciorum immanitate re-
 uocaret. Quo cum magna infidelium turba
 spectandi gratia confluxisset, & rota prono
 cœpisset impetu volutari, mox præsentem
 Christi ope, disruptis vinculis martyr incolu-
 mis constitit: at illa in confertū agmen dilapsa
 spectantium, multos infidelium cōtriuit. Sta-
 bāt omnes admiratione ac timore perculsi, ip-
 seq; attonita mēte Imperator, animū in omnes
 partes versabat, vt vel ignominie notā subter-
 fugeret, si minus victoria ex voto potiri potu-
 isset. Vi-

Videns igitur eum nihil de sua constantia remittere, neq; cedere assentationibus, nec verborum suasionibus, nec donorum promissis, nec suppliciorum minis, neq; vilo eorum quibus vel deliniri, vel percelli animus solet à pietate posse abduci, flagellis atrociter cedi ac dein gladio percuti imperat. Ductus itaq; ad ultimi certaminis locum, & oleastro alligatus, iustum gladij lætus præstolabatur. Cum vero summa vi enssem in nudam cervicem vibraret lictor, mox acies inusitato miraculo instar ceræ conuersa, martyrem omnis sectionis reliquit expertem. Ea de causa tremore correpti carnifices, prostrati ad pedes martyris nihil non faciebant, vt cōcessa audaciæ venia, Christi simul misericordiā illis impetraret. Quod dum feruentissimo pietatis affectu perageret, huiusmodi vocem cælitus dilapsam audiuit. Non amplius Pantaleon sed Panteleemon vocaberis, vt rebus nomen pulchrè conueniat. Plurimi enim per te misericordiā consequuntur. Hac voce audita, martyr incredibili delibutus gaudio, carnifices aduocauit; hortatusq; vt Imperatoris sententiam effectui mandarent, cervicem extēdit. Cumq; illi recusarent, & nefas esse dicerent sanctum ferire; ille ne optata martyrij gloria fraudaretur, tandem vicit, vt quidam, non tamen sine maxima reuerentia & timore, sanctissimum caput à cervicibus amputaret, è quibus lac protinus pro sanguine fluxit, & oleaster gratissimo fructu mili-

antia re-
nec ver-
omissis,
um qui-
s tolet à
cedi ac
itaq; ad
ligatus,
am vero
vibraret
star ce-
nis reli-
correpi
is nihil
a, Chri-
Quod
ageret,
audiuit,
non vo-
ueniat.
sequen-
ili deli-
rtatufq;
manda-
sarent,
le neo-
dem vi-
a reue-
cervici-
oro san-
u. Et si
milli-

illiter onustus, nouum & valde admirandum
spectaculum præbuit.

VITA ET MARTYRIUM SS. NAZARII

& Celso pueri, ex historia S. Antonini Episcopi
Florentini, 28. Iulij.

S. Nazarius nobilissima Romanorum fami-
lia, patre Africano viro illustrissimo, sed
Iudaica infidelitate imbuto, matre vero Per-
petua, Christianis sacris ab Apostolorum Prin-
cipe Petro initiata, ortus fuit. Hic anno ætatis
suæ nono, cum cerneret parentes diuersis ad-
modum inter se, in religionis negotio, opi-
nionibus conflictari, animo vehementer ang-
cepit, cuius potissimum sententiæ in re adeo
seria & æternæ salutis negotio sequi deberet;
elegit tandem matris imitari pietatem, eiusq;
religionis institutum amplecti. Pijssimę igitur
matris monita inuito patre secutus B. Linum
adiit, eiusq; disciplinis aliquamdiu imbutus
cælesti lauacro expiatus est. Ea re grauiter co-
motus pater, expositis tormentorum generi-
bus, quibus aduersum Christianos sæuebatur,
territare filium, atque à Christi cultu auertere
moliebatur. Sed Christi spiritu mirificè con-
firmatus puer, nullis hortamentis à fide Chri-
sto semel data abduci potuit, quin potius coæ-
taneis suis perceptam Christi gratiam & reli-
gionis Christianæ præstantiam referre, aliosq;
ad eandem allicere gaudebat. Hinc parentes
suum natiq; periculum veriti, eum rogant, vt

Zelus ani-
marum.

Y 3 vrbe

*Pietas &
misericor-
dia in pau-
peres.*

vrbenō nihil excedat, seq; ad loca tutiora reci-
piat. Multis igitur oneratum diuitijs, rebusq;
alijs ad vitam splendide degēdam opportunis
instructum dimiserunt. Et quidem pius iuue-
nis protinus aurum & argentum benignè ero-
gare pauperibus, & totus pietatis officijs incū-
bere; nihilque in vita moliri aliud, quam vt v-
beriore quotidie Christi gratiam promere-
retur. Decimo vero egressionis ab vrbe anno,
Placentiam, & inde Mediolanum veniens,
SS. Geruasium & Protasium vinctos in car-
cere inuist, verbisque suauissimis ad constan-
tiam est cohortatus. Cumque frequentius
sanctos hosce martyres interuiseret, eosque
quouis officio foueret, Præfectus eum com-
prehensum fustibus atrociter mactari præce-
pit, ac nihilo secius in Christi laudibus per-
seuerantem vrbe eiecit. Itaque varia loca
peregrinando oberrans, vberes passim fru-
ctus exhortando faciebat. Interea mater eius
vitā sanctissimè functā peregrinanti filio in
somnia apparuit, monuitque in Gallias Evan-
gelij semente facundandas abcedere. Paruit
ille protinus, Meliamque profectus diuini
verbi semina sparsit, fructusque minime con-
temnendos breui collegit. Tum vero inter
alios matrona quædam & genere & dignita-
te illustris suum ei filium Celsum nomine,
elegantia forma, sed ætate tenerum obtulit
puerum, vt aquis lustralibus expiatum secum
duceret, & moribus, sanctissimisque discipli-
nis

nis sedulo imbueret. Quamobrem à Præfe-
cto Galliarum vnà cum puero Celso mani-
bus post terga reuinctis carceri mancipatur.
Quitamen vxoris hortatu, ne se innocentum
cædibus grauissimo scelere obstringeret, im-
pullus, Nazarium quidem dimisit, sed seuerà
admodum denunciatione supplicij interdi-
xit, ne ijs in locis Christi religionem homi-
num auribus inculcaret. Nazarius igitur à
Præfecto dimissus, atque vnà cum Celso Tre-
uirimabiens, rem illic Christianam mirè lo-
cupletauit. Hæc aliaque admirandæ virtutis
inlignia, cum celebri sermone vulgarentur,
Nero victos eos sibi sisti imperauit. Fuere
confestim Nazario vincula iniecta, & puero
Celso præceptoris sui cruciatus deploranti
alapæ inflictæ. Nero autem oblatos sibi mar-
tyres carcere conclusit, vt maturè secum
deliberaret, quo tormentorum genere eos
excarnificaret. Fertur vero cum Tyrannus
venationi insisteret, quod aduerso quodam
casu pedem grauitè sauciauerit, acceptoque
vulnere exclamauerit: Dij nobis infesti sunt,
quod eorum inimicos Nazarium & Celsum
debitis supplicijs afficere differimus. Na-
zarium igitur calcibus tunsim, & Celsum
puerum flagellis cæsum suo conspectui ite-
rum offerri præcipit. Adductos monuit ve
sine mora honores dijs debitos tribuerent,
eorumque numina grauitè offensa sacrificijs
placarent, ni facerent, supplicia subirent.

Y 4 quæ

*Fortitudo
animi.*

quæ vel solo aspectu formidinem mortisque
metum afferrent. Tunc Nazarius vultu & ver-
bis magnam animi lætitiā ostendens in fa-
na deorum admitti postulavit. Fuit vero non
modo benignè sed etiam honorificè dedu-
ctus, quod Nero sanctum dijs thura oblatu-
rum speraret. Sed cum Nazarius in adyta ad-
missus Christum præferuidè precaretur, illi-
cò & idola confecta, & omnipotens Christi
numen signis admirandis ostensum est. Vnde
cum multi relictā idolorum vanitate, ad Chri-
stiana sacra transirent, tyrannus furore incan-
descens, martyres in mare præcipientes dari mā-
davit. Sed in mare proiecti illico diuina virtu-
te in fluctibus illæsi steterunt, siccisq; plantis
æquor inambulantes ad littus perueniunt.
Deinde Tenuſam profecti tanto fructu fidem
euangelicā propagarunt, vt pleriq; Christo
nomina darent, & huius amore minas tyranni
constanter despicerent. Inde vero Mediola-
num cum Celso reuersum (vt sanctissimorum
Christi martyrum Geruasij & Protasij cōspe-
ctu frueretur) Anolinus præfectus, exilio dā-
nauit, Cellumq; ab eius conuictu auulsum ho-
nestæ cūdam matronæ tradidit. Romam itaq;
repetens Nazarius, patrem ab omni errore li-
beratum, & sacro fonte iam ritè purgatum in-
uenit. Quare mirificè exhilaratus, ac mox pul-
sus à templorum Pontificibus, iterum Medio-
lanum petijt, vt ibidem paratam martyrij glo-
riam cum Celso & sanctissimis athleticis Gerua-
sio

lio & Protasio perciperet. Vbi demum ab Anolino comprehensus, vñ cum Celso, Geruasio & Protasio, capitis sententiam lætus excepit: datisq; ceruicibus quatuor illi gloriosum triumphum magna pariter constantia & gaudio peregerunt.

AUGUSTVS.

MARTYRIVM SS. FIDEI, SPEI, ET

*Charitatis filiarum S. Sophia, ex Simeone**Metaphraste, 1. Augusti.*

CVM Romę Hadrianus Imperator crudelitatis suę in Christianos laxaret habenas, fuit insignis quędam matrona prudentia & religione sanę admiranda, ab Italia oriunda, genere in primis claro, marito tamen orбата, nomine Sophia, cui prima cura erat, vt filias insigni pudicitia virgines, Christianę disciplinę ornamentis excellentissimę decoraret: roboraretq; Spiritus sancti gratia; vt si opus esset corpora sua pro Christi amore & fidei constantia supplicijs exponere nō dubitarent. Erant eis nomina rebus mirę conuenientia: Fides, Spes, Charitas. Quę cum omnes ita mutua animorum coniunctione deuinctę, & prudentiæ ac religionis opinione passim celebres existerent, inuidiæ stimulis in eas cōcitari cœpit præfectus vrbis Antiochus, vt tam præclarum Ecclesię columnen funesta interneccione dele-ret. Defert igitur præfectus ad Imperatorem,

Y S & no-

& nomina earum & professionem religionis, contestans earum pietate multos à Deorum cultu ad Christi sacra conuerti, & magnos deos paulatim apud omnes in contemptum abire. His auditis Imperator, confestim eas fisti tribunali mandat. Illæ vero mutuis cohortationibus roboratæ, intrepidè Iudicis vultum subierunt, eumque & animi & corporis eximia qua præstabant pulchritudine, magnam sanè in admirationem adduxerunt. Itaque omisso seueriori iudicio, matrem ante omnia blandis aggressus verbis, patriam, genus, nomen, & religionem ab ea quæsiuit. Cui Sophia: Primum quidem, inquit, nomen mihi vnum omnium præstantissimum est à Christo: Sophiæ autem à parentibus mihi impositum est. Genus duco ex ijs qui primos in Italia magistratus gesserunt, quæ & mihi patria dicitur. Ego autem inanem horum omnium gloriam existimo, utpote quæ CHRISTO IESU ab ortu consecrata, ab eodem ex hoc exilio ad patriam cælestem me vocandam confido. Hanc libertatem dicendi admiratus Tyrannus, ne suo cum dedecore vltius certaminis periculum faceret, eam cum filiabus Pallidiæ senatorij ordinis femina custodiendas tradidit, ut tertio post die ad quæstiones eas produceret. Interea pia illa genetrix de filiarum salute mirè sollicita, huiusmodi ad eas orationem habuisse fertur; Ego quidem, ô dilectæ filiæ,

ma.

mater vestra secundum carnem, omni ut no-
stis doctrina, sacrisque literis indefesso vos
labore erudij, dedi que operam ut CHRISTO
IESU impollutas castasque virgines conse-
crarem. Ecce nunc tempus vos ad certamen
vocat; quaeso ut meorum verborum fructus
qualis sit in vobis appareat: & diu medita-
tam virtutem constanter proferatis, ne erro-
ris imbecillitas veritatem superet: neve sup-
pliciorum terror teneros vestros animos
deijciat. Suspecta quidem mihi est iuueni-
lis aetas: sed si CHRISTO vos totas per-
miseritis, eiusque gratiam constanti fide ty-
ranni minis atque supplicijs obieceritis, nul-
la vos pericula terrebunt, nulla supplicia su-
perabunt. Date ergo meae senectuti, date
o charissimae filiae, ut vestris certaminibus
iuueniliter exultem, & de peracto certami-
ne sempiternum CHRISTI numen in cae-
lesti gloria vobiscum celebrem. Suspici-
te quaeso caelum, oculosque ad immortalia il-
la praemia erigite, & breuem fluxamque hu-
ius vitae gloriam contemnite, diuitias calca-
te, supplicia despici-
te, ut immortalis gloria
perfruamini, diuitias stabiles consequami-
ni, & vitam denique omnium bonorum,
quae humana mens capere non potest ag-
gregatione mirifice affluentem, summa
cum voluptate in caelis possideatis. Pru-
dentis enim animi est, parvis permutare
maxima, fluxis & perituris aeterna, & paucos
deni-

deniq; sanguine immortale regnum merari,
Ad hæc filia lachrymis perfusæ respōderunt;
Tu quidem ô veneranda mater, nullum aut
tempus, aut locum neglexisti, quo sanctis nos
imbueres disciplinis. Nûc autem maternis nos
precibus prosequere, vt constantibus animis
futurum certamen sustinere valeamus. Do-
minus autem qui paterne prouidentia suorum
curam gerit, ex promisso os nobis & sapienti-
am dabit, cui aduersarij resistere non vale-
bunt. Interea triduo hoc elapso, sanctissimæ
virgines ad tribunal euocantur. Adest iudex
dæmonis insidijs egregiè instructus, vt tene-
ram ætatem, & blanditijs maximè obnoxiam,
verborum lenocinijs emolliat. Quid, dicebat,
ô virgines decoræ, deorum (vt ego existimo)
sanguine progenitæ, decreuistis? Nunquid mi-
hi optimè vobis consulenti, diuitias amplissi-
mas & gloriam offerenti parere mauultis,
quam vetulæ illi, quæ se vestram matrem mē-
titur, vosq; iniquis persuasionibus in exilium
& perniciem impellere nititur; quæ & dirè va-
pulabit si vos non obtemperaueritis. Accedi-
te ergo, & nostra beneuolentia lætæ fruimini,
stultamq; illam de vestro Christo opinionem
deponite, vt mecum omnibus vitæ delicijs af-
fluatis. Nam si obedire contemnitis inuitus
ego, mihi credite, ad supplicia corporibus ve-
stris tenerrimis inferenda compellor. Cui
Virgines: Nos, inquiunt, neq; tuas in hac vita
delicias expetimus, neque tormenta formida-
mus,

mus. Quid enim Christiano potest esse iucundius, quam pati pro Christo? qui & hanc nobis vitam contulit, & pretiosi sanguinis sui effusione æternam promeruit? Hoc constanti responso accepto iudex, omni que planè abiecta spe tantam virtutem blandimentis superandi, primum quidem Fidem, annos non amplius natam duodecim, cōtinuo vestibus nudatam, manibus vinctis, crudeliter virgis cædi mandavit. Quæ cum inuicto animi robore & vultu ipso triumphum de tyranno ageret, ad atrociora tormenta protracta est. Crudele profectò facinus. Iudex furore percitus mamillas eius excindi iubet. Sed ecce rem nouam & prodigiosam. Pro sanguine lactis riuuli defluerunt, virginemq; niueo candore, stupente Iudice exornarunt. Neq; tamen præcipitis animi fractus furor. Sed igne copioso accenso virginem exuri: & ibi quoq; illasam permanentem in sartagine pice & bitumine bullientem iactari iubet. Sed Christi bonitas Tyranni vincebat malitiam; prorsus vt virgo sanctissima in medijs flammis atro fumo inuolutis confisteret integra, vultuque minime turbato supernum continuò inuocaret auxilium. Ecquid tunc animi ludici, quid sceleratis ministris fuisse putandum est? Quo gaudio, qua exultatione aliæ virgines, & mater ipsa filiam tam admirando triumpho gloriosam aspexisse existimandum? Iudex igitur ira propè insaniens gladio eam transuerberari mandavit.

Fortitudo
animi.

dauit. Qua sententia incredibiliter gausa, Fl-
des supremis hisce vocibus matrem & sorores
affata est; Vides ô dulcissima mater, qua me
benignitate Dominus I E S V S sit persecutus;
reliquum est, vt vltimum hoc certamen tuis
etiam precibus munire pergas. Vos autem ô
sorores charissimæ, nihil formidate pro no-
mine Christi gloriosam adeo mortem oppe-
tere. Vna mater nos genuit, eadem tres aluit,
sit etiam vnus tribus finis, sint sororibus soror-
iæ etiam & germanæ voluntates. Sit prima
domesticū exemplar ijs quæ eā consequentur.
His verbis cōfirmatæ sorores, vltimum ei va-
le fusis præ gaudio lachrymis dixerunt. At ge-
nerosa mater martyrem, filiam hisce verbis
sua profecto virtute dignis est persecuta; Ego
quidem ô filia, inquit, te genui, & te pro-
pter acerbissimos partus dolores tuli, teq; ad
hanc vsque ætatem studiosè nutriui; sed nunc
præclaram abs te laborum meorum mercede
accepi. Nam etsi nullus parem possit pa-
rentibus referre gratiam, tu tamen multipli-
cato scœnore omnia mihi reddis, cum me ta-
lis filia matrem esse ostendis, quæ tam magni-
ficè pro Christo decertas. Ad quem vade filia;
vade inquam tuo sanguine, pro eo effecta pur-
purea, quo tuo sponso cōspiceris, quouis co-
lore & flore coronata speciosius. Hæc cum il-
la à matre & sororibus audiuiisset, porrecta cō-
tinuo ceruice, certamē absoluit, ac solutis cor-
poreis vinculis ad Christum migravit. Impius
autem

autem Iudex acceptæ ignominia impatiens,
vt ex alijs amissæ victoriæ dānum cōpensaret,
ex templo secundam decem annorum accersiri iubet; quam blanditijs aggressus ad Dianæ sacrificium inuitabat. At illa: Sicut, inquit, sororem me esse præcedentis existimas, ita eiusdem me constantiâ fore sororem puta. Hæc audiens Iudex, iubet eam veste nudatam instar prioris, crudis bouum neruis flagellari, flagellatam in ardentem conijci fornacem; atq; postremo illæsam inde exeuntē, in ligno suspensam ferreis laniari vngulis. At Spes virgo sanctissima inter supplicia voce planè virili Tyranno insultans: Tu quidem, ait, sanguinarie tormentis robur meum eneruare contendis. Ast ego Christi gratia & virtute confisa, de te tuaq; Tyrannide cum sorore mea triumphum agam. His ad furorem incitatus iudex lebetem pice & resina plenum, & igne vehementer accensum, præparari iussit; vt sanctā virginem ad terrorem matris & filię iunioris in eū præcipitem daret. Sed lebes diuinæ virtute instar vitri contractus, diffuso repentē feruenti liquore, non paucos virgini ea supplicia machinātes inter necione deleuit. Vnde Iudex furore tabescēs, capitis sentētia virginē dānauit. Tūc illa quasi peracto certamine exultans, matris se precibus commendauit, & sororem iuniorem ad idem martyrij certamen fortiter subeundum exciuit. Vt verò ad postremi agonis locum, in quo sororis reliquię etiam nū iacebant ventum est;
Spes

Spes iacentis sororis corpusculum amplexata, primò lachrymas fudit, quod charissimam sororem truncam & in suo sanguine volutam cerneret. Deinde cum recordaretur præclaram martyrem pro Christo decertasse, omissis lachrymis gaudio exultare, & sanctas reliquias genibus venerabunda nixis ardentissimè exoculari. Postremo alacriter exiliens, teneram carnificis gladio cervicem subiecit, eandemq; martyrij palmam læta percepit. Porro Iudex iniquus, dubius animi, qua arte quibusve insidijs postremam quem annorum, superaret, cum blanditijs nequicquam adhibitis semel iterumque à virginis constantia repulsam pateretur; præcipiti furore impulsus teneram loris in eculeo extensam torqueri iussit: tanta immanitate, ut diuulsa corporis compage virgo tenerrima animam agere putaretur. Sed Christi gratia ac virtute inuicta perseverans Tyranni spreuit supplicia, eumq; redarguit, quod vero Deo derelicto Dianam impiè coleret. Hinc Iudex vehementius excandescens virginem ex eculeo in fornacem flammis succensam iniici mandavit: Sed flammæ illico diffusæ, circumstantes ipsumq; Iudicem apprehendebant. Cumq; virgo ex igne prodiret illæsa, terebris eius corpusculum transfigi mandavit, atq; in hoc tormento pari constantia permanentem capitis dampnavit. Quam illa sententiam lætabunda excipiens, ad ultimi certaminis locum perrexit: matrem

*Fortitudo
animi.*

eam c
voci
marty
ad del
nieri
clama
quæ t
meru
cisti, q
simas
dimit
Vt lul
lia co
ô dec
si tui
untur
te, &
ritas
Haru
mag
Post
Sopl
ric

eam cum gaudio prosequente, iisdemque ferè
vocibus, quibus duas priores ad gloriosam
martyrij palmam exhortante. Tandem ubi
ad destinatum locum ventum est, pia illa ge-
nitrix vix mentis suæ præ gaudio compos ex-
clamare cœpit. O me felicem ô verè beatam,
quæ tribus filiabus S. S. Trinitatem honorare
merui; ô quantis me Domine beneficijs affe-
cisti, quantis ornamentis decorasti, qui dulcis-
simas filias gloriosissima martyrij corona re-
dimittas, ad tuum hodie regnum transtulisti.
Ut lubens video angelos lætantes, tuamq; ô fi-
lia consummationem præstolantes. Perge
ô decus, ô gloria mea, perge ad cælestem spon-
si tui thalamum, quo sorores tuæ iam perfru-
untur. Talibus filiam verbis matre prosequen-
te, & Christi numen laudibus celebrante, Cha-
ritas omnium postrema certamen perfecit.
Harum dein corpora mater splendidè atque
magnificè quò par erat honore tumulauit.
Post tertium vero à peracto certamine diem
Sophia ad locum accedens reliquiarum, fufis
ritè precibus ipsa quoque beatum Deo spi-
ritum tradidit, & fidelium opera fi-
liabus, eodem fuit tumultu
sociata.

DE SEPTEM PVERIS MACHABÆIS,
qui vnà cum Matre, pro fide Iudaica & patrijs le-
gibus fortiter occubuerunt. 2. Mach. 7.

1. Augusti.

*Fortitudo
animi.*

CUm Antiochus funesta tyrannide Iudz.
Cos à patrijs legibus auocatos ad gentiliū
superstitionem traducere cōtenderet, cōtigit
septem fratres vnà cum matre sua appren-
sos compelli à rege edere contra fas carnes
porcinas, flagris & taureis cruciatos. Vnus
autem ex illis qui erat primus, sic ait. Quid
quæris & quid vis discere à nobis? parati su-
mus mori potius, quam patrias Dei leges præ-
uaricari. Iratus itaq; rex iussit sartagine & ol-
las æneas succendi: quibus statim succensis, ius-
sit ei qui prior fuerat locutus, amputari lin-
guam: & cute capitis abstracta summas quoq;
manus ac pedes ei præscindi, ceteris eius fratri-
bus & matre insipientibus. Et cum iam per o-
mnia inutilis factus esset, iussit ignē admoueri,
& adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua
cum diu cruciaretur, cæteri vnà cum matre
inuicem se hortabantur mori fortiter, dicen-
tes: Dominus Deus aspiciet veritatem, & con-
solabitur in nobis, quemadmodum in prote-
statione cantici declarauit Moyses: Et in seruis
suis consolabitur. Mortuo itaq; illo primo si-
mili modo sequentem deducebant ad illu-
dendū: & cute capitis eius cum capillis abstra-
cta, interrogabant, si manducaret prius, quam
toto corpore per singula membra puniretur.

At

At ille patria voce: Nō faciam, inquit. Propter
quod & iste, sequenti loco primi tormenta
suscepit, & in vltimo spiritu constitutus: Tu
quidem scelestissime, inquit, in præsenti vita
nos perdis; sed Rex mundi nos pro suis defun-
ctos legibus in æternæ vitæ resurrectione su-
scitabit. Post hunc tertius illuditur, & linguam
postulatus citò protulit, & manus constanter
extendit: & cū fiducia ait: E cælo ista possideo,
sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio,
quoniam ab ipso me ea recepturum spero: ita
ut rex cum suis miraretur adolescentis ani-
mum, quod vsque adeo nihili duceret crucia-
tus. Quo defuncto quartus eadem sæuitia tor-
quebatur, mortiq; iam proximus: Potius, inqt,
est ab hominib; mortui datos spem expectare
à Deo, iterum resuscitandos: tibi enim resur-
rectio ad vitā non erit. Quintus porro cū iisdē
supplicijs mactaretur, respiciens in eū ait: Po-
testatem inter homines habens cū sis corrup-
tibilis, facis q̃ vis: noli autem putare genus no-
strum à Deo esse derelictum; cuius potentiam
propediem intueberis, cum te, & semen tuum
seuerus vltor exagitabit. Post hunc sextus in-
ter cruciatus mori incipiens: Noli, inquit, fru-
stra errare: nos enim ppter nosmetipsos hæc
patimur peccātes in Deum nostrū, & digna ad-
miracione facta sunt in nobis; tu autē ne existi-
mes te impune laturū, q̃ cōtra Deum pugnare
tentaueris. Supra modū autem mater mirabi-
lis & bonorum memoria digna, quæ pereuntes

Z 2 septem

septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat, singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia: & femineæ cogitationi masculinum animum inferens, dixit ad eos: Nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam: & singulorum membra non ego ipsa compegi. Sed enim mundi Creator, qui formauit hominis naturam, quique omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despiciatis propter leges eius. Antiochus autem contemni se arbitratus, simul & exprobrantis voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solum verbis hortabatur, sed & iureiurando asseuerabat, eum se diuitem & beatum facturum, translatumque à patrijs legibus amicum habiturum, & res necessarias ei præbiturum. Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocauit Rex matrem suadens, ut adolescenti fieret in salutem. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce, Filii mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portauit, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto nate, ut aspicias ad cælum & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt; & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus,

Deus, & hominum genus: ita fiet, ut nō timeas
carnificem istum, sed dignus fratribus tuis ef-
fectus, particeps suscipe mortem, ut in illa mi-
seratione cum fratribus tuis te recipiam. Hæc
illa adhuc dicente, ait adolescens fortissimus:
Quem expectatis? non obedio præcepto re-
gis sed præcepto legis, quæ data est nobis per
Moysem. Tu vero qui inuentor omnis mali-
tiæ factus es in Hebræos, non effugies manum
Dei. Nos enim pro peccatis nostris hæc pati-
mur. Et si nobis propter increpationem &
correctionem Dominus Deus noster modi-
cum iratus est; sed iterum reconciliabatur ser-
uis suis. Tu autem ô scelestè & omnium homi-
nū flagitiosissime, noli frustra vana spe efferre
in seruos eius inflammatus. Nōdum enim om-
nipotentis Dei & omnia inspicientis iudicium
effugisti. Nam fratres mei modico nunc dolo-
re tolerato, sub testamento æternæ vitæ effecti
sunt: Tu verò iudicio Dei, iustas superbiam tuæ
pœnas exolues. Ego autem sicut & fratres mei
animam & corpus meum trado pro patrijs le-
gibus, inuocans Deum maturius genti nostræ
propitium fieri, teq; cum tormentis & verbe-
ribus confiteri, quod ipse est Deus solus. In me
verò & in fratribus meis desinet omnipoten-
tis ira, quæ super omne genus nostrū iustè su-
perducta est. Tunc rex accessus ira, in hunc su-
per omnes crudelius desequijt, indignè ferēs se-
derisum. Et hic itaq; mundus obiit, per omnia
in Domino cōfidens. Nouissimè autē post fili-
os & mater cōsumpta est. Z 3 MAR-

MARTYRIVM SS. PVERORVM ET
fratrum Iusti & Pastoris, 6. Augusti,

Sur. Tom. 7.

Quo tempore crudelissimus Datianus furoris sui rabie in Christianos accensus, vniuersum perlustrabat orbem, vt quoscunq; inuenisset pietatis cultores, varijs tormentis enecaret, contigit eum ad Cōplutensem transfundi gratia deuenire ciuitatem. Cuius incolæ cum immane hominis desiderium intellexissent, duo infantes Iustus & Pastor, relictis scholæ tabulis, quibus tenera eorum ætas imbuebatur, tanquam longa exercitatione probati Christi discipuli, ad spectaculum proprii martyrij alacres cucurrerunt. Cumq; sollicitè cernerent, & intento perciperent animo, qd dementis Datiani inquireret furor, nūciatum est Tyranno duos istos Christianis parentibus ortos, propterea ad id spectaculi cōuenisse, vt si Christianorum fieret inquisitio, ipsi spōte se offerrent puniendos. Quo audito Tyrannus indignatione cōmotus vtrūq; cōprehendi, & flagris cōscindi acerrimè iubet. Comprehenfi igitur sancti martyres, priusquam ad supplicium traherentur, sese mutuo cēlitus edocti, leti confortabant atq; adhortabantur. Vt spreto hoc breuis vitę sēculo ad Angelorum cōsortia alacres properarent. Erat inter eos mira verborum cōcertatio, & vultus alacritas, quibus se inuicem ad martyrij palmam prouocabant. Timebat Iustus, ne Pastor ætate iunior suppliciorum

Fortitudo
animi.

ciorum atrocitati succumberet, rursus Pastor, ne Iustus promissis vel minis Tyranni vinceretur, vehementer formidabat. Interea vero dum alter alteri mutuis cohortationibus animum adderet, carnifices visa puerorum constantia & alacritate, cuncta Datiano nunciarunt. Qui tam admiranda puerorum virtute stupefactus, veritus ne ex eorum certamine aliquam ignominiae notam maiestati suae inureret, quasi per contemptum, quod suo conspectu indigni essent, capitis eos damnauit. Cumque accepta sententia procul ab urbe glorioso fine certamen peregissent, & Datianus celeri protectione ad alia loca contenderet, illico Christiani incolae sacra eorum corpora honorifice sepelierunt, & constructa basilica singulis martyribus altare dedicarunt.

EXEMPLVM S. ALBERTI DE MONTE

Drepano Carmelita, 7. Augusti.

Sur. Tom. 4.

Albertum apud Siculos in castro montis Drepani, patre Benedicto ex nobilissima Adalbatibarum familia, matre Iohanna pari nobilitate femina, ortum, parietes post longam sterilitatem, voto à B. Virgine Deipara impetrarunt. Hic ubi per aetatem disciplinis esse maturus coepisset, mox liberalium artium studiis admotus preclare puer indolis, veri Spiritus sancti gratia exornabatur, & iam literis bellè *Morum honestas.* eruditus, optimisque ex cultus moribus, à ciuib.

Z 4 iuxta

iuxta ac parentibus magno affectu diligebatur. Iam annum attigerat octauum; & quidam præcipuæ nobilitatis viri, eum puellæ quidam (prout eius loci consuetudo fert) quæ regio stēmate nata videretur, spōsum pōcebant. Et pater quidem horum precibus flexus, rem ad vxorem detulit; illa vero voti haud immemor, tacta religione, modestis maritum verbis increpuit, remquæ disiecit: tum accito in cubiculū filio, omniā per ordinem exposuit, & visionem parentis, & votum quo Deo tenebantur obstricti. Ille vero cum verba matris probè cepisset, responsum dedit humilitatis & prudentiæ plenissimum, dicens, se sui iuris nō esse, sed parentum suorum stare consilio, atq; authoritati cedere: inque vitæ cursu moderando, ne latum quidem vnguē ab eorum præscriptis velle discedere. Edic igitur, inquit, mea mater, quid me fieri velis: mundō ne seruire & temporarijs perfungi honoribus, vel potius amare Christum, & illi in sacra religione perpetuo obstringi seruitio, vt vitam cum ipso nanciscar immortalem? Cui mater: Equidem, ait, nihil malim, quam te votis iam inde nuncupatis succedere & obsecundare, vt factis dicta compensemus. Et ille: Faciam, inquit, quod hortaris. Parentibus itaq; mensæ accumbentibus ait Albertus; Parentes optimi, equidem neq; cibum neq; potum sumam, nisi mihi benè precemini. Tum illi pio animi affectu dixerunt: Benedicat tibi Deus, & dirigat gressus

*Eligit vitā
religiosam.*

gressus tuos. Ea parētum suorum benedictio-
ne percepta ad monasterium Drepanense fra-
trum Carmelitici instituti perrexit, atque à
Priore ad id genus vitæ admitti postulavit. Qui
generis illius nobilitate perspecta, puerique
sermones admiratus, ne parentum in se ani-
mos concitaret postulata reiecit. At puer ma-
gna animi molestia & mœrore sese conficiens
domum reuertitur. Interim nocte proxima
parentibus per quietem virgo beatissima vul-
tu sane seuero apparuit, atq; vt promissi me-
mores, filium se cultui diuino tradere cupien-
tem, retinere caueant, commonefecit. Quare
animis consternati, mox altera luce ad mona-
sterium properāt, filiumq; votiuum exhibēt.
Qui eximia beneuolētię significatione à Prio-
re ac fratribus susceptus & spiritali militiæ
aggregatus, internis externisq; armis & orna-
mentis decoratur. At vero humani generis
hostis, visa pueri ad confligendum alacritate,
stimulis inuidiæ grauiter concitatus, ad infi-
dias vertitur: sumptaq; elegantissime mulieris
forma, vultu pietatem mentiens, pœnitentiæ
studijs ac precibus incumbentem non sine ge-
mitu ita compellat, O decus pulchritudinis &
flos ætatis, quid insano & stulto labore pōdus
humeris tuis lōgè impar tollere conaris? Quid
asperum & acerbum vitæ genus subire, & in
sordibus perpetuo manere decreuisti? quæ in
fine & insignem ignominiam, & salutis rui-
nam dum resiliere cogeris parient? Quin potius

*Pœnitentiæ
operibus &
orationi
deditus.*

Z s me

*Insidias
diaboli pra-
clare disij-
cit.*

Ieiunium.

*Asperitas
vita.*

Castitas.

Fugatio.

mecum, quæ tui amore tota occupata sum, sa-
cro matrimonij fœdere copulare. Rediigitur
ad paternos lares, & bonis mecum summa cum
securitate & felicitate perfrui. Has voces
fraudis & insidiarū plenas illico sentiens Chri-
sti seruus, signo sanctæ crucis se communijt, &
diabolum humanam speciem mentientem in
flammas abire præcepit: ipsoq; fugato, multo
se alacrius ad subeundos poenitentia laboris
accinxit. Indè anno absoluto, palàm se mona-
stica professione obligauit, quam animo iam
tum fecerat, quando habitū religiosum susce-
pit. Fuit porro eius vita valde seuera & aspera,
cum insigni patientia, multa que de se virtutis
exempla præbebat. Ferijs secundis, quartis &
sextis cilicio carnem suā domabat, & assiduis
ieiunijs macerabat, super palmitib; nudo cor-
pore cubabat, rudem pannum & vestes admo-
dum viles ferre nō erubescibat. A vino absti-
nens aquæ potū illi præferebat, ne vinū blan-
dè ingrediens, luxuriæ fomenta suppeditaret.
Sextis ferijs panī suo absynthiū immiscuit, &
vestibus asperis carnem domabat, ne quas illi
aduersus spiritū delectationes parturiret. Otij
maxime fugitans bonis iugiter operib; inten-
debat, vt eum malignus hostis semper bonis
reb; occupatum inueniret. Castitatis fuit lōgè
observantissimus, obedientię sanctæ, pauper-
tatis, & humilitatis apprimè studiosus: diuina
porro refertus sapientia intus quidem cælesti
suauitate replebatur, at foris ornatissimis mo-
ribus

ribus doctrinam ecclesiasticam, illustrauit. Tandemq; multis infidelium ad fidem cōuersis, clarusq; miraculis, ad perpetuos triūphos feliciter emigravit.

GESTA ILLVSTRISSIMI MARTYRIS
& Archileuitæ Laurentij 10. Aug. Sur. Tom. 4.

B Laurentius ingruente aduersum Christianos persecutione Decii Imperatore, ad gloriosi martyrij palmā magna animi alacritate exarsit: cumq; vidisset B. Sixtum Pōtificem, cui ille ad arā sacris operanti assistere cōsueuerat, vnā cum diaconis Felicissimo & Agapito, p Christi cōfessione ad carceres raptari: Quo, inquit, progredieris sine filio, pater? quo sacerdos sancte sine ministro pperas? Tu nunq sine ministro sacrificiū offerre consueueras. Quid ergo in me displicuit paternitati tuę? nūquid degenerē me probasti? experire vtrū idoneum ministrū elegeris cui cōmisisti dominici sanguinis dispensationē. Cui Sixtus: Nō ego te desero fili, neq; derelinquo: sed maiora tibi debentur certamina. Nos quasi senes leuioris pugnæ cursum recipimus: te quasi iuuenē manet gloriosior de tyranno triumphus: mox venies, absiste fletu, post triduum me sequeris sacerdotē Leuita. Accipe Ecclesiæ facultates, & eas tuo arbitratu distribue. Ea vero accepta po testate B. Laurētius cœpit p regiones vrbis studiosē indagare, vbinā sancti clerici vel pauperes essēt absconditi, afferēsq; thesauros vnicuiq; prouē

prout opus erat subministrabat. Veniēs autem in Cælum montem, multos apud Cyriacam viduam abditos reperit, quorum ille omnium pedes cum lauisset, Cyriacam manus impositione ab intenso capitis dolore liberavit. Eadem nocte abiit inde, & perquisiuit vbi cōgregati essent Christiani, siue in domibus siue in cryptis: Venitq; in vicū Canarium, & multos ibidē Christianos in ædibus Narcisci cōgregatos reperit; quorum ille pedes cum lachrymis lauit, & thesauros sibi à Sixto traditos iisdem erogauit: inuentumq; ibi Crescentionem cæcum signo sanctæ Crucis illuminauit. Multis perinde in crypta Nepotiana cū Iustino presbytero delitentibus pedes cum lachrymis lauit, & thesauros dispertijt. Atq; inde digressus & Beatum Sixtum ad necem iam perducī conspicatus; Noli me, inquit, derelinquere pater sancte, iam enim expendi thesauros, quos tradidisti mihi. Tunc milites audientes thesauros, vincula S. Laurentio iniecerunt, eumq; spe diuitiarum pleni Decio obtulerunt: qui ab immaculato sacrarij presule opes sibi Ecclesiasticas petiuit inferri. Cui Leuita castissimus petitis tridui inducijs vbi eas repositas haberet ostendens, numerosos sanctorū pauperum obtulit greges, in quorum victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates: quæ tanto integrius erant saluæ, quanto sanctius probabantur expensæ, Decius ea re insigni se contumelia affectum existimās, iussit protinus martyrem

tyrem suo in conspectu nudatum scorpionibus cædi. Cæsum verò grauissimè, & in Christi gratia mirificè exultantem eleuauit, propositoq; ob oculos omni genere tormetorum minis eum exterrere conatus est. Allatæ igitur sunt laminæ lectiq; ferrei, & plumbatæ & cardui, cæteraq; horrenda aspectu suppliciorum instrumenta. His, inquit Decius, tormentis excarnificabere, nisi cõfestim thesauros prodas, dijsq; sacrifices. At B. Laurentius: Infelix, ait, has ego epulas semper optauì: Hæc enim tibi quidem videntur tormenta, nobis vera sunt gloria. Cumq; Tyrannus respondisset, Dic ergo vbi tui similes sint, vt simul epulemini; ille cõtrà: Iam, inquit, cælo nomina sua dederunt, quorum tu haud dignus es aspectibus præsentari. Hoc itaq; respõso lacessitus, extremo furore in martyrem crudelissimus persecutor efferbuit: & immotam Leuitici animi magnitudinem diris parat vrgere supplicijs: ac primò quidem nudatum fustibus cædi impèrat: Cumq; tyranno insultaret Leuita: augete inquit fustes, & candentes laminas lateribus ad-mouete. Deinde in confessione Christi fortis pectore perseuerantem plumbatis diutissimè cædi iubet. Martyr itaq; toto corpore sauci-us, scorpionibus discerptus, & fustibus plumbatisq; contusus, mortem sibi credens imminere, spiritum suum Deo commendabat: At vox cælitis delapsa, ipso etiam Decio audiente: Adhuc multa, ait, tibi debentur certamina.

Quo

Quo magis inflāmatuſ furore Tyrannus, clara voce dixit. Viri Romani, audistis vt dāmones conſolentur ſacrilegū, qui nec deos nec principes veſtros timer, nec exquisita tormenta formidat? Extendite eum & ſcorpionibus ſtagellate. B. vero Laurentius in cataſta proſtratus ſubridens & gratias agens Deo, dixit: Benediſtus es Domine Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nobis immerentibus impendiſti miſericordiā tuam. Et tu Domine, ppter pietatem tuam fac agnoſcere circumſtantes, q tu conſoleris ſeruos tuos. Eadem igitur hora miles nomine Romanus angelum coram Laurentio aſtare, & deſluentem è vulneribus ſanguinem detergere conſpexit; moxq; ad fidem conuerſus, & à B. Laurentio baptizatus, iubente Decio capitalem ſententiam excepit. Porro tyrannus, vt martyrem ſupplicijs fractum aliquando ſuperaret nihil non moliebatur. Eadem igitur nocte adductum ad tribunal Laurentium, totus quaſi furijs agitatus ſic compellauit: Vel iam tandem faceſſat artis tuę magicę perfidia, & edic nobis genus tuum. Cui martyr excelſo admodum animo reſpondit: Quod ad genus attinet Hiſpānus ſum. Romę autem nutritus & eruditus, atque à cunabulis Chriſtianus, doctus omnem legem ſanctam & diuinam. Tum Imperator: Reuera inquit ſanctam, quia nec deos cogitas, nec tormenta formidas. Rurſus martyr: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti tormenta tua non timeo. Decius

dius vero: Sacrifica, inquit dijs, sin minus nox illa in tuis expendetur supplicijs. Ad quæ B. Laurentius respondit: Mea nox obscuritatem nescit, sed potius omnia in luce clarescent. Tū iussit Decius os eius lapidibus contundi. Ille vero magis confirmabatur, & ridens dicebat: Gratias tibi ago supreme ac sempiternæ Deus. Allatus est tandem lectus ferreus instar craticulæ, in quo extensus Laurentius cœpit subiecto igne torreri, & fera carnificum immanitate furcis ferreis cōprimi. At ille quanquā craticulæ dirè affixus, & ardentibus prunis tostus, vultu nihilominus læto tyrannum affatur. An tu, inquit, miser existimas, hos mihi carbones supplicium, & non potius gratissimum præstare refrigerium? Equidem nūquam iucundius cubavi, nunquam maiori me affectum gaudio in vita memini. Ecce latus isthoc, p̄bè assatum est, iam versa & manduca. Demū peractis Deo gratijs inuictū spiritum p̄ manus angelorum in cælicas mansiones tradidit deportandum.

*Fortitudo
animi.*

EX VITA B. STANISLAI KOSKA E SOCIETATE IESU à Francisco Sacchino eiusdem Societatis sacerdote conscripta.

Obijt 15. Aug.

Ortus est B. Stanislaus in Masouia Polonici regni prouincia, in oppido paternæ conditionis Kostkouo. Parentes habuit Ioannem Koskam, & Margaritam Kriskam, peruetustæ ambos, Senatoriæ, opibusque pollentis pro-

prosapia. Mansitq; ad tertium vsque ac decimum ætatis annum in domo paterna: quatuor inde circiter annos Viennæ in Austria, paulo minus vno in Societate vixit. Itaq; cum añum vndeagesimum iniret, in summo adolescentiæ flore, flos ille præ humanorum diuinorumq; decorum gratia, specie atq; odore suauissimus, è spinis mortalitatis lectus est, ferto immortalis cælestis sponsi nectendus. Fuit illi statura mediocris & apta, dignitate cum venustate permixta: os vultusq; angelicus, color prope candidus, virgineo rubore aspersus in genis, capillus modicè ex nigro flauescens: faciei figura rotundior, oculi nitidi, sed præ copia sanctæ dulcedinis qua cor assidue colliquebat vuidi interdum ac lachrymabundi. Tenor vitæ paterna in domo acq; haud distinctè compertus. Abhorruisse ab quavis licentia, atq; adeo leuitate puerili, illibatum conseruasse virginittis decus, itemq; acceptam ab secunda origine in sacro fonte stolâ graui labe nunquam contaminasse certum testatumque est. Ex quo autem tempore Viennam venit, memoria notior. Quippe cum Collegij, quod in ea vrbe Ferdinandus Imperator Societatis v fundauerat, longè lateq; per Septentrionem inclyta ferretur fama, ea Poloniam quæquæ peruagata, plurimos è prima nobilitate, præsertim Catholicos impulit, suos vt liberos Viennam mitterent: vbi liberales disciplinas pariter cum syncera pietate condiscerent.

Vien.

Morū maturitas.

Virginitas.

Munditia

cōscientia.

Viennæ autem præter Societatis gymnasium,
 contubernium quoq; erat conuictorum no-
 bilium, fama & ipsum illustre, magno adole-
 scentibus ad mores doctrinamque præsidio,
 quò cum fratre suo Paulo Stanislau missus fu-
 it. Cæterum nequiuerè diu honesto illo vti
 conuictu. Maximiliano enim Cæsare ædes,
 quas Ferdinandus precario in eam rem con-
 cesserat, reposcente; contubernium illud solu-
 tum est. Quamobrem Stanislao perinde ac cæ-
 teris ad hæretici hominis hospitium, quippe
 qui suo arbitratu agere nō sineretur, vna cum
 fratre diuertendum fuit. Quibus vti vna erat
 stirps, nec longo interuallo discriminata etas;
 ita quod sæpè vsu venit longissimè dissiti mo-
 res. Paulus quanquam procul à flagitijs, tamen
 florentis cui indulgens hilaritati, vestium ele-
 gantia, copiosa ac delicata mensa, liberiore vi-
 ta, ludicris iuuentæ delectari: modicam ratio-
 nem habere cum Deo, plurimam cum paribus
 suis. Contraria omnia in delicijs Stanislao e-
 rant, solitudo, ieiunium, modestia, attenta cu-
 stodia sensuum, diuturna precatio, familiares
 nulli, vel pbatissimi, nullius rei potior quam
 conscientia suæ ratio. Quod eò magis in mi-
 nore fratre mirandum est; quod cum exempla
 omnia ad deprauandum valeant, & domestica
 quàm quæ maximè; nihil tamen is vnquam
 ab sua seueritate laxauit animum: quamuis &
 pelliceret & impelleret, & propè adigeret
 frater. Inde autem, cum tanta vtriusq; vitam
 A a disti-

Perfecta
 laus pui-
 tia.

diffimilitudo distraheret, ac Paulus uti quo anteibat, ita exercere in minorem fratrem dominatum æquum duceret, ac præterea acerbius ex ipsa Stanislai modestia fieret, quem ad suæ vitæ exemplum inflectere haud posset, facile est intelligere, quam solidam necesse sit fuisse Stanislai virtutem, quam exercitam patientiam & mansuetudinem. Eoque sæpè præferuidus Paulum improvidæ ætatis rapiebat impetus, ut innocentem fratrem nulla alia de re, nisi quia ad ipsius accommodare se nolebat mores, non verbis modo & probris, sed & verberibus malè acciperet. Hinc ergo multarum fœcunda laudum seges Stanislao offerebatur, illud assidue conanti, ut quam maxime placeret Deo, fratri quam minimè displiceret. Obseruare hominem, eidem placide obsecundare in tempore; omnibus aduersus eum impigre fungi officijs. Famulum dixisses: nisi quod ut charitatem fratrum, ita sedulitatem anteibat seruorum: præclaroq; commercio amorem obsequiumque permiscens, hoc voluntarium ac verum; illum strenuum, efficacemque præstabat. Nullo vnquam modo conqueri, nullam præ se ferre iniuriarum memoriam, ac ne sensum quidem, ingenio uti ac solertia ad obtegendum rectè facta. Cum

Patientia.

Humilitas.

palam nunc ieiunaret, aliàs item ut clanculum faceret, causas, quibus à communi abstineret mensa, prudenter excogitabat. Ad precandum Deum, fruendumque diu beatorum

con-

congressu, interdiu in ædium secedebat abdita; noctu vero postquam omnes sopor oppressisset, tacite surgebat è lectulo, ac positus humi genibus in alto illo rerum omnium silentio, & fauentibus tenebris diuinis vocibus radijsque vacabat. Vbi liceret proripiebat sese in templum; quod quanquam multum respectus temperabat fratris, nō poterat tamen cohiberi, quin sæpe ac diu faceret: quotidieq; nō modo diuinissimum Christi corpus initio scholarū ac fine salutaret; sed etiam binis terminis sacris interesset; festis autē diebus etiam sacro, vespertinæque psalmodiæ, quæ cum musico concentu, atq; apparatu splendido in templo collegij ea tempestate celebrabantur, ad rerum sacrarum maiestatem contra hæreticos conseruandam. Hisce autem diuinis officijs tanto intererat pietatis affectu, vt non raro abstractus à sensibus in ecstasin raperetur, quod vulgatum erat Viennæ. Incredibili erga Dei Parentem obseruatiā ferebatur: eoq; nunquam in eius manibus vidisses nisi rosarium, vel pios libellos, qui preces, aut laudes parentis sanctissimæ cōtinerent. E cætero autem numero Beatorum præcipuo colebat studio, Barbaram Virginem, eademq; Martyrem nobilissimam. Nam & toto Septentrione celeberrima est huius Diuæ memoria, & sodalitas in Viennensi Collegio in eius clientela adolescentium erat. Et sane adeò domi exercito pietatis causa adolescenti, patrociniū eius virginis,

*Pietas &
deuotio.*

Mira deuotio.

Cultus B. Virg.

Aa 2 cui

cui Pater pro carnifice fuerat, apertissime congruebat. Cumq; animum ad cælestium rerum tractationem impensius transtulisset, etiam in exercitationibus scholasticis pia tractabat argumenta, ac ut plurimum cæli Reginæ laudes. Obseruatumq; est, cum principio non admodum inter condiscipulos emereret, paulo post cum iam Rhetoricę operam daret, in primorum venisse numerum: quamuis in studia pietatis longè plus operæ, quàm in studia literarum conferret. Ita pietas valet ad omnia. Multò quàm condiscipuli frequentius diuina obibat mysteria, maioriq; cum apparatu, ac postridie communicaturus vespere abstinebat à cœna, quo purgator ad viuum cæli panem ab mortuis terræ escis accederet. Deniq; puer ætate, vir prudentia, carus omnibus, molestus nemini, magnum erat constantię ac pietatis exemplum, utq; alij postea testati sunt, etiam sanctus habebatur. Cœpit interea diuino instinctu ad religiosę vitę institutum impelli, quem ille, quamuis magno affectu susceperet, tamen siue puerili verecundia, siue quo alio metu ne Confessario aperiret, sex spatio mensium prohibitus est. Quod eò fortè à Deo permissum, ut haberet deinde innocentissima illa anima nonnullam sese plorandi despiciendiq; materiam, quasi tam diu Spiritui sancto restitisset. Simul ac vero suo id cōfessario patefecit, tantis eius animus cœpit delicijs circumfluere, nihil ut aliud dies noctesq; men-

te a

*Pietas.**Crebra cōmunio.**Ieiunium pramittit cōmunioni.*

te ac lingua versaret, quam Deum & Societatem Iesu. Fatigare ipse per se Patres, adhibere non preces modo assiduas sed etiam lachrymas, allegare alios, Pontificium quoque legatum. Verum Prouinciali Austriæ Laurentio Magio stabat sententia, nisi bonam à parentibus veniam impetraret nequaquam admittere. Et quamuis certum Stanislao esset, id se parentibus secundis minimè facturum, ne tamen in periculum constantiæ vocari posset, voto semet ad ineundam Societatem planè obstrinxit. Interim è vexatione domestica patientiæ humanæ intoleranda, morbo grauissimo corripitur. In quo demonem in forma canis, scintillantibus oculis & horrendo faucium hiatu *Demonem fugat.* ad lectulum suum prostrantem Crucis signo fugauit. In grauescente item morbo recordatus Beatam Barbaram minimè pati clientes suos sine diuinorum mysteriorum præsidij è vita concedere, vt se tanti quoque beneficii compotem faciat, ardenti prece Patronam exorat. Cui nocte intempesta apparet S. Barbara, duoq; angeli in claro lumine, sacrosanctam afferentes hostiam: quam cum ad lectulum famelici ægri accessissent, reuerenter ei *Angelico ministerio sacram communionem percipit.* porrexerunt; ipso magna animi demissione ac reuerentia Deum cordis sui suscipiente. Adhuc vi morbi, re à medicis desperata, ad extremam peruenerat, cum Beatissima virgo Dei summatè restituit. mater, paruulum filium in sinu gestans præstitit.

ans, quem quovberiori suauitate perfunderet,
puellum Iesum in eiusdem lectulo collocavit.
Quis hic integerrimū famuli amantissimi pe-
ctus ardor, quē veneratio, quē dulcedo cōple-
uit, lectulum suum tam pulchre floridum cō-
templantis? Ad salutis contactum fugit lan-
guor: ægroque iacenti non animi solum mi-
rifica allata consolatio est, sed etiam corpo-
ris reddita valetudo, & cumulauit cæli regi-
na benignitatem. In digressu nominatim ad-
monuit, vt Societati se traderet. Cumque
iam noua religiosæ vitæ cupiditate accen-
sus, nihilo secius Prouincialis animum in-
exorabilem deprehendisset, inops consilij P.
Franciscum Antonium natione Lusitanū con-
uenit, queritur de repulsa, atq; irritas à biēnio
preces, sibiq; id animi esse, exteras adire Pro-
uincias, tamq; diu peregrinari, ac perseuerare
pulsando, quoad p voto res cederet, affirmat.
At ille sperare se respondit, si Augustam ad Ca-
nisiū superioris Germaniæ prouincialem, vel
ad extremum Romā ad Franciscum Borgiam
Generalem præpositum pergeret, ab eorū al-
terutro receptū iri. Oblata igitur spe recreat⁹,
in occasione imminebat fugæ: q̄ breui fratris
asperitas obtulit. Cū enim more suo innoxii
Stanislaum male admodum Paulus accepisset;
is qui mira ante patientia, exercendæ virtutis
materia lætabatur, tū animo quidem placido,
sed per quandā indignabūdi speciē; Profecto,
inquit adhunc me habere modū si pergis, eris
in causa

*B. Virgo ipsa
sum de in-
gressu So-
cietatis
admonet.*

in causa ut abripiam me aliquo fuga: tibiq; de
 me parentibus reddenda ratio incubet. Paulus
 porro ad has voces insolentior, cum, ut iret ac
 facesseret iteratò respōdisset, Stanislaus depo- *Stanislaus*
 sito corporis cultu, ac rustici pueri habitu *clam fugit*
 assumpto, raptim ad collegiū pergit: audit sa- *à fratre.*
 crum, diuino se pane corroborat, acceptisq; à
 Francisco ad Canisium & Borgiam literis iter
 ingreditur, eo consilio, & quidem religione
 voti firmato, nunquam ut domū rediret, nul-
 lumq; faceret peregrinandi victumq; interim
 emendicandi finem, quoad in tā sibi optatum
 ordinem peruiam alicubi rimulam inueniret.
 Quo in itinere cū aliquando in hæreticorū fa-
 nū diuertisset, ratus prima facie Catholicorū
 fuisse ecclesiam; re subinde cognita vehemen-
 ter ploranti, tam præclaram spem sibi euanu-
 isse, rursus quemadmodū olim dū ægrotaret,
 panem Angelorum Angeli manu porrectum *Iterum illi*
 suscepit. Postquam vero Canisiū adiit, suamq; *ab angelis*
 ei vocationem non obscuris hisce argumentis *præbetur*
 ostēdit, bono esse animo, & quoad virtutis ali- *S. Cōmunio*
 quod periculum faceret, in conuictu Dilingæ
 humiles vulgo labores & seruilia tractare ope- *Humilitas.*
 ra, iubetur. Eoq; officio Stanislaus vehementer
 gaudens, nō solū natiua generositate, sed multo
 magis Christianæ indolis diuina nobilitate e-
 micuit. Ceterum suauissimus ille flosculus Ro-
 manæ debabatur amœnitati. Itaq; ad Patrem
 Generalē Romā à Canisio duob; adhibitis so-
 cijs destinatur. A quo mox ut ex itinere recrea-
 tus est,

interualla regustans, sed quantum mortalitas
 patiebatur assiduè potans: atque adeo conti-
 nentiùs etiam ei quam mortalitas patiebatur
 inhærens. Sedulo Moderatores aduigilabant,
 ne nimio abreptus impetu spiritus, nequa-
 quam pari præditum vi mortale vasculum
 immaturè defereret. Cæterum ita iam suo pte
 nutu ferebatur, & acquiescebat in Deo: vt vi-
 ta eius verè non assidua modo oratio, sed et-
 iam contemplatio dici posset: præsertim ob-
 insigne donum, quo diuinâ vbiq; præsentiam
 acie mentis intuebatur: neq; vllis, quantû ob-
 seruari potuit, euagationibus mentis inter o-
 randum obnoxius fuit. Cuius etiam caro iam
 animi didicerat affici studijs, vt posset cû regio
 vate profiteri: Sitiuit in te anima mea, quam
 multipliciter tibi caro mea. Certum est ipsum
 quoq; ex animi redundantia, ita amoris diuini
 incendio incallescere, ita æstuarè solitum cor-
 pus, vt pectori ad refrigerandum cor, imbutos
 frigida panniculos necesse esset apponere. Er-
 ga Dei beatissimam genitricem iam prorsus a-
 nimum induerat filij: suam parentem appella-
 re eâ in omni sermone mirifica suauitate con-
 sueuerat. Testatur id in primis P. Emmanuel
 Sa Theologus, qui cum aliquando comitem
 eum ducens ad Basilicam S. Mariæ ad Niues,
 interrogasset num sanctissimam Virginem
 diligeret: is humili quodam gestu atque ore
 blandissimo respondit. Quid queris Pater? Est
 mea mater. Itaq; ad salutationem Angelicam,

*Pietas &
 sedula deo
 uotio.*

sacrum rosarium, precesque alias cum Psalmis in laudem virginis consuetas suauissimè afficiebatur, cum quadà oris venustate. Quin etiam vultus eius non semel visus est insolito quodam lumine circundari. Inter iucunda hæc beatæ patriæ studia, nihilo voluntate aut conatu minore munera huius exilij propria, & laboriosa tractabat. Præ enim illa charitatis abundantia nihil sibi difficile factu existimans, quæ varia videbat in singulis laborum, abiectarumque functionum ac poenarum sponte susceptarum genera; ea ipse fame inexplebili & animo immenso appetebat vniuersa: inque humillimis & contemptissimis ministerijs exultabat maximè ac triumphabat. Porro instituta Societatis tanti faciebat, tamque sibi apta rebatur & congruentia, vt nihil supra. Legum erat omnium disciplinæque domesticæ seruantissimus: alacritatis ad obtemperandum Moderatoribus singularis, nihil quantumuis minutum videretur contemnens. Erat in eo mira quædam dexteritas in familiaribus regendis colloctionibus, ac, si quando ad media prolaberentur, ad pia argumenta reuocandis: cum aptissimè è sanctorum vitis exempla infereret, quæ perinde ac si ipse spectasset, narràs affectu suo ac spiritu animabat. Neq; hæc cum faceret, vel quicquam inde tribuebat sibi, vel de aliorum existimatione apud se deterebat; sed mirifica erga omnes obseruantia, se tanquam in angelorum cœtu versari

Humilitas.

Obedientia.

Humilitas.

indignum appellabat tali consue-
tudine. Dies appetebat S. Laurentio sacer, qui
inclutus martyr ex more Societatis nostræ in
menstrua fortitione Stanislao Patronus ob-
venerat. Quamobrem celeberrimum op-
tans agere eum diem, pridie institit à Recto-
re, multa sibi ut liceret effectu pia, perpeflu
aspera suscipere: ex quibus leuissima quædam
concessa; inter cætera ut publicè se in cœna-
culo verberaret. Ipso mox die festo, post o-
bita ritè diuina, omne matutinum tempus co-
quo administer exegit; sancto humilitatis
charitatisque negotio religiosum diei otium
colens: quæ sunt feriæ Beatis inprimis ac-
ceptæ. Secundum prandium febricula qua-
dam cœpit laborare, & post gratias Deo &
Societati, de cura, quæ ipsi adhibebatur a-
ctas, se illic decessurum affirmavit. Extre-
ma autem die institit, ut sinerent humi se ab-
iectum vltimum exhalare spiritum: Quod
cum primo Rector negasset, iterum instanti
ex parte indulgendum ratus hætenus cōcessit,
ut humi cum culcitra sterneretur. Ita humi ia-
cens diuinissima mysteria, & sua & circum-
stantium consolatione magna suscepit; ad pre-
ces quæ adhibebantur attentè pieque respon-
dens. Ac velut de integro ad momētum illud
æternitatis arbitrum se comparare exorsus,
bis repurgauit cōfessione animum, veniamq;
ex fratribus cœpit rogare, quod minus recte ijs
præbisset exempla, ita ex animo, ac si verè
exem-

exemplata lia, non optima prabuisset. Post multas vero preces sacram Christi crucifixi effigiem petit, actisq; Deo gratijs pro acceptis beneficijs, sacras plagas summo cum sensu exosculatur. Simili affectu oblatam sanctissimæ Virginis Matris suæ imaginem complexus atque osculatus est: & Sanctis suis Patronis sese commendavit. Interrogatus deniq; numquid molesti resideret in animo, Nihil respondit, ac rursus, nū esset paratus Deū euocātem sequi, iucundissimè item respōdit, Paratū cor meum Deus, paratū cor meū. Atq; ita sancto oleo iam inunctus, altera manu rosariū & quædā piacularia grana, altera sacrū cereum sustinens inter sanctissima Iesu & Mariæ ingemināda nomina vivere Deo cœpit ipso Assumptionis D. Virginis die: adeoq; vero leniter felix ille animus à suo corpusculo segregatus est, eiq; rā viuīdum colorem, & oculos vsq; eò nitidos reliquit, ut astātes migratio sefellerit. Mā sit vero sacrum eius corpus multis deinde añis incorruptum, & diuerforum gloria miraculorum inclaruit.

MARTYRIVM S. MAMANTIS PVERI

17. Augusti ex Simeone Metaphrasie.

Sur, Tom. 4.

MAmas è Paphlagonia patre Theodoro, matre Rustina oriundus, atq; vtroque parente in carcere pro Christi confessione extincto orbus, nobilissimæ cuidam matronæ, cui Ammia nomen erat, diuinitus cōmendatur.

Et. Post
 crucifixi
 accepit
 ensu ex
 illima
 exusat
 nis sese
 imquid
 ondit
 ne sequi
 meum
 eo iam
 piacu
 is inter
 omina
 Virgi
 imus a
 idum
 quit, ut
 acrum
 prum
 laruit
 ER I
 doto,
 roque
 ne ex
 ronæ,
 enda
 tur.

Quæ illum sibi adoptans filium, maiori
 quam materna educavit atq; erudit diligētia.
 Cumq; secundo infantiq; aſſe Ammiam lingua
 vera mammam vocitaret, inde Mamantis
 cognomentum tulit. Annos dein natus quinq;
 literis admoventur, quarum ille mira cupidi
 tate succensus, in doctrina equalibus longè e
 minebat. Cœperat id temporis Aurelianus, *Alacritas*
 omnem ætatem ipsoq; adeo pueros ad dēmo
 num sacrificia perurgere. Quorum quidem *in studiis.*
 non pauci Imperatoris volūtatī cedebant: qui
 vero cum Mamante ad ludum literarium ven
 titabant, nullis egebant adhortationibus, sed *Vita ac mo*
 cana pueri prudentia ad imitationem rapie
 bantur. Quotidie enim docebantur honesto *rū mirabi*
 illo pulchri Mamantis spectaculo & exemplo, *lis honestas*
 solū verum agnoscere Deū vniuersi opificem.
 & ei rationale animorum offerre sacrificium,
 eos autem, qui ab impijs coluntur & adorātur
 dii, nugæ existimare & plenos probro & dede
 core. Itaq; annos iam natus quindecim, cū de
 functa etiam Ammia hæreditatem amplissi
 mam creuisset, ad Democritum Cæsareæ præ
 sidem huius pietatis accersitur: cumq; eum tri
 bunali stitisset, rogat num Christianus sit: dein
 num condiscipulis persuaferit, ne Imperatori
 obtemperet: tum puer mirabili supra ætatem
 constantia respōdit: Ego, inquit, vestram val
 dè condemno canitiem, quod tanta circumfu
 sitis erroris caligine, ut nec possitis quidem
 radios aspicere veritatis: sed vero & viuo Deo
 reli-

relictis accessistis ad demones inanimos & surdos. Et ego quidem à meo Christo nunquam recedā, & quoscunq; potero ad eum adducam. Democritus vero cum minis se nihil proficere aduerteret, Mamantem catenis vinctum ad Imperatorem Aurelium transmisit. Imperator lectis quæ ad eum datæ erant à Democrito literis puerum minis & blanditijs variè aggreditur. Heus, inquit, belle puer, si magnum accedens Serapidem ei sacrificaueris, eris nobiscum in palatio, & primum quidem aleris regaliter, deinde te multi mirabuntur & laudabunt, erisq; de cetero fortunatus. Hæc autem magis acuebant alacrem & promptum adolescentis animum: Et, Absit, ait, ô Imperator, ut has surdas & inanimas diuino honore prosequar statuas, quæq; arguunt, quam sitis crassi & nullo sensu præditi, quod eas colere sustinetis. Desine ergo minas intentare terribiles, ut tibi videtur, & maxima polliceri. Nā puniens quidem, benefacies; benefaciens autem dāno afficiēs maximo. Pro Christo enim mori, quouis honore reor & lucro præstātius. His verbis irritatus Aurelianus adolescentulū flagris cædi imperat, quib; ille tamen nō minus afficiebatur, q̃ si ea dormiēs pateretur. Instabat interea tyrannus ut pueri cōstantiam verborum blanditijs frangeret: Dic, inquit, vel solis labriste sacrificaturum, & statim à supplicijs te immunē præstabo. Cui Mamas: Nec labris, inquit, nec corde verum Deum & Regem Christum vnq̃

nega-

*Fortitudo
animi.*

negabo. Quin potius gratias tibi ago maximas,
 quod præclaris adeo beneficijs me afficis. Quare
 nudatum martyris corpus ignitis fecit torreri
 lampadibus; sed lampadum flammæ diuina
 virtute in tortores conuertebantur, prorsus ut
 martyre illæso permanente, ipsi præ dolore
 ingemiscerent. Iussit deinde Tyrannus la-
 pidibus puerum verberari: qui hoc suppli-
 cio non plus mouebatur, quam si rosas fuisset
 aspersus. Vnde animi dubius Imperator, ac
 simul furore æstuans iussit ingenti plumbi
 pondere collo eius appenso marinis illum
 fluctibus obrui. Cumque ad hoc supplicij ge-
 nus à carnificibus insulso clamore duceretur,
 disiectis angelica virtute licitoribus, in mon-
 tem quendam Cæsareæ deducitur, vbi die-
 bus admodum quadraginta ieiunus perman-
 sit. Inde vero descendens, velut alter Moyses
 accepto diuinitus codice Euangeliorum, præ-
 dicandæ fidei officium auspicatur. Et ne cui
 molestiam afferret, post sparsa Euangelij semi-
 na ad montem se recipiebat, ferasque (dictu mi-
 rabile) in vnum cōuocatas mulgebat, indeque
 caseum cōficiens partem sibi reseruabat: par-
 tem Cæsaream descendens egenis distribue-
 bat. Postquam vero fama ipsius omnium ser-
 mone cepit prædicari, missis Alexander Cap-
 padociæ Præses equitibus, eum sibi sisti volu-
 it. Quorum aduentum martyr ut cognouit,
 hilari sanè vultu eis obuiam processit, illos-
 que hospitio & mensa excepit.

*Fortitudo
animi.*

Quæ.

Quærunt illi de Mamantis habitatione, & cum sibi ostendi postulant. Ille vero se facturum promittit, iubetq; ut animo securo caseo & lacte fruantur. Feræ interea ut ex more mulgeantur incredibili mansuetudine Mamanti se sistunt: Quocirca oppressi nimia formidine milites, fugæ consilium capiunt. Quos ille bono esse animo iubens, se Mamantem esse, ipsosq; mox subsecuturum affirmat. His auditis protinus conscensis equis fidem martyri adhibentes urbem petunt. Ille autem maximo martyrij desiderio inflamatus ad Præsidentem perrexit. A quo rogatus quibusnam incantationibus & prestigijs feris animantibus imperitaret, ipsosq; ad nutum vteretur; respondit: Deo inquit vero deseruientibus cuncta famulatur, noruntq; eius seruos, ut decet, reuereri. Præses eo responso superatus, iubet eum suspensum atrociter cædi, cæsumque ungulis ferreis laniari: cumq; ea supplicia generosum martyrem nihili facere cerneret, demum in carcerem relegat. Interea præses fornacem succendi imperat, in eamque martyrem non à sententia recedat præcipitem dari. Et quidem generosus adolescens, ut primum ad tribunal productus, fornacem flammis accensam conspexit, Quintu, inquit ad Præsidentem, ea quæ mihi minaris constanter exequeris? Ego enim iam antè meam tibi patefeci sententiam, à qua non recedo. Itaque nutu Præsidis in fornacem coniectum diuina virtus à flammis ita immunem præstitit,

tit, vt quasi in florido prato cōsistens hymnis
diuinas laudes iugiter celebraret. Post tridū-
um porro sopito igne ac lignis omnibus in fa-
uillam redactis, existimans Præses martyrem
ad ossa igne depastum, reliquias lictoribus ef-
ferre iubet. Et ecce carnifices, præter omnem
expectationem, martyrem sanum planè & in-
columè, diuinasq; laudes iucunda voce depro-
mentem reperiunt. Quo sanè obstupefacti mi-
raculo, Præsidi anxie visa renūciant, magnisq;
clamoribus vel inuiti virtutem omnipotentis
diuulgant. Præses autem attonitæ & emotæ
mentis homo, cuncta magiæ & veneficijs as-
scribens: martyrem mente furibunda ad noua
certamina euocauit. Et quidem ductus in
theatrum, immisso in eum pardo & vrsō, de-
uorandus putabatur. Sed vrsus omni sæuitia
posita, humi ad eius se pedes abiicit, pardus ve-
ro in humeros eius citra vllam infiliens mo-
lestiam, lingua sudorem eius abstergebat, ac
demulcebat: alius autem leo diuina virtute
in theatrum immissus, cum multos spectan-
tium discerpisset, complures ea diuinitus ge-
ri prædicabant. Solus Præses seipso adhuc
durior atq; truculentior, aliū leonem in mar-
tyrem immittit; qui perinde omnis sæuitiæ
oblitus ad martyrem potius consolandam
quam puniendum videbatur accedere. His
maximo animi sui dolore visis Tyrannus ve-
hementer indoluit, & quendam è satellitibus
rogauit, vt ferreum in martyris viscera tridē-

Bb

tem

rem adigat, ac celeri morte ignominia debeat. Paruit is & ferrū magna vi ambabus torquens manibus sacra martyris viscera traiecit. Martyr autem sanguine manantia fert intestina, perq; medium theatri incedens, vrbe egreditur, & in spelunca duobus inde stadijs distante se reclinans, ad præmia martyrij diuina inuitatus voce euolauit.

MARTYRIVM S. MAXIMI PVERI IN
Africa, ex Victore Vticensi. 17. Augusti.

Sur. Tom. 4.

CVM Rex Hunericus Arrianæ perfidæ propugnator, tota Africa religionem Catholicam delere, & in orthodoxos sæuire aggrediretur, septem vnus monasterij fratres, videlicet: Bonifacium, Seruum, Rusticum, Liberatum, Rogatum, Septimum & Maximum, è territorio vrbis Capsensis, Carthaginem perduxit. Quos primum blandimentis tentatos, & carceribus afflictos cum à fidei constantia depellere non posset, naui impositos in medio iubet pelago concremari. Itaque cum fiducia ad supplicium quasi ad epulas properantes, concinebant: Gloria in excelsis Deo, &c. Vnum tamē illorum nomine Maximum, qui infantulus videbatur à consortio sanctorum auellere auctores malorum maximopere conabantur, dicentes: Infantule, quid festinas ad mortem? dimitte horum insaniam, nostrisq; ausculta consilijs, vt vita superstes tanti

*Alacritas
ad marty-
rium.*

regis

regis favore perfruaris. Quibus ille ætate quidem puerili, senili tamen maturitate occlamabat: Nemo me separat à sancto patre meo Liberato Abbate, & fratribus meis, qui me in monasterio nutrierunt. Cum ipsis in timore Dei conuersatus sum, cum iisdem extrema quoque lubens perpetiar. Simul nos septem Dominus congregare, simul etiam spero vna martyrij corona donare dignabitur. Perducti itaque cum festinatione ad nauale supplicium extensis manibus & pedibus figuntur clauis, tum faces lignis admotæ; verum mox ignis resedit, & quamuis iterum atque iterum magno conatu succenderetur: breui tamen diuino nutu sopitus, tyrannum furore ac verecundia compleuit. Quare ad extremum beati martyres, eius iussu remorum vectibus enecati, & comminuto more canum cerebro, desideratis martyrij laureis potiuntur.

MARTYRIUM S. AGAPITI PVERI

15. annorum apud Adonem Treuirensis Episc. 18. Augusti. Sur.

Tom. 7.

A pud Prænestinam urbem milliatio ab urbe trigesimo tertio S. Agapitus præclarum martyrij certamen sub Aureliano Imperatore, præside Antiocho, peregit. Cum enim martyrij amore ferueret, annorū nō amplius quindecim iussu Imperatoris diu crudis boum

Bb 2 neruis

neruis cæsus est. Deinde cū nihil eo supplicio moueretur, fuit Præsidi traditus: qui eum ter-
 terismo inclusum carceri quatríduana vehe-
 menter afflixit inedia. Tum vero è custodia
 eductus ardentibus prunis capiti eius impoli-
 tistortus est. Cumque in illis tormentis gra-
 tias insuper Deo ageret, flagellis cæsus, & nu-
 dus capite deorsum verso acri subter fumo fa-
 cto suspensus est. Sed nec illa tormenta mar-
 tyrem vel tantillum à constantia dimouere;
 quin potius forti ac virili animo Præsidi dice-
 bat: Sapientia tua & vanitas in fumo laborat.
 Præses ea martyris virtute irritatus, iterum
 flagellis à quatuor sibi inuicem succedentibus
 cædi, aqua bulliente perfundi, & maxillæ eius

Constantia confringi iussit. Sed non tulit homo nefarius
Et fortitu- impunè quod in martyrem impiè molieba-
do marty- tur, nā subito casu è tribunali prolapsus, pau-
ris, lo post infelicem animam gemebundus effla-
 uit. Porro Imperator Aurelianus audita præ-
 fidis sui morte, & inuicta Agapiti virtute, ius-
 sit martyrem leonibus obijci: qui mox feri-
 tatis obliti, pedibus se beati athletæ prostra-
 uerunt, eiusque plantas multa mansuetudine
 lamberunt. Hoc videntes sceleris mini-
 stri, eductum è theatro martyrem
 gladio trucidarunt.

VITA

VITA S. LVDOVICI EPISCOPI TOLO-
sani ex diplomate Ioannis XXII. Pontificis.

19. Aug. Sur. Tom. 4.

Lvdouicus eximius Christi confessor, clarissimo stemmate prognatus, patrem habuit Carolum Siciliae Regem, matrem vero Mariam Regis Hungarorum filiam. Genus sane illustre; & quod alijs superbię fomitem administrare solet, hoc adolescenti huic pręter communem naturę modum admirandę humilitatis ac sanctitatis suppeditaui materiam. Hic a puero pręter alias egregias virtutes singulari castitatis laude excelluit, & senili maturitate posthabitis eiusętatis ineptijs, diuino fecultui & honestissimarum disciplinarũ exercitationibus mancipauit. Annos porro natus quatuordecim fastu humanę glorię viriliter calcato, mentem virtutibus excolere satagebat. Id vero temporis Patris sui redimendi causa obses cum duobus e suis fratribus fuit in Cataloniam ductus; cumque vnā cum alijs militari custodia teneretur, ipse seniores iunior pręclare consolabatur. Atque vt animum magis magisque contra aduersos casus omnes roboraret, oblata in eo exilio opportunitate egregiam studijs operam nauauit: toto quippe septennio fratrum Minorum, quos indiuiduos exilij sui socios habebat, disciplinis erudendum se tradidit, ea dexteritate ingenij atque profectu, vt pręter Theologicarum rerum insignem peritiā, pari eloquentię laude flo-

Bb 3 reret,

Castitas.
Morum
maturitas.
Pietas.

*Donatio.**Asperitate
vita car-
nis adomant.*

reret. Solo vero pietatis & deuotionis studio ductus, horarias preces, iuxta ritum fratrum Minorum summa cum animi attentione persoluebat; extensisq; brachijs Dominicę passionis legebat officium. Vigilijs insuper, ieiunijs, asperitate vestium & alijs corporis afflictionibus rebelles carnis motus spiritui subdebat: Sacrum Missę officium præmissa sacramentali confessione magna deuotione audiebat: ac postremo diuino Eucharistię ferculo animũ frequenter pascebat. Cumq; expletis omnibus virtutum numeris, religiosę etiam vitę institutum fuisset complexus, post munus antistitis religiosissimè peractum, plurimis claris miraculis migravit è vita.

N I V A R D I I V N I O R I S F R A T R I S S.
Bernardi gnome in vita S. Bernardi 20. Aug.

Sur. Tom. 4.

Admirabilis Dei gratia, quos de illustri familia B. Bernardi, piorum parentum votis sibi destinatos exceperat, eosdem omnes Christiana perfectione illustriores in Cisterciensi cænobio sibi, raro post homines natos exemplo, consecrauit. Adueniente igitur die, quo solenni iureiurando se perpetuę seruituti Christo deuouere statuerant, B. Bernardus, quinq; secum adducens fratres, è paternis ædibus prodibat. Cumq; Guido maior natu, fratrem iuniorem in platea puerum cum pueris ludentem cerneret: Eia, inquit, Niuarde frater,

ter tu solus bonorum omnium hæres ex asse
relictus es: ad te omnis terra possessionis no-
stræ respicit: Ad quod puer non sanè pueri-
liter motus: Vobis ergo, inquit, cælum, & mihi *Sapientia*
terra? Non est illa ex æquo facta diuisio. Quo *pueri.*
dicto abeuntibus illis tūc quidem domi cum
patre remansit, sed modico post tempore fra-
tres secutus, nec à patre, nec ab amicis, vlla vi
potuit retineri.

MARTIRIVM S. SYMPHORIANI ADO-

lescentis 22. Aug. Sur. Tom. 4.

AVreliano principe aduersus Christia-
num nomen dirâ persecutionis procel-
lâ excitante, Augustoduni erat Symphorianus
Fausti nobilis viri filius, Christiana familia or-
tus, literis & moribus pbe institutus, ita vt pri-
mæ ætatis florentes annos, senum mores & gra- *Puritas*
uitatem præ se ferens, immaculatę mentis syn- *animi.*
ceritate superaret. Is itaq; ætate peradolescens
tantâ virtutum suarū omnibus bonis spẽ fecit,
vt eum cum supernis virtutibus meritorū ha-
bere cõsortium non sine admiratione statue- *Simplicitas*
rent. Illustrabat enim eum cælestis sapientiæ *tas.*
spiritualibus gemmis ornata simplicitas, &
ipse iustum vitæ tramitem tenens, felicitis gu-
bernaculi moderatione vtens, malè blandien-
tis mundi naufragia vitauit. Per id tempus He-
duorum ciuitas Augustodunum, antiquæ no-
bilitatis titulis & sacrilegæ religionis referta
cæremonijs, errorique seruiens, Berecynthiæ
inprimis Apollinis & Dianæ cultum studio

propensiore complectebatur. Conuenerat
tum ad Berecynthiæ matris dæmonum pro-
fanam solennitatem magna populi frequentia,
Porro Heraclius consularis, ea in vrbe adper-
quirendos dissipandosq; Christianos cum pri-
mis sagax & curiosus residebat. Adfuit & Sym-
phorianus, & cum statuam Berecynthiæ, quæ
carpento vehebatur, agminibus stipatam po-
pulorum, per contemptum adorare noller,
publicæ seditionis prætextu comprehensus
tenetur, & Heraclio consulari offertur: A quo
interrogatus cur deæ matris effigiem adorare
noluerit, Christianum se esse respondit, & si-
mulacra dæmonis nō solum non adorare, sed
etiā malleis si permittatur esse confracturum.
Ego enim, inquit, nunquam statuam hanc ali-
ud, quam diabolicæ persuasionis infautum
simulacrū, & publicæ perditionis dæmonem
putabo. His auditis Iudex præcipiti furore ex-
asperatus, iussit eum flagris cæsum à lictoribus
carceri mancipari. Postea ad certum tempus
inde productū, blandimentis & promissis ag-
greditur. Symphoriane, ait, sacrificia dijs, vt
summæ palatij honoribus perfruaris. Sin re-
cusas, hodie te, deos testor, inuitus poenis om-
nibus excruciatum capitali sententiæ subijce-
re cogor. Cui Martyr: Quid, inquit, refert, si
vitā quam Christo ex debito soluturi sumus,
ex voto soluamus? Munera enim vestra fucati
mellis permista dulcedine, malè credulis mē-
tibus venena parturiunt. At nostræ opes & di-
uitiæ

uitiæ semper in Christo sunt, quas nulla vn-
quã vetustas, nulla temporis diuturnitas cor-
rumpit. Cupiditas vestra, etiam omnia habendo,
nihil possidet: quandoquidem diabolicis
obnoxia laqueis, infelicitis lucris perpetuis vritur
æstibus. Nobis vero nihil in hoc mundo
aufert humanæ fragilitatis lapsura conditio.
Gaudia vestra instar vitri ad solis splendorem
crepatis, dissiliunt. Quicquid finis interimit,
casus inuoluit, & cum perenni mundi vertigine
rapax tempus obducit. Solus Deus noster
beatitudinem sibi vendicat sempiternam, cuius
gloriæ exordium, omnis rerum nescit antiquitas:
eiusdemq; perennitatem, nulla abruptet series
inueterata sæculorum. Hæc aliaq; Symphoriano
prosequente Iudex furore concitatus, ait: Symphor-
ianus publici criminis reus, qui sacris aris nefarijs
vocibus iniuriam irrogauit, gladio ultore feriatur.
Ea prolata sententia cum Christi athleta duceretur
ad mortem, Christi victima futurus, venerabilis
eius mater de muro sedula illum voce ita exhortabatur:
Nate, nate Symphoriane, memento Dei viui.
Concipe fili, concipe animi constantiam. Timere
nō possumus mortem, quæ citra dubium perducit
ad vitam. Sursum fili erecto corde aspice illum
qui regnat in celis. Hodie tibi nate vita non tollitur
sed mutatur in melius. Et quamuis angustus callis
& iter durum atq; scrupulosum ærumnas & afflictiones
afferat: attamen hæc via est, in qua

Bb 5 per-

percussorem tuū prostratus interficis. Faceſſat igitur metus omnis tormentorū, quando breuiſſimo vitę curriculo propinqua meta finem imponit. Si hodie perduraueris fili, ad cæleſtem gloriam & ſupernam felicitatem felicifſima commutatione migrabis. Ita ergo S. Martyr extra muros eductus, à carnifice cæditur, & inter cæleſtes heroas accenſetur ſuo ſanguine purpuratus.

MARTYRIVM SS. CLAVDII, ASTERII

& Neonis puerorum 23. Auguſtj

Sur. Tom. 4.

A Pud Aegeam urbem, Lyſiæ præſidi pro tribunali ſedēti & Chriſtianos acri examine ad ſupplicia perquirenti oblati fuerunt ab urbis magiſtratu tres pueri, fraterno ſanguine & eximia pietate inter ſe coniuncti. Primus erat Claudius, qui à Præſide dijs ſacrificare iuſſus, animo planè virili & excelſo, nefarium facinus deteſtatus eſt, ſeq; intrepide ad virgarū ictus obtulit, eaſdemq; cōſtantiffimè pertulit. Tum in eculeo ſuſpenſum flammis torreri iubet, partesq; ex eius calcaneis præciſas illi ſpectandas offerri. Adhęc Claudius, Quiſquis Deum, inquit timet, nec igni nec tormentorum læditur violentia, quin potius patienter pro fide exantlata tormenta, ſalutem victoribus interminatā conciliant. Deinde ne tantillum quidem eo ſupplicio motum vngulis vexari iubet, At ille generoſo pectore præſidi inſul-

tans:

tans: faxo, inquit, isthac tolerātia, vt te demo-
num esse patronum cuncti intelligant: Mihi
enim nec tantillum nocebunt cruciatus tui,
quibus tibi met infelix flāmas infernales par-
turis. Tum Præses: Testis, ait, asperrimis e-
ius latera radite, & candelas ardentes applica-
te. Interea Claudius animo exultans. Tuus, in-
quit, ignis ô tyranne funestum à me arcet in-
teritū, & salutem mihi gignit optabilem. Quæ
enim propter Deum perpetior, lucro incom-
parabili potiora duco, morsq; ipsa pro Chri-
sto tolerata ingens diuitiarum pondus cælesti
deponit ærario. Victus demum Lysias præq;
furore infrendens, Claudio in custodiā abdu-
cto, iussit adesse Asterium. Quem blanda voce
compellans: Vel tu, inquit, fili cōmoda fidem
dictis meis, & sacrificia dijs, vt supplicia rebel-
libus constituta effugias. Ad quæ Asterius: V-
nus mihi æternusq; Deus è doctrina parentum
colitur: quæ vero abs te adorantur dæmonia
perrennibus te supplicijs viuū mortuūq;
mactabūt. His dictis in eculeum sublatu tor-
quebatur hortante Lysia, vt dijs immolaret:
Cui puer: Quin fratrem me agnoscis ipsius
quem modo interrogasti? vnus mihi cū ipso
est animus eademq; confessio. Quare vim om-
nem vt lubet in corpus exerce, quod tuæ po-
testati subternitur: animus vero tuis tormen-
tis lædi nescius, conatus tuos deridet. Tum
Lysias: Vngulas ferreas capeffite, & pedi-
bus eius colligatis fortiter eum torquete, vt
corpo

claudio
i.

corporis animiq; sentiat cruciatus. Cui Asterius: Nescis inquit insane quantam mihi compares gloriam, dum æggeras pœnam. Iubente igitur Lysia carbones ardentés pedibus eius substernuntur, & virgis ac nervis durissimis dorsum venterq; eius conscinditur. Quo facto inquit Asterius: Tu quidem plane cæcus es: sed vnum abs te peto, vt nullam corporis mei partem vulneris esse expertem sinas. Deniq; Asterio in carcerem abducto, Neon frater eorum tertius sistitur. Ad quem Lysias: vel tu fili accede, & facto dijs sacrificio à pœnis te immunem serua. Neon respondit: Dij quorum tu iactas numina, suapte se potentia, si qua illis inest virtus, tueantur, nec tuo imbecillioris se vindicent patrocínio. Sin vero malitiæ eorum socius es, multo equidem mihi videor te tuisq; dijs melior existeré, quod vobis minimè obtemperans supremi conditoris numen pia veneratione prosequor. Tum Lysias eo pueri responso grauiter commotus: Frangite, inquit, ceruicem eius & dicite: Noli blasphemare deos: Neo ait: Itane tibi blasphemus videor, sincerissimæ veritatis assertor? At Lysias: Extendite eum & carbones ardentés in eū conijcite, & nervis dorsum cōscindite. Quo peracto Neon ait: Frustra conaris me de sententia dimouere, non enim vtilitatem meam atq; animæ lucra turpi dispendio prodigam. Videns itaq; Lysias se puerorum constantia superatum, hanc in eos sententiam dictauit,

claudio
tem
mart
nas

P V

B
mo
Rhe
nitu
sta
tute
Caf
mè
nun
can
mo
us
bo
mi
ini
dij
lic
ve
ch
ce
mi
di
te

stauit, vt foris ante atrium Cruci affixi mor- ^{Omnes in}
tem subirent. Atq; hoc certamine gloriosi ^{crucem}
martyres trophæis victoriæ inclyti ad coro- ^{aguntur.}
nas feliciter euolarunt.

PVERITIA S. LUDOVICI REGIS

Francorum 25. Aug. Sur. Tom. 4.

Beatus Ludouicus Rex Francorum longè
pijsissimus, patre Ludouico Christianissi-
mo natus, anno ætatis suę circiter duodecimo
Rhemi ab Episcopo Sueffionensi, regia infig-
nitus corona, & consecratus fuit. At puer san-
ctæ indolis, itrenuissimo patre orbatus, sub
tutela & moderatione matris Blanchæ regis
Castellæ filiæ permansit: quæ illum tenerri-
mè diligens ex consilio religiosorum homi-
num, præsertim Dominicanorum & Francisc-
canorum singulari cuidam magistro tradidit
moribus ac literis instituendum. Ille vero pi-
us puer, & velut alter Salomon, ingeniosus &
bonam sortitus animam, præ coætaneis suis ^{Mundus}
mirè in vtrifq; profecit. A primis enim ætatis ^{ab omni}
initijs, deditus fuit pietatis & sanctitatis stu- ^{noxa mor-}
dijs, ferturq; vitam omnem absq; mortiferi a- ^{tali.}
licuius peccati perpetracione exegisse. Eius
vero sanctitati non rarò congratulans Blan-
cha mater: Mallem, aiebat, fili te mortuum
cernere, quam creatorem tuum mortali cri-
mine offendentem. Quæ verba vsq; adeo cor-
di ipsius inhæsere, vt diuina ipsum gratia pro-
tegente, nunquam in se eiusmodi crimen ad-
miserit.

miserit. O vitam plane regiam! Accessit dein
 maturior ætas primordijs tantæ virtutis con-
 sona. Quando sacro coniugij fœdere implica-
 tus (vt cætera præclarè gesta præteream) ope-
 ram dedit singularem, vt proles suas verbis &
 exēplis ad amorē Dei, ad mundi cōtemptum,
 & ad sui cognitionem institueret. Cū enim per
 otium liceret vacare sibi, inuisebat liberos suos,
 & instar Tobie monita salutis eis dabat: doce-
 bat ante omnia timere Deum, & ab omni sem-
 per peccato abstinere. Cumq; non ignoraret à
 delicijs castitati, à diuitijs pietati, ab honorib;
 humilitati magna impēdere picula, sobrietati,
 humilitati & misericordiæ dedit animū, proin-
 deq; à mundi, carnis & Satanæ insidijs sollicitè
 sibi cauens: atque cum Apostolo corpus suum
 castigās & in seruitutem redigens, multo tem-
 pore intima veste cilicina utebatur: quæ si non
 esset vsus, dehortante eum cōfessario propter
 nimiam imbecillitatem, volebat vt idem con-
 fessarius pro quadam compensatione diebus
 singulis quadraginta solidos Parisienses clan-
 culum in pauperes erogaret. Semper ieiunauit
 sextis ferijs, nec ijs diebus, præsertim in Ad-
 uentu & Quadragesima, piscibus aut fructibus
 vesci voluit, vigilijs orationibus & clandesti-
 nis abstinentijs perpetim se affligens. Tan-
 demq; post vitam sanctissimè traductam,
 inclytis beatorum choris transcri-
 bi promeruit.

EIVSDEM

IVSDEM S. LVDOVICI SANCTISSI-
mae institutiones quas Philippo primogenito suo in Tu-
netana obsidione dedit, quarum exemplar memorat.
Rob. Gaguinus, lib. 7. de gest. Francorum, in archi-
uis Caroli quinti Gallorum regis reper-
tum fuisse.

Elli mi, ante omnia diligenter in eam cu-
 ram incūbe, vt diligas Deum, nemo enim
 potest esse saluus nisi Deum amet.

Cave ne vnquam admittas peccatum mor-
 tiferū: sed omnia potius ferre velis genera tor-
 mentorū, quā aliq̃ talem ppetrare culpam.

Cum aduersa accidunt, feras æquo animo,
 & cogites te commeruisse: atq; ita lucrum tibi
 indè accedet.

Cum rebus prosperis frueris, humiliter Deo
 gratias age, ne indè animo elatus, efficiaris de-
 terior, vnde te oportuit fieri meliorem.

Crebrò cōfitearis peccata tua, deligasq; ti-
 bi sapientes confessarios, qui te possint insti-
 tuere & docere, quid te agere quidue vitare o-
 porteat, & coram illis ita te compara, vt aude-
 ant sincere te reprehendere, & tua tibi vitia
 indicare.

Officium diuinum deuotè ausculta: facies-
 sant ibi fabulæ & nugæ, nec oculi huc atque il-
 luccircūferantur: sed ora Deum ore, & etiam
 meditando corde, idq; præcipuè sub sacrificio
 post peractam consecrationem.

Animo sis pio & humano erga pauperes &
 calamitosos, ijsq; pro viribus opitulare.

Si quid animum angat id mox confessorio, aut viro alicui bono expone, ita fiet, vt facilius id feras.

Da operam, vt quorum vteris consuetudine & familiaritate, ij sint homines probi & integri, siue religiosi illi sint, siue sæculares, & cum illis libenter misce colloquia: porro nequam & improborum virorum commercia deuita.

Sermones qui fiunt de Deo, publicè & priuatim lubens audias, preces quoque & condonationes siue Indulgentias studiosè expetas,

Amato bonum, odio habe vniuersum malum.

Nemo te præsente quicquam eiusmodi loqui audeat, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ derogat; nec tu vquam de vilo malè loquaris obtrectandi animo.

Non patiaris quenquam te audiente, peruerse de Deo aut sanctis eius loqui, nec id finas impune abire.

Crebro gratias age Deo, pro bonis omnibus ab illo tibi collatis, vt dignus fias potioribus eius beneficijs affici & augeri.

In administranda iustitia sis rectus & severus, eamque iuxta legum præscriptiones erga subditos exerce: pauperum vero querimonias caue reijcias donec veritas innotescat.

Si quis habeat aduersum te querelam aut controuersiam, semper ab illo stes contra te ipsum,

ipsum, donec rem certam comperias. Ita enim fiet, ut consiliarij tui fidentius iustam ferant sententiam.

Si quid possideas rei alienæ, etiam si id acceperis à maioribus tuis, incunctanter iusto possessori restitue, ubi id certò constiterit. Sin autem dubia res est, cura ut viri sapientes accurate & sine mora inquirant. Id enim vel maxime studere debes, ut qui sunt in ditione tua, pace & iustitia fruantur, in primis homines religiosi & qui in clero sunt.

Parentibus tuis debes amorem, reuerentiam & obedientiam. Beneficia ecclesiastica ne conferas nisi benè dignis, & qui nulla eiusmodi beneficia habeant, idq; ex cōsilio bonorum virorum.

Bellum, præsertim aduersus quemlibet Christianum, sine multo cōsilio vide ne suscipias. Si necessitas cogat suscipere, ecclesias & infantes nullo patiaris damno affici.

Si qua existat vel tibi, vel subditis tuis contentio, vel bellum, quoad poteris sedare & componere coneris.

Vide ut bonos habeas prætores & magistratus, & de illis solerter inquiras, uti se gerant.

Semper sis addictus & deuotus Romanæ Ecclesiæ: & eius Pontifici, haud secus atq; spiritali patri, te morigerum præbeas.

Da operam ut impensæ tuæ moderatæ sint & rationi consentaneæ.

Sub finem hortor & adiuro te fili mi, si me

Cc

con-

contigerit ante te migrare ex hac vita, vt toto regno Franciæ preces & sacrificia pro me cures offerri.

S E P T E M B E R.

PVERITIA S. NICOLAI TOLENTINAE
natis ordinis S. Augustini 10. Septemb.

Sur. Tom. 5.

S Nicolaus Tolentinas, è sterili coniugio, post multas parentum preces, & votum B. Nicolao factum in territorio Firmanæ ciuitatis, quod castrum S. Angeli vocitant, procreatus, prædictionem S. Nicolai eiusdem parentibus de futura filij sanctitate factam, admirandæ virtutis & pietatis comprobauit exemplo. Hic inter primordia ætatis adhuc paruulus mulierum & puerorum leuium non lasciuiam modo, sed & consortia sedulo deuotans, religiosæ iam tum vitæ specimen præbebat: Pauperes in domo paupere cupidissimè recipiebat: Rebus diuinis libentissimè intererat. Verbum Dei haud aliter ac maturæ ætatis homo attentissimè auscultabat. Quæ cum in puerulo sui castri homines non sine admiratione notassent, de futura eius sanctitate minime dubijs sententijs augurabatur. In Ecclesia adeo pium & deuotum in Deum erigebat animum, vt etiam corporeis oculis Christum in iuuentute vidisse credatur. Hinc cū tot clarus virtutibus cunctis mirifice diligeretur, in Ecclesia S. Saluatoris canonico beneficio honoratus.

*Fuga prima
na societatis.*

*Miseri-
dia.
Pietas.*

noratur. Verum haud multo post, dignitates
opesq; mundanas pertæsus, & diuitias illas po-
tiores animo cupidiorè prælibans, in cælesti-
bus curam cogitationemq; defixerat. Accidit
interim, vt quidam Prior Ordinis Eremita-
rum S. Augustini vir vitæ meritis & doctrina
eximius in platea concionem ad populum de
mundi vanitate & contemptu haberet, illud
B. Ioannis inculcans: Nolite diligere mūdum,
neq; ea quæ in mundo sunt, transit enim mun-
dus & concupiscentia eius. Quæ sententia ani-
mum iuuenis adeo penetravit, vt mox à con-
cione eundem adiret Priorem, & summis præ-
cibus in eandem vitæ societatem postularet
admitti. Fuitq; ipsius desiderio, explorata tã-
men prius parentum voluntate, satis benignè
factum. Ipse vero in religiosæ vitæ stadium
admissus, mox ardua quæq; sanctitatis moliri
opera; carnem longa atterere inedia; precibus
ac lachrymis insistere; cælestium commenta-
tione rerum mentem ad æternitatis studia as-
siduo excitare; deniq; alia instanter agere, quæ
ægrè admodum miles etiam veteranus asse-
quitur. Cum enim prudenti cogitatione di-
spiceret votorū nefariā esse transgressionem,
castitatem vero seruari haud posse nisi corpus
castigetur & in seruitutem redigatur, seuerio-
ris vitæ consilium cepit; & ieiunijs precibus
ac duris corporis castigationibus semper in-
cumbens, omnem vitam suam inter mundi
huius tentationes puram & castam exegit.

*Auspica-
tur vitam
monasti-
cam.*

*Castitas
prudenter
defensa.*

Interrogatus autem, quānam posset carnis tentationibus & libidini resistere, nihil respondēbat. Nouerat enim vir sanctus, hostem antiquum magna calliditate semper id agere, ut quem nō possit voluptate vincere, vanę glorię laqueis implicatum elidat. Quo ille viriliter superato, vitaq; in summa sanctitate traducta, ipsomet Christo illum ad regni sui gaudia inuitante lætus exspirauit.

PVERITIA S. GUIDONIS CONFESSORIS,
ris, Anderlaci propè Bruxellas quiescentis.
 12. Septemb. Sur. Tom. 5.

Amat paupertatem.

VIR venerabilis Guido in pago quodam Brabantię, tugurio rusticano & paupere domo natus & educatus est; atq; in ipsis primę ætatis iniurijs penuriā diuitias putabat, ut quantum illa patiebatur ætas, è pusillo Christi gregē esse totis viribus contenderet. Suffurabatur iam tum parentum oculis certas horas, quibus ecclesiam oraturus adiret, vel infirmis, quicquid ex facultatibus suis licet exiguis habere poterat impertiret. Nec eum hilarem vlla vidit dies, qua nō prius aut in preces incubuisset, aut eleemosynam præstitisset. Stupebat genitor, & vicini pariter admirantes diuinum aliquid iam omnes in eo venerabantur. Peruenit tandem ad villulam Lakensem: vbi cum in Ecclesia virgini Matri sacra preces de more peregisset, presbyter loci illius captus eximia eius pietate, & venusti vultus grauitate, eum ad se inui-

Deuotio.

Misericordia in pauperes.

inuitauit, persuasitq; vt operam suam, relictis
mundi vanitatibus, Ecclesiæ illi deinceps cō-
ferret. Nō recusauit optatam diu cōditionem
Guido, sed mox paternæ domus & rerum o-
mnium oblitus, ad Ecclesiæ istius, ac præcipuè
animæ suæ cultum totum se contulit. Dabat
igitur operam vt altare niteret, testudo, pau-
mentum, Sacrarium nihil haberent sordium,
& vasa tersa ac munda apparerent. Diuersi ge-
neris floribus & arborum frondibus cācellos
& thecas sanctorum vestiebat; vt quicquid in
illa æde vel aspectu vel dispositione placeret,
eius laborem & studiū testaretur. Si quis eum
quæreret, in templo reperiēbat. Inuidiam hu-
militate superare, nulli vnquam obsceno ser-
moni locum dare, non contra Euangelij do-
ctrinam duas habere tunicas, potiusq; ad alie-
nas fores stipem emendicare, quàm se peten-
tem sine eleemosyna dimittere, studebat. Cor-
pus domabat & conficiebat ieiunijs, crebro in
Ecclesia pernoctabat, & quod sanè difficilli-
mum est, absq; suæ animæ detrimento omni-
bus placebat. Nunquam in ore eius risus, aut
puerili leuitate effusus, aut muliebri petulan-
tia fractus videbatur. Peccata quotidiana & si-
ne quibus vita præsens nullo modo ducitur,
tanta lachrymarum vi diluere solebat, vt im-
manium scelerum reus videri posset. Atq; ita
vitæ stadio castè integreq; decurso, cum morti
iam propinquaret vocem ad cæleste brauium
inuitantis audiuit: Veniat dilectus noster ad

*Dat operā
ornando
templo.*

*Corpus ie-
iunijs edo-
mar.*

Gravitas.

Pœnitentia.

percipiendam æternę iucunditatis coronam, quia fidem seruauit. Moxq; aduolantes ij qui in domo erāt sanctam illam animā corporeis solutam vinculis ad cēlos migrasse inueniunt.

PVERITIA S. AICHARDI ABBATIS Glomefensis 15. Sept. Sur. Tom. 5.

Sanctus Aichardus Anschario & Ermena nobilissimis apud Pictauienses maioribus natus, mox ut primos intelligentiæ annos attingit tam multiplici cœpit virtutum omnium emicare splendore, ut parentes haud exiguum in eo summę virtutis spem collocarent. Inter ea cum pater artis militaris laude celeberrimus, filium perinde militaribus vellet assuescere negotijs, obstabat mater, natum suum dictitans, in magno partus discrimine, diuino cultui à se ex voto destinatum. Cum vero pater votum isthuc pertinaci contentione improbare, velletq; modis omnibus filium ad summos militiæ honores prouectum, ecce Aichardus ad dirimendam litem medius interuenit, dixitq; nulla se rerum mortalium ambitione teneri, neue vlla inanis militiæ pompa delectari: Christi vero se militem esse decreuisse, ab huius se militia nō nisi sola morte auulsum iri. Erat eo tēpore in finitima regione vir prudentiæ & honestatis opinione in primis celebris: cui principes & magnates filios suos disciplinis optimis imbuendos committebant. Multi enim ex eius disciplina moribus

ribus & eruditione præstantissimi prodibant:
 quorum deinde virtutes in Ecclesia cum in-
 genti omnium admiratione claruerunt. Hu-
 ius igitur fama excitatus optimæ indolis & ge-
 neroli animi puer, illic eum adiit, & parenti-
 bus nequaquam inuitis in eius sese discipli-
 nam tradidit. Qui eum gratanter recipiens,
 primum diuinæ psalmodiæ iussit prægustare
 dulcedinem, quam mira celeritate addidicit,
 ac deinde breui tempore in omni genere sacre
 disciplinæ adeo cœpit excellere, vt cunctos
 nō solum præiret scientia, sed virtutum etiam
 laude superaret. Et quamuis decem videretur
 annorum, ieiunij tamen obseruans, patientia
 fortis, humilitate fundatus, ac cæterarum vir-
 tum gratia decenter fuit ornatus. Interea subit
 animum cogitatio, vt à tumultu sæculi redu-
 ctior, qui secretū amantibus per molestus est,
 in arcem contemplationis euaderet. Hæc illi
 cogitanti auditus est locus celeberrimus, cui
 nomen Ansonis, in quo ingens monachorum
 numerus sub regularis vitæ disciplina piè ad-
 modum Deo militabat. Isthuc ille iā duoden-
 nis, sumpta prius à magistro licentia, & paren-
 tibus salutatis, qui eum summopere ab ea in-
 tentione reuocare conabantur, contendebat.
 Quibus cum ille nulla ratione persuadere pos-
 set, vt paterentur ipsum Deo seruire, cui suo
 æque ac materno voto esset obstrictus, illis in-
 uitis ad locum memoratum abcessit. Vbi be-
 neuolè ac reuerenter à fratribus monasterij

Ieiunium.

Patientia.

Humilitas.

susceptus, & coma capitis de more deposita, suaue Christi iugum cōstante nō minus quam ardente animo amplexus est. Susceptus itaque intra caulas Dominici gregis agnus innocens, memoranda de se humilitatis, obedientiæ atq; patientiæ exempla cunctis exhibuit. Nec vero diu sub modio suam Christus lucernam fuit delitescere, sed miraculorum laude propalam illustravit. Cæci enim, claudi & varia clade depressi monitis angelicis ad eum ire iubebantur, & quocunq; morbi genere tenebantur celerem reportabant salutem. Quam ille præclare factorum gloriam à notitia hominum, ni facultas defuisset, studiosè occulisset: sed magnalia Christi per vicos & plateas vox publica personabat, quæ in aduentu Aichardi præsentem regionem à Deo visitatam esse asferebat. Iam viginti annos venerandus adolescens impleuerat, cum die quodam à fratribus ad opus obedientiæ missus, longius à monasterio digreditur, psalmodiæ cursum ex more solus decantans: & ecce repente vox cælitus ad aures eius demissa insonuit: Ibunt de virtute in virtutem. Ea vox vt summo illi gaudio fuit, ita acriores multo stimulos addidit ad summum virtutis culmen viriliter conscendendum. Itaque arctioribus in dies ieiunijs & vigilijs carnem domare, præsentis vitæ curas penitus negligere; assidua mente & cogitatione cælestibus inhærere; charitatis opera indefessè sectari; deniq; nihil non moliri, vt suam

alio-

Arctius vi-
ta genus ag-
reditur.

aliorumq; salutem in tuto collocaret. Hinc pia illa inprimis sollicitudo, quomodo parentem diuitijs inclytum & delicijs assuetum, ad strictioris vitæ viam alliceret, suaderetque vt opes & possessiones amplissimas ad vnius Dei cultum transferret. Nec mora: Fufis ritè ad Deum precibus, fiduciaque rei bene gerendæ plenus patrem aggreditur, & multis verbis grauiffimaq; oratione permouet, vt ex hæreditarijs bonis Ecclesiam Deo construat. Annuit benignè pater, eiq; non modo ingentem auri & argenti vim, sed & vicum Quintianum cum possessionibus amplissimis tribuit, vt in eo sacram ædem excitaret. Vbi ille tandem oratorio Virgini Matri sacro, ac monasterio constructo, multos Christianæ militiæ athletas sanè egregios sub signis collegit, tantaque dexteritate & gratia disciplinam instituit, vt passim omnes in sui admirationem pertraheret. Tandemq; nongentorum monachorum præfectus contubernio, cum maiorem horum partem beatissimo exitu vna die præcedere conspexisset, in lectulum cilicio stratum se collegit, & eleuatis in cælum oculis, ad beatæ immortalitatis præmia est subsecutus.

*PVERITIA S. LAMBERTI EPISCO-
pi Tungrensis & Martyris 17. Sept.
Sur. Tom. 5.*

D Lambertus, insigni prosapia in oppido
Traiectensi oriundus patrem habuit
Cc 5 Aprum

*Discipul.**Morum
maturitas.**Elemosy-
na.*

Aprum nomine matrem Herisplindem; am-
bos multa nobilitate conspicuos. Porro pue-
rulus multis magnisq; naturæ & gratiæ doti-
bus ornatus, ab ipsis primæ ætatis initijs literis
adhibitus, & paulo post beato Landoaldo, vi-
ro & sapientia & sanctitate cū primis claro in
disciplinam traditus est. Apud quem ecclesia-
stica religione admodum fit insignis, & cele-
stium mysteriorum feruenti amore medulli-
tus inflammatur; tantoq; celerius liberalium
artium fluente epotauit, quanto ardentius to-
rum se in Dei amorem transfuderat. Tandem
diuinis pariter & humanis ac monasticis etiam
disciplinis probè instructus, ad patrem re-
diit: à quo peramanter acceptus incredibile
cū parentibus tū cognatis omnibus, mul-
tiplici sua eruditione & rara prudentia, gaudi-
um attulit. Porro sanctus & strenuus puer to-
tis ad hoc viribus incūbebat, vt in virum per-
fectum euaderet, vnde licet ætate esset iuueni-
li, morum tamen grauitate & maturitate se-
nilem constantiam referebat; vitabat iactan-
tiam, pompam & fastum sæculi magno ani-
mo calcabat: quicquid habere poterat in pau-
peres erogabat. Obtinebat id temporis pon-
tificiam apud Traiectenses dignitatē S. Theo-
dardus vir doctrinæ & virtutum laude cele-
berrimus in cuius disciplinam egregius ado-
lescens Lambertus concessit: seq; solerter ma-
gisterio religiosissimi antistitis accomodans,
ipsum venerabatur vt dominum, diligebat vt pa-

patrem, inque obediendo nullam officij partem prætermittebat. Et quidem egregia nobilitate eximius iuuenis, & corporis formæ elegantissimus, tantis apud B. Theodardum virtutibus effloruit, ut eum sibi quandoque Episcopalis officij auguraretur fore successorem: atque adeo ipsum, nisi Canonum auctoritate prohiberetur, ex nomine designare optasset. Neque eum sua fefellit opinio: Mox enim ut ab impijs trucidatus Theodardus, & præclaro laureatus martyrio, mortalitatem deposuit, populus Traiectensis vna omnium voce Lambertum multis reluctantem Episcopum sibi poposeit. Quo ille officio summa cum laude perfunctus, præclara antea vitæ merita, martyrij demum gloria cumulauit.

DE SS. MARTYRIBVS CYPRIANO

Diacono, & Iustina virgine ex Simeone

Metaphraste 26. Septemb.

Sur. Tom. 5.

Iustina Antiochiæ oriunda, cum Praylij diaconi sermonibus adducta, in Christum credidisset ac deinde, cum parentibus suis Aedesio & Cledonia ab Optato Episcopo sacro baptismate fuisset expiata, cœpit fidei fundamento quouis auro & lapidibus pretiosis nobiliores superædificare virtutes: quas contra hostis malignus varijs modis sibi oppugnandas suscepit. Erat ea in vrbe literarum candidatus quidam Aglaidas nomine, honesto
admo

admodum loco, patricio genere natus atq; opibus locuples, qui visa Iustine pulchritudine, tanto illius amore exarsit, ut nihil non moliretur, quo cupitis eius frueretur amplexibus. Et primo quidem vias obseruans occurrebat, eamque perbeneuole affatus, laudabat eius pulchritudinem, beatamque vocabat quod ea sibi obtigisset: suum adhuc desiderium quibusdam signis manifestabat, multisque, ut ita loquar, retibus prædam præocupabat. Sed virgo hæc omnia ceu probra nugæque aspernata, digna potius duxit quæ riderentur, quam quæ pudicis oculis atq; auribus auscultarentur. Hunc ergo scopum cum non potuisset attingere Aglaïdas, alia ingreditur via, petitque ut connubij legibus sibi sociari non detrectet. Iustina vero, quæ soli se Christo Sponsam dedicarat, alios cōstanter dedignabatur dicens: Sufficit sponsus qui mihi seruat virginitatem, & ab omni puram inquinamento custodit. Hoc responso sauciatus lasciuus adolescens, cum non paruum manu collegisset, Iustinā in via aggressus, eam per vim abducere tentabat: sed simul ut in vrbe, ædibusque maternis audax isthoc facinus suboluit, submissis armatis, lasciuix satellites victi dedecore disparuerunt. Miser vero Aglaïdas posito pudore, neque ensium multitudinis, neque ullius rei alterius curam gerens, sed virginem amplectens, paratus erat omnia pati potius, quam ab ea discedere. Virgo autem heroica mente

*Castitatis
custodia.*

*Vouit vir-
ginitatem.*

mente moderatissimi & generosissimi illius Iosephi æmula impuram hominis mentem execrata, Crucisq; figuram tãquam arma opponens, collectis viribus repentè se ex eius manibus excussit; proculq; eum à se reiiciens, plurimis affecit contumelijs, eiusq; vultum, ut dignus erat, pugnis ac sputis impleuit. Suffecerat quidem ad amoris vim reprimendam virginis animosa seueritas: at ille nihilominus, extrema amoris occæcatus dementia, hoc vnum vel morte grauius putabat Iustinam non assequi. Itaq; cum ad impuras cupiditates reprimendas planè inexercitatus esset, totum sese desiderijs permisit, omniq; fori & generosa cogitatione reiecta, solum quod dolor & amor suadebant, exequi statuit. Erat ijsdem temporibus Antiochiæ Cyprianus quidam arte magica instructissimus; qui magnum nomen sapientiæ & eruditionis in magicis rebus obtinebat. Eum infelix iuuenis adiit & ingentibus oneratum promissis ad Virginis animum impuri amoris facibus inflammandum prouocauit. Is vero supercilio eruditionis & sapientiæ elatus, spopondit se extemplo quod vellet confecturum, virginemque ea amoris vehementia incensurum, ut vtrò etiam amplexus concupisceret. Nec mora, Cyprianus euocato ex malignis spiritibus vno, quem promptè & alacriter ad hæc flagitia opem ferre nouerat, exponit quid fieri velit. Ille eum sine cura esse iubet, tradensque vasculum pestifero

*Pugnat pro
castitate.*

stifero succo plenum, mandat ut eo virginis
aspergat domum; & nisi omnia è sententia suc-
cedant, se de cætero iure despectum iri. Facit
cuncta ex mandato magistri Cyprianus: as-
pergit domum, adhibet nefanda carmina:
Virgo autem cum tertia hora noctis surrexis-
set ad reddendas Deo preces, tentatoris sen-
sit insultum. Stupet illa: miratur insolitam li-
bidinis vehementiam: ad preces conuertitur,
lachrymatur, Christum adiutorem magicæ
fraudis nescia inuocat. Sed crescit magis inde
ac magis in virginali pectore amoris flamma.
Neque tamen despondet animum generosa
virgo: quin potius fide, precibus, alijsq; spiri-
tualibus armis undique tecta, carnem instan-
tius edomat, hostemque infringit: ac tandem
pudore affectum edito Crucis signo in fugam
conuertit. Ille autem reuersus ad Cypria-
num erubescerebat quidem fateri se victum: &
multis se circum agens anfractibus, huc illuc-
que vertebat: Diligenter tamen rogatus: Vi-
di, inquit, signum quod valde exhorruï, ne-
que vilo modo vires illius sustinui. Illo ergo
sic condemnato, mox alius priore ad agen-
dum multo peritior accersitur dæmon: qui ta-
men similibus propulsatus armis, cum dede-
core ad eum qui miserat redijt. Post hoc
princeps dæmonum, acre suis minitans sup-
plicium accessit, Cyprianumque solatus, haud
dubiam ei de virgine spondit victoriam.
Is igitur noua fraude & calliditate instru-
ctus,

Quis, sumpto muliebri habitu, sub prætextu pietatis virginem aggreditur: simulans se eodem virginitatis desiderio inflammata[m] scire cupere, qua ratione hostiles insidias euitare posset. Cumque virgo sancta multa eximia pietatis documenta proferret, dæmon humana specie tectus, inter verba ad matrimonij dignitatem tanquam tutiorem salutis viam sermonem conuertit, ac valido argumento, carnalem copulam Deo magis quam virginitatis votum gratam esse ostendit. Quo audito, Iustina dæmonis insidias pertimescens surgit: ac Crucis trophæo de more se consignans, mox dæmonem, quem verè puellam putabat euasisse conspicit. Post quæ dæmonum ille princeps ad Cyprianum rediens fateri coactus est, sola se crucis virtute in fugam fuisse conuersum. Quo responso vehementer commotus Cyprianus, grauiter dolere cæpit vitæ superioris institutum. Itaque abolitis igni libris magicis totum se ad Christi Domini fidem conuertit. Quam ob causam vnà cum virgine Iustina comprehensus, post colaphos, flagella, sartaginemque piceatque adipe bullientem constanti virtute toleratos, Nicomediæ securi vterque percussi, finem mortalitati imposuerunt.

EXEMPLVM B. ARCHIPPI QVOD HABETUR IN NARRATIONE MIRACULI FACTI IN REGIONE Chonen-
si à B. Michaële Archangelo, apud Metaph.
5. Sept. apud Sur. 29. Sept.

ARchippus puer hieropolitanus, cum pij seminis & verè bonæ radicis esset bonum germen, tâquam quoddam lilium in medio heresum spirans pietatis suauitatem decimo anno ætatis venit ad ædem D. Michaelis, vt qui à diuina duceretur prouidentia: factusq; eius templi ædituus diuina gratia inuentus est dignus. Carnis enim voluptatem tam pulchrè superauit, & tam pulchra fuerunt eius vitæ procœmia, vt neq; pane vesceretur, neque alio quo eorû quibus homines necessario vescuntur, Non utebatur balneis, neq; corporis sui vllam curam gerebat: sed semper spiritali viuendi rationi vacabat, idq; cum esset puer & necdû perfectiorem attigisset ætatem. Quod quidem pene esset incredibile, nisi magnitudo virtutis & spectaculorum, quibus dignus est habitus, isthoc redderent probabile. Nam herbas quidem coquens comedebat, easq; aggregantes, & quæ ne tantillo quidem salis aspersæ erant. Id vero cibi genus semel quot hebdomadis capiebat. Indumentum autem erant duo sacci, vnus quidem pro tegumento corporis, alter vero pro stragulo, quos per vices annorum commutabat, stragulo eum destinans, quo per annum fuerat antè amictus. Et si

*Canem
edomat.*

*Vita aspe-
ritat.*

quando eum necessarius somnus opprimeret, cubili acutis lapidibus strato, suppositisq; capiti sentibus sacco obductis utebatur. Ad hanc vero laboriosam asperamque vitam incessanter tuendam hisce semet vocibus excitabat: Ne bona huius vitæ oculos meos irretiant, neue mens præsentī implicetur vanitati, imple Domine oculos meos lachrymis spiritualibus. Contere cor meum & dirige gressus meos. Quid enim mihi prodest hoc corpus è luto factum, quod nunc quidem est, paulo post occidet: quod manè velut herba florescit, at vespere flaccescit. Liceat mihi vni bono animæ adharere; quod mihi omnino conciliabit eam, quæ illic est, beatitudinem.

EXEMPLVM B. RIPSIMES VIRGINIS
& martyris, habetur apud Simeonem Metaphrasten.
30. Septemb. in vita S. Gregorij martyris
magna Armenia.

Diocletiano Imperatori nuptias cogitantē Ripsimes monialis perelegans & celebris forma innotuit, eiusq; sibi oblata imagine vehementiori amore succensus, appabat thalamos, & missis ad Ripsimem adulato-ribus, hortabatur præparatis interesse nuptijs. At illa nihil alienum pudicitia cogitauit, quæ iam olim cohabitantem elegerat continentiam, & solis victitans leguminibus noctuatq; interdiu orationi diuinisq; laudibus vacabat. Sed potius: Non te fallam, inquit, sponse Christi,
D d ste,

*Respuit im-
peratoris
nuptias.*

Ite, nō te probro ac dedecore afficiam, o cha-
ra virginitas: non te prodam mater continen-
tia. Itaq; Dei qui solus opem ferre poterat in-
uocato auxilio cum socijs virginibus solum
mutat, & confectis inedia corporibus pere-
grinando in barbaram Armeniorum regio-
nem trāsmigrat. Quo intellecto Diocletianus,
datis extemplo ad Tiridatem Armenię regem
literis, Ripsimem indagari atque ad se trans-
mitti postulat. Quod si tamen eam sibi matri-
monio iungere mallet, id se æquo & lubentia-
nimo laturum. Nec mora, Tiridates depul-
chritudine virginis certior factus, adeo vel
auditiæ venustatis amore captus fuit, vt missis
ad eam regijs vestibibus, ijsdemque indutam ad
se in regiam iuberet perducī. At illa Christi
incensa desiderio, quem solum nouerat spon-
sum, profani amatoris verba constanter re-
spuebat, & cum socijs virginibus orationi in-
cumbebat. Interim horrenda inter tonitrua
vox cælitus delapsa: Estote, inquit, animo
forti, ego enim vobiscum sum, vosque præsta-
bo intactas, vt mecum ad cælestes thalamos
regnumque vobis paratum ingrediamini. In-
cutitur hostibus terror, multique ex equis de-
lapsi ab ijsdem conculcantur. Reliqui pau-
re exanimati Ripsimem renunciant repudia-
tis muneribus, regem accessu dedignari. Cum-
que inuita iussu Tiridatis adduceretur, ago-
nem suum Christo sponso commendabat.
Postquā vero fuit in ipso cubiculo regio ocu-
los

*Regis Ar-
menia con-
iugium re-
cusat.*

los animumq; ad Christum attollens, Dei omnipotentis in mari rubro ac deserto potentiam pertractabat: tum Ionæ naufragium insperatamque salutem cogitatione versabat; tres item pueros in fornace Chaldaica inter ignes illætos; Susannam vero superatis adulterorum insidijs diuinitus ab exitio vindicatam mente reuoluebat, similem à Deo protectionem animo fidentiore expectans. Interim illapsum cubiculo Tiriditatem grauior intemperantiæ dæmon incessit, amenterque & insanè præ amore exclamabat, illiciebatque Ripsimem, & ei blandiebatur, ac uaserrimè omnibus modis eam aggrediebatur. Illa autem & accedentem auerlabatur, & collum extendentem ut impudicis oscularetur labris non sustinebat: tum vultum rubore suffusa, acerbis eum dictis insectabatur, sponsum vocans Christum, & huius feruentiori dilectione succendebatur. Quid multis? illucit virgo amplitudini regiæ tantisque viribus, & puram sponso Christo corporis pulchritudinem & animæ conseruauit nobilitatem. Sic nihil est æquè inexpugnabile atque in Christum spes atque beneuolentia. Victrix igitur Ripsime nocte concubia egreditur, cumq; cæteris virginibus pro victoriæ successu, noctem in diuinis laudibus posuit. At Tiriditates effrenatè mente ad crudelitatem exēstuans, diris eam supplicijs mactari iubet. Quare ab impijs satellitibus exsecta prius lingua, lignis alligatur & lādibus

*Fortissimè
tuetur pū-
dicitiam.*

D d

padibus

padibus vritur: cumq; acuto lapide ventrem
 inscidissent, in terram effundunt intestina, &
 eius adhuc parum palpitatis oculos effodiunt,
 totamq; minutatim discerpunt. Sed illa dupli-
 ci venustatis inclyta præconio spōso illic Cæ-
 lesti intra fiderios afficit thalamos, digna illius
 oculis & thalamis, lapidibusq; pretiosis, tor-
 quibus & monilibus, omnibusq; sponsalibus
 indumentis, susceptis nimirum pro eo stig-
 matibus, omni ex parte exornata.

OCTOBER.

ADOLESCENTIA, S. FRANCISCI

4. Octob. Sur. Tom. 5.

FRanciscus Assisij inter vanos hominum fi-
 lios iuuenili ætate nutritus in vanis, & post
 aliquam literarum notitiam mercimonijs ap-
 plicatus, superno sibi assistente præsidio, nec
 inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gau-
 dia, post carnis petulantiam abiit, nec inter cu-
 pidos mercatores, quanquam intentus ad lu-
 crum, sperauit in pecunia & thesauris. Inerat
 namq; iuuenis Francisci præcordijs diuinitus
 indita quædam ad pauperes miseratio libera-
 lis, quæ secum ab infantia crescens, tanta cor
 eius benignitate repleuerat, vt iam Euangelij
 non surdus auditor, omni proponeret se pe-
 tenti tribuere, maximè si diuinum allegaret
 amorem. Cum autem solis negotiationis in-
 tentus tumultibus, pauperem quendam pro
 amore

*Castitas.**Miseri-
cordia.*

amore Dei petentem eleemosynam præter
 solitum vacuum repulisset, statim ad cor re-
 uersus, cucurrit post ipsum, & eleemosyna illi
 clementer impensa, promisit Domino Deo
 nunquam deinceps quoad posset stipem pro
 amore Dei petentibus denegare. Quod usque
 ad mortem indefessa pietate obseruās, copio-
 sa in Deum dilectionis & gratiæ incrementa
 promeruit. Vnde profectum est, quod diuini
 amoris vocem vix vnquam sine interiori cor-
 dis audire posset immutatione. Porro man-
 suetudinis lenitas, cum elegantia morum, pa-
 tientia & tractabilitas supra humanum mo-
 dum, munificentia largitas, vltra suppetenti-
 am facultatū: quibus bonæ indolis adolescens
 certis florebat indiis, quædam futuræ vide-
 bantur sanctitatis esse, præludia. Cæterum
 Franciscus diuini erga se consilij ignarus, re-
 rumq; cælestium rudis, mundanis adhuc cu-
 ris implicabatur: donec diutinis afflictus lan-
 guoribus, ex afflictione corporis, ad spiritua-
 lis vitæ intelligentiam paulatim excitari cœ-
 pit. Cumq; resumptis corporis viribus more
 solito decenter vestitus obuiū habuisset pau-
 perem, eumq; se exuto vestiuiisset, speciosum
 proxima nocte palatium cum militaribus ar-
 mis crucis Christi signaculo insignitis con-
 spexit, quærensq; cuius essent illa omnia, sua
 fore militumque suorum superna assertione
 cognouit. Itaq; Christo in posterum milita-
 turus abdicato publicæ negotiationis tumultu,

*Mansuetu-
do.
Patientia.*

U d ; tu,

tu, diuinam attentius opem implorare cœpit:
 vt quid sibi facto opus esset euidentius com-
 monstraret. Itaq; frequenti orationis vsu cœ-
 lestis desiderij flammam, quotidie accendens,
 à mundi contemptu, suiq; ipsius victoria ini-
 tium auspicabatur. Quadam die propè Assisi-
 um obequitanti leprosus quidā fuit obuius,
 cuius quidem primo aspectu grauitè cohör-
 ruit, at postea perfectionis sectandæ propo-
 situm recolens, quod seipsum oporteret pri-
 mū deuincere si vellet effici Christi miles, ad
 deosculandum eum, equo lapsus accurrit. Cui
 cum manum, quasi aliquid accepturus lepro-
 sus protenderet, pecuniam cum osculo repor-
 tauit, & Francisco equum conscendente dispa-
 ruit. Admiratione itaq; repletus & gaudio, ar-
 denti desiderio seipsum ad maiora excitauit:
 ac proinde solitaria loca mœroribus amica re-
 quirens, gemitibus inenarrabilibus Domini
 clementiam assiduè deprecabatur. Nec in va-
 num multiplicatæ preces. Nam die quadam
 nimio in Deum feruore raptus, ipsum Salua-
 torem velut cruci affixum conspicatus est: ex
 cuius aspectu adeo eius pectori sacratissimæ
 passionis insedit memoria, vt à gemitibus ac
 lachrymis ad primā eius recordationem neu-
 riquā sibi deinceps potuerit temperare. Itaq;
 vt Christi Saluatoris sui vestigijs accuratius &
 virili insisteret, multo vehementius cœpit sui-
 ipsius cōtemptum expetere: paupertatem hu-
 militatemq; totis viribus sectari: leproso-
 rum

Demotia.

Paupertas.

homi-

hominum frequentare consortia: eisq; huma- *Humilitas*
nitatis obsequia benefica pietate præstare.
Cum die quadam in æde S. Damiani, quæ præ
nimia vetustate ruinam minabatur, ante Cru-
cifixi imaginem prolixius oraret, vox de ipsa
Cruce ad eum dilapsa; Vade, inquit, Franciscus,
& labantem domum meam restaura. Tremefactus
ea voce Franciscus, mentisq; excessu alienatus,
cū ad se tandem redisset, Fulgineū abiit,
pannisq; ibidem cum equo diuenditis reuer-
sus Assisium, pecuniam inde acceptam ad tem-
pli restorationem deuotus obtulit. At sacer-
dote ob metum parentum pecuniam recusante,
Franciscus eam in quandam proijciens fene-
stram, ceu puluerem contēpsit. Superuenit tã-
dem perturbato animo pater, Franciscū quæ-
rens: qui auditis persequentum minis, primo
quidem in fouea diebus aliquot delituit: po-
stea vero hanc pusilli animi cōdemnans igna-
uiam, pulso metu Assisium ingreditur. Quem
ciues facie squalidū vidētes, ratiq; mentis esse
inopem, luto ac lapidibus petierunt, & tãquam
insano clamoris vocibus insultarunt: ipseq; a-
deo parens nihili eā filij calamitatem faciens,
domū venientem primum verbis, tum verbe-
ribus ac vinculis multauit. At ille nulla fra- *Patientia*
ctus aut mutatus iniuria, in opus Domini prò-
ptior alacriorq; ferebatur. Quem cum postea
pater se incio à matre dimissum, egerrimè tu-
lisset, filiumque furens ac fremens inquire-
ret, ille furenti vltro se obiecit, libera voce

Da 4 affir-

affirmans, se vincula ac verbera flocci facere,
& quoduis incommodi genus pro Christi di-
lectione haud grauare laturum. Visa igitur fi-
lij constantia ad pecunias extorquendas ver-
titur: easq; è fenestella, quò ante proiectæ fue-
rant, educens, mitior pauxillo euasit. Tandem
vero ad Episcopum adduxit, vt paternis om-
nino facultatibus renunciaret. Tum ille vesti-
bus coram Antistite omnino reiectis ac patri
redditis, nihil sibi præter cilicium, quod su-
per nudam carnem gestabat reliquum fecit.
Reiectisq; item femoralibus plane denudatus,
Hactenus, inquit, te patrem vocaui in terris,
deinceps vero rectius dicam: Pater noster qui
es in cælis: apud quem omnem reposui the-
saurum, & omnem spei fiduciam collocaui,
Episcopus porro videns inusitatum in viro
Dei feruorem, protinus surrexit, & inter bra-
chia cum fletu eum recolligens, pallio quo e-
rat amictus operuit: præcipiens suis vt aliquid
adferrent vestimenti, vt ipsius nuditati con-
suleretur. Quo facto Franciscus vilem agrico-
læ togam grateranter suscepit & cæmèto ad mo-
dum crucis consignauit. Reliqua ipsius sancti-
tatis curricula, ne iusto sim longior, præter-
mitto.

EXEMPLVM S. BRVNONIS INSTITV-
toris ordinis Carthusianorum 6. Octob.

Sur. Tom. 3.

Beatissimus Bruno sacri Carthusiensis in-
stituti

*Morus
honestat.*

stituti primus author in insigni Colonia Agrippina oriundus, parentes habuit, & genere & virtute claros, quibus tamen ille, atq; adeo toti familiæ maiorem vitæ suæ sanctimonia attulit splendorem. Ab ipsis autem incunabulis, puer ætatem grauitate vincens, præclarum quoddam quasi futuræ religionis de se præbebat specimen: egregia indole, illustri ingenio, memoria tenaci, voluntate deniq; tota ad optima quæq; consecranda studiosè propensus. Itaq; adolescens cunctis ferè naturæ gratiæq; dotibus à Deo eximie ornatus Lutetiam Parisiorum maximarum artium disciplinis erudiendus destinatur: vbi inter præstantes philosophos facile primas tenens, magna cum laude magisterij titulo decoratus est. Inde ad sacra Theologiæ studia se conferens ingenij felicitate, ardoreq; proficiendi, Theologorum doctissimus equalis: tandemq; Ecclesiasticum beneficium in Rhemenſi Ecclesia est consecutus. Cum igitur vir nobilis & haud vulgari eruditione præditus Bruno, in huiusmodi studiis tota mente versaretur, essetq; Lutetia & artium maximarum disciplinis, & candidatorum frequentia sanè florentissima: accidit ijs temporibus Gregorij videlicet VII. Põtificis & Henrici Imp. III. Anno humanæ salutis millesimo octogesimo plus minus secundo, spectaculū in ea vrbe horrendum & sæculis omnibus memorandum: quod Carthusianæ vitæ instituendæ occasionem præbuit. Quidam enim

Dd 5

enim

enim doctor, præ cæteris & eruditione, & eximia morum honestate cōspicius in morbum incidit: ex quo, susceptis primum ritu catholico sacramentis, vita functus est. Cumq; ei, recepta apud Christianos cōsuetudine, celebres pararentur exequiæ: funus magna magistrorū, candidatorum, ciuiumq; prosequente caterua in templum vbi sepulturæ mandandum erat, illatum est. Ibi verò, cum sacerdotes aliq; sacris deputati ministerijs, solitū officium peragerent, precesq; quas vigilias defunctorum vocant recitarent: vbi ad eam lectionem ventum est: Responde mihi quantas habeo iniquitates? subito cadauer, eleuato paululum capite, cunctis videntibus & audientibus, & ad tantam rei nouitatem hæud immerito stupentibus, alta & horrenda voce dixit: Iusto Dei iudicio accusatus sum: & his dictis, rursus in feretro caput deposuit. Qui vero funeri intererant eius voce, & gestibus non mediocriter perterrefacti, consulto sepulturam eius in crastinum differendam, decreuerunt: tam inusitata rei exitum suspensis animis præstolantes. Altera luce, cum iam facti huius fama tota esset vrbe diffusa, innumera propè turba ad eam confluit Ecclesiam. Tum vero denuo repetitis exequijs, postquam supradictæ lectionis initium recitari cœpit, idem defunctus erecto capite, ingenti rursus voce exclamat: Iusto Dei iudicio iudicatus sum, moxq; in feretrū se reponit. Corripiuntur astan-

tes summa admiratione: & horrendo spectaculo vehementer obstupefcunt. Sed quod ea, quæ hæcenus dixerat, apertam necdum habebat damnationis eius significationem; cunctis visum est etiam in tertiū diem protrahere sepulturam. Eo autem illucescente, tota fere ciuitas, tam inusitati & terribilis Dei iudicij expectatione suspēsa, eò certatim cōfluxit. Cūq; eodem modo iterarentur exequiarum ritus, & ad lectionem, quā diximus, peruentū esset: elato infelix ille capite iustificata voce exclamat: Iusto Dei iudicio cōdemnatus sum. Mittite sacra funebria, quib⁹ mihi prodesse nil potestis: heu cur me infelicem parentes genuerunt? Ad hanc vocē quis est qui nō intimis sensibus perhorrescat? Penetrauit illa terribilis vox, iusto Dei iudicio dānatus sum, ipsas ossiū medullas; videbāturq; astātes omnes penē exanimes totis mēbris cōtremiscere. Quid enim? Si homo ille nō modo diuinarū rerū sciētia ornatus, sed & opinione omniū sanctitatis laude prēditus, dānatum se iusto Dei iudicio clamabat; quid putandū est eos sibi pposuisse, qui nullis virtutum meritis instructi, aut grauioribus etiam delictis onerati, huic tā tremendo spectaculo intererant? Tādem ea omnium fuit sententia, vt doctōr ille ad eā diem celeberrimus & sempiterna memoria, vt putabatur, dignus, omni Ecclesię suffragio & ecclesiastica sepultura indign⁹ cēferetur, eiusq; cadauer in sterquilinio sepeliretur. Tū vero B. Bruno, qui hæc coram

OCU

oculis & auribus hauserat, resolutus in lachrymas, & diuini iudicii timore compunctus, Magistrum Landuinum, duos Stephanos Burgensem & Diensem, ambos S. Rufi Canonicos Hugonem presbyterum & laicos duos Andream & Guarinum, sibi intima familiaritate coniunctos accersuit: & sic eos lachrymabundus affatur. Vidimus per hos dies fratres & amici mei vnicum mihi in Christo chari, vidimus inquam admiranda plane & stupenda: quæ tamen magnæ nobis vtilitati esse queunt, si ita, ut par est, defuncti huius infelicissimi, non periculum aut casus dubius, sed certissima damnatio, cautos nos & sollicitos faciat ad placandum dominum, cuius manus nemo quisquam effugerit. Sed quis obsecro tam letali sit somno vitiorum oppressus, ut infaustis deplorati hominis illius clamoribus immo & tonitruis, ad curandam salutem suam non excitetur? Nouimus hunc virum multa sapientia præditum, moribus ornatum, castum, pudicum, prudentem, ab omnibus honoratum & magno in pretio habitum. At nunc ex ipsius ore audiuius, iusto eum Dei iudicio sempiternis ignibus exuri. Qua voce quid dici aut fingi terribilius potest? Quid est enim damnatum esse, quam ab omni felicitate extorrem, in ea incidisse mala, quæ nulla mens capere, nulla lingua explicare potest? Et quidem si ea finem quandoque haberent, possent saltem utcunque videri tolerabilia: iam vero cum sint longè acerbissima, & in omnem sæculorum æter-

ternitatem duratura, non possunt nō omnium
esse miserrimi & infelicissimi, q̄ ad ea deuolu-
untur. Videamus nunc quēso, quid ei apud in-
feros tam multo parta labore scientia profit:
cum illic sempiterna laboret cæcitate & igno-
rantia: quid opes & copiæ? cum nec vna ei sup-
petat aquæ gutta, qua possit æstuantis flammæ
ardoribus adustam refrigerare linguam: quid
honores & deliciæ? cum tot nunc in omnem
æternitatem cogatur ferre tormenta, quot in
mundo habuit oblectamenta. Vidimus cor-
pus eius summa cum ignominia in sterquilini-
o sepeliri: animam vero sulphureis flam-
mis & abominabili cruciari fœtore nihil am-
bigimus. Hæc igitur serio mente pertractan-
tes, ne cum misero illo in idem barathrum
præcipitemur, pœnitentiæ remedium ample-
ctamur: certi eas voces propter nos editas,
quos adhuc diuina clementia longanimitè
expectat. His verbis cuncti ad pœnitentiæ
rigorem confirmati, ad euitandos diaboli la-
queos, & occasiones peccati declinādas, mun-
di utiliter deferendi consilium vnanimè ca-
piunt; & eximie sanctitatis vitam in loco, cui
Carthusia nomen, summa cum asperitate au-
spicantur.

EXEMPLVM B. IACOBI ALEMANNI

Dominicani 11. Oct. Sur. Tom. 5.

Biacobus Vlmæ celebri Germaniæ vrbe
honestæ familia natus, patrem habuit
Theodoricum pietati apprimè deditum, &
cibi

*Delectatur
officijs pie-
tatis.*

*Romam
pietatis
causa profe-
cisit.*

*Inter arma
virtutis
obseruans.*

*Perditos so-
ciorum mo-
res incre-
pat.*

cibi ac potus mirè temperantem: quod maxi-
mè testatur vitæ ipsius longitudo. Nam cente-
simum & tertium attigisse annum memorant,
corpore ita recto ac firmo, vt iuuenum esse so-
lent, vt nec baculo vteretur, nec exarmatas
dentibus fauces haberet. Huius igitur præcla-
ra institutione fidei rudimenta per diligenter
edoctus, atque ad officia diuina ac sacras con-
ciones sollicitè adductus, ita ijs dein assue-
bat, vt nihil facilius aut lubentius ageret. An-
no dein ætatis vigesimo quinto, impetrata à
parente licentia Romam contendit. Vbi pri-
usquam aliò diuerteret, celeberrimum toto
orbe D. Petri templum inuisit: atque ibidem
ab initio quadragesimæ, vsque ad Dominicam
Resurrectionem commoratus, omnes intra
aut extra muros Ecclesias cum incredibili ani-
mi voluptate obiuit. Postea vero Neapolim
profectus Alphōso regi bellum gerenti mili-
tare decreuit. Ad eā igitur admissus militiam
merere cœpit, nihil de sanctis moribus, aut
pristina sua consuetudine remittens. Dumq;
multis sociorum flagitijs eius offenditur ani-
mus, occasionem ex re leui ac penè ridicula,
discedēdi accepit. Mos est militibus belli præ-
sertim tempore, de rapto viuere, & frequen-
ter prædas abigere, nec amicis parcere: ex quo-
rum prædijs, pabula pro equis rapere, aut gal-
linas & similia vi furtiue auferre consueue-
runt. Quæ modestissimus iuuenis & alieni
abstinens vehementer detestabatur, suosque
com-

commilitones increpabat. Illi aut deridere iuuenem, & superstitionis incusare. Et quia raptis nullo pacto eum uti velle aduerterant, dolo eum circumuenere. Itaque oleo è synagoga Iudaica, ac caulibus aliundè furtim acceptis olus benè conditum Iacobo sui commilitones inscio apponunt: cumque illum hoc cibo delectari vidissent, risere conuiuæ. Tum ille risus causam sollicitè percontatus, audit brassica se vesci ex horto quodam surrepta, & oleo Iudaicæ lampadis condita. Ea re grauissimè offensus Iacobus, & impetrata abeundi facultate, castra deferens Capuam peruenit. Vbi nactus est Campanum ciuem, virum sanè præclarum, iurisconsultum & equitem. Qui vbi iuuenem conspexit forma præstanti, & ex egregia morum compositione ingenuam indolem probitatemque comperisset, hortatur ut suo contubernio uti velit. Annuit ille, & apud eum quinquennio *Vita integra.* tanta fide ac morum integritate versatus est, *gritæ.* ut eum patronus æquè ac filium diligeret atque tractaret. Deinde vero cum nimio parentis desiderio in patriam cogitaret, nec à patrono suo abeundi licentiam obtinere posset, habita prius ante crucifixi imaginē, quam in cubiculo habebat diligenti oratione, & pecunijs ac vestibus quas à patrono acceperat derelictis Bononiam concessit. Ibi vero hortatu quorūdam comitum suorū aliquantū demoratus, & ad tractanda arma denuo inductus, incre-

*Pudicitia
nunquam
temerata.
Carnis ma-
ceratio.
Sensum cu-
stodiam.*

Buga orij.

*Tentationi
prudenter
occurrit.*

incredibilem ex monasteriorum frequen-
tatione ac præsertim edis Diui Dominici, in qua
ut plurimum versabatur, accepit voluptatem.
Atq; ita ad Christi castra se trāsferens, summa
cum humilitate B. Dominici institutum am-
plexus est: & dedicatam Deo pudicitiam vsq;
ad vitæ exitum ita seruauit, ut nihil eo purius
ac mundius conspiceretur. Nam præterquam
quod suum corpusculū asperrimè domabat,
vigilijs quoque, orationibus, ieiunijs, & alijs
multis macerabat modis: oculos suos diligen-
tissimè custodiebat, ne quid intuerentur quod
ad libidinem prouocaret, atq; ob eā rem nun-
quam otiosus erat. Nunquam illum sine nego-
tio dies, nunquam nox inueniebat. Quod si
quādo egredi in publicum cogeatur, impen-
se Deum rogabat, ut se custodiret, & suas auer-
teret oculos ne vanitatem cernerent. Quod si
quando vestigium forte aliquod libidinum
excitabatur, continuo Christi cruciatus innu-
merabiles ad memoriam reuocabat: quo qui-
dem tanquam subito imbre, illud quicquid e-
rat incendij restinguebatur.

EXEMPLVM B. OFF. & CONFESSO-
ris, filij Sigeri Regis orientalium Saxonum in Anglia,
habetur in vita S. V. Vilfridi Epif. Eboracen-
sis authore V. Bedæ. 12. Octob.

Sur. Tom. 5.

ANno Imperij Hofredi quarto, Coēnre-
dus, qui regno Merciorum nobilissimè
tem-

tempore aliquanto præfuerat, nobilius multisceptraregni reliquit. Nam Romam Constantino Pontifice veniens ac monachus factus, ad limina Apostolorum in precibus, ieiunijs & eleemosynis vsq; ad diem permanfit extremum. Venit autem cum illo & filius Sigeri, regis orientalium Saxonum vocabulo Offa, iuuenis amantissimæ ætatis & venustatis, totiq; suæ genti ad tenenda regni sceptrarexoptatissimus. Qui pari ductus deuotione mentis, Christi amore vxorem, agros, cognatos, patriamque reliquit, vt in hac vita centuplum acciperet, & in futura vitam æternam. Et ipse ergo vbi ad loca sancta Romam peruenerunt, attonsus & in monachico habitu vitam complens, ad visionem beatorum Apostolorum in celis diu desideratam peruenit.

P V E R I T I A S. B V R C H A R D I H E R B I -
polensis Episcopi. 14. Octob.

Sur. Tom. 5.

Burchardus prænobili apud Anglos natus familia, indecorû ratus illustrem sui generis, morum nebulis obfuscare parætalam, intra primos ætatis annos probitatis cœpit luce splendescere. Cum enim à religiosis parentibus literis admoueretur, nemo eum reperisset puerilibus addictû leuitatibus: sed aut studijs deditum liberalibus, aut Ecclesiarû limina terentem, seu quibuslibet alijs bonæ indolis indicijs immorantem. Creuit etiam in eo cum

E e annis

Maturitas
morum.
Fuga otij.
Pietas.

Miseri-
cordia.
Castitas.

statū per-
fectionis e-
ligit.

annis pia in afflictos miseratione & corporis ele-
gantiam virtutum morumq; cōcinnitas emu-
labatur. Adhuc ieiunijs vigilijs & orationibus
non minus spirituales nequitias, quàm carnis
illecebras compressit, donec illi à spiritu san-
cto indita morum honestas vsq; eo adoleuit,
vt velut perfectum atque ornatum Dei tem-
plum, nihil profani desiderij, nullam rerum
caducarum cupidinem retinendam esse statue-
ret. Hinc deliberationem, quam Christo in spi-
rante cōceperat, spiritualium virorū consilio
roborabat, & contra malè blandientis mundi
lenocinia obfirmata animi sententiā, tū diuitijs
& voluptatibus, tū sibi ipsi proprijsq; voluntati
renūciauit, nudusq; nudam cōplexus crucem,
eā post Christū quotidie baiulauit. Cōsiderans
autem in hac ipsa vitę perfectione nōnulla tē-
tamentorū scandala sibi opponi, puta opes &
delicias patrię, generis claritatē, affectus ami-
corum, spectorum obiecta prędiorum, aliasq;
mundi fumantis nebulas, aciem verę theorię
obnubilātes hęrebat anxius, quidq; de ipso fi-
eri vellet omnipotēs Deus, sibi reuelari aut in-
spirari cōtinuis precibus ambiebat. Tādemq;
spiritu cōsiliij & fortitudinis roboratus, perpe-
tuę peregrinationis studium modis omnibus
amplecti deliberauit. Deniq; natali solo p̄ ter-
ra viuentiū relicto, transmissosq; mari, Gallię
comatę fines attigit, atq; illic humili quodam
loco, verē nō habens hic manentem ciuitatem
aliquandiu in habitu peregrini delituit.

PVE

PVERITIA S. HEDVVIGIS DVCISSAE

Polonia 15. Octob. 147. Tom. 5.

B Hedvvis, magnifici principis Berthol-
di, Marchionis Moravie, & comitis Ty-
rolensis filia, Matrem habuit Agnetem, nō mi-
nori generis dignitate illustrē, filiā nimirum
cuiusdā Marchionis & Comitis de Rotlechs.
Porro tam præclaræ stirpis fructus longè no-
bilissimus, nihil de prima morū elegantia atq;
integritate temporis successione diminuit, sed
diuinis potius aucta benedictionibus grādiora
virtutum germinavit in crementis. Ab ipsa enim
pueritia cor gerēs senile, vitabat leuitates om-
nes, & bonis sese assuefaciebat morib⁹, insolent-
esque eius ætatis respuebat ineptias. Studebat
innocentis vitæ puritati, semperq; honestati &
grauitati diligentem nauabat operā. In his ve-
ro omnibus & alijs operibus suis, præter homi-
nes, quos eius parentes illi adhibuerant, vt bo-
nis moribus ab eis institueretur, doctorem ha-
buit spiritum sanctum, qui ab infantia docuit
eam timere Deum, & abstinere ab omni pec-
cato, ita vt mundam seruārit animam suam ab
omni cōcupiscentia, nec vnquam cum luden-
tibus culpabiliter se miscuerit, neque cum ijs
qui in leuitate ambulant participem se præ-
buerit. In puerili enim ætate in monasterio
Lutzingensi sacras literas didicit, quarum stu-
dio & tempus suæ iuuentutis expendit vti-
liter, atque ex earum intelligentia, post-
modum internarum consolationum &

*Morū
maturitas:**Puritatis
vita:**Castitas:*

Ecce a deuo-

*Castitas in
matrimo-
nio.*

deuotionis gratiam hausit excellenter. Vnde factum est, vt quamuis Henrico Duci Silesiæ & Poloniæ collocaretur, prioris tamen puritatis obseruantior, iugalem thalamum magna castimoniam laude exornârit.

MARTTRIVM S. IVSTI SIVE IVSTI-
ni nouem annorum pueri. 18. Octob.

Sur. Tom. 5.

*Puritas &
innocentia
vita.*

Diocletiano & Maximiano Imperatorib^{us}, tâta in Christianos psecutionis desequijt tēpestas, vt nemini quicq^{ue} vel emere, vel vendere, vel aquā deniq^{ue} haurire liceret, nisi prius infandis dæmonum idolis thura cremaret. Agebat id temporis Antissiodori Mattheus quidam vir rara pietate ac virtute, duos habens filios Iustinianum & Iustinum: quorū ille etate, hic morum maturitate anteibat, vitę innocentia & sanctitate in tenera licet ætate omnibus conspicuus. Antē autem, quam hic Iustinus in lucē ederetur, frater Iustinianus procul patria in seruitutem ab hostibus abreptus est. At beatus puer Iustinus à teneris rebus diuinis mirificē deditus, eò virtutum & gratiarum largiente Deo processit, vt multa diuinitus edoctus, inter cætera fratrem quoq^{ue} suum in seruitute degere, eiusq^{ue} herum cognomento Lupum Ambianis habitare cognosceret. Itaq^{ue} fratris amore inflammatus, patrem vehementer hortatur, vt ad redimendum filium iter suscipiat. Cumq^{ue} ducem itineris frustra quærisset, re-
uersus

uerfus ad patrem maximoperè eum obtestatur, vt vnà secum pergat; Christoque auspice voto se haud frustratum iri confidat. Cui pater; vereor, inquit, ne tanto itineri tua isthæc imbecillis ætas nequaquam sufficiat. Ad quæ Iustinus: Christi, ait, seruus sum, cui benè confido, meq; ei assiduè commendare soleo. Pergamus pariter in eius nomine; ille nos illæsos & incolumes ducet reducetq; Itaq; vnus diei iter emensi Melodunum perueniunt; vbi Iustinus ante portas à paupere quodam cæco stipem rogatus, præter cibum sua se insuper tunica spoliens, nudum ea contexit. Cumq; pater eam filij liberalitatem dispendium computaret; ille cōtrà multis diuinorum eloquiorum sententijs, piè isthoc beneficium in pauperem collocatum esse asseruit. Dein Meloduno digressi, Lutetiam Parisiorum perueniunt, inde vero Isara flumine transmissis Ambianos pertigerunt: inuentumque illic Lupum ita prior Iustinus alloquitur: Venimus Lupe ad humanitatem tuam substantiolam nostram afferentes, vt accepto pretio captiuum nobis fratrem restituas. Spondet ille se rogata haud grauatè facturum. Vesperè igitur duodecim pueris in conspectum eorum adductis, deerat adhuc Iustinianus. Itaq; beatus Iustinus oculos circumferens, alium quendam extra illos lampadem manu gerentem conspicatur, moxq; gratulabundus stupente ipso Iustiniano fratre, & cunctis qui aderant fidelibus, incognitum sibi fra-

E e trem

trē peramanter amplexatus diuinitus agnouit.
Aderant tunc fortassis quidam Ricthiuari pre-
fecti exploratores; qui ut eos Christianos esse
fenserunt, properē ad dominum suum refe-
runt. Is vero confestim ablegatis eō satelliti-
bus in custodiam eos duci mandauit. At Lu-
pus qui eos hospitio exceperat, simul ut im-
minens periculum agnouit noctu eos excita-
uit, monuitque ut gratis recepto fratre, ocyus
abscederent, mortisque supplicium maturē
effugerent. Illis itaque profectis, repente ad-
uolant missi à iudice carnifices, qui non in-
uentis quos quærebant, eadem celeritate ad
eum redeunt, & homines illos abiisse renun-
ciant. Quocirca quatuor post illos dimissis
equitibus ad suum tribunal eos perducere, vel
reluctantes confestim trucidari iubet. Prope-
rantibus igitur persecutoribus Iustinianus im-
minentis periculi ignarus, in loco, quem Lu-
peram vocant, consistens, ait ad fratrem: Lo-
cum hunc opportunum cernis & haurienda
aquæ & cibo sumendo. Si lubet hic paulisper
assideamus, ut cibo potuque refocillati ad re-
liquum itineris expeditiores simus. Iustinus
autem futurorum præscius: Si, inquit, hic
quippiam gustare vultis, festinato opus est.
Appropinquant enim missi à iudice, qui nos
pœnas luituros ad illum adducant. Ocyus
igitur cibum sumite: ego vero insidias con-
templabor. Quod si quempiam eo animo ad
vos accedere persenserō, ego illum sermo-
nibus

gnouit, ari præ-
nos esse
n refe-
telligi-
At Lu-
vrim-
excita-
ocys
naturæ
te ad-
on in-
ate ad
enun-
missis
ci, vel
rope-
us im-
n Lu-
Lo-
enda
lis per
ad re-
linus
hic
is est.
i nos
cys
con-
no ad
mo-
ibus

nibus detinebo, vos autem in hanc specum
vos subducite. Hæc cum prophetico spiritu
sanctus dixisset puer, mox adsunt carnifices,
iudicis præceptum executuri. Ijs conspectis
cæteri in speluncam se abdunt: beatus vero
Iustinus ad martyrij gloriam pergit intrep-
idus. Hunc igitur adorsus equites, sciscitantur
quis sit, quæ eius professio, quive socij. Ille
per ordinem omnia explicans: Iustinus, in-
quit, vocor, meque Christianum liberè pro-
fiteor. Et quia vos Christiani nominis per-
secutores noui, non licet mihi meos vobis co-
mites prodere. Illis autem strictis gladijs
mortem, ni proderet, minitantibus, respon-
dit Iustinus: Equidem fortunatum me iudi-
cabo, si pro Christi nomine supplicia & mor-
tem subiero, paratusque sum pro eminentio-
ris æui commutatione, labentis vsuram vitæ
prodigere. His auditis carnifices ira perciti
in eius necem conspirarunt, vnusque ipso-
rum cæteris hortantibus, caput à ceruicibus
abscidit. Moxque insigni miraculo glorio-
sus martyris triumphus inclaruit. Nam trun-
cum corpus manibus præcisum apprehendens
caput, coram lictoribus constitit immobile:
& consternatos prodigio carnifices in fugam
dedit. Pater vero illius cum fratre è specu
progressi, viso tam stupendo miraculo, va-
riè affecti fuere, martyrij quidem laureâ ad
gratulationem, naturâ vero ad lachrymas
inuitante. Cumque de humando pueri

*Fortitudo
animi.*

corpore sollicita cogitatione ambigerent, caput item martyris disertis eos verbis compellans: Abite, inquit, ad locum Luperam, atque illic meum humate corpusculum. Porro matri hoc meum adferte caput: ut amoris erga se mei hoc pignus habeat: Quod si mei tenetur desiderio, studeat subsequi me in paradysio iam degentem: ubi animæ sanctorum feliciter requiescunt.

VERITIA S. HILARIONIS ABBATIS
21. Octob. ex ea quæ est per D.

Hieron.

Hilarion ortus è vico Thabata, in Palestina, cum haberet parentes idolis deditos, velut rosa de spinis floruit. A quibus missus Alexandriam, grammatico traditus est: ibique quantum illa patiebatur ætas, breui magna ingenij & morum documenta præbuit, charus omnibus & loquendi arte gnarus. Quodq; his maius est omnibus, credens in Dominum Iesum, non Circi furoribus, non arenæ sanguine, non theatri luxuria delectabatur: sed tota illi voluntas in Ecclesiæ erat congregatione. Audiens autem tunc celebre nomen Antonij, quod per omnes Aegypti populos ferebatur, incensus visendi eius studio, perrexit ad eremum. Et statim ut eum vidit mutato pristino habitu, duobus ferè mensibus iuxta eum mansit, contemplatus ordinem vitæ, morumque gravitatem, quam creber in oratione, quam humi

Vita S. Antonij considerat.

humilis in fuscipiendis fratribus, seuerus in corripicndis, alacer in exhortandis esset, & vt continentiam cibi que eius asperitatem nulla vnquam infirmitas frangeret. Porro frequentiam eorum, qui ad eum ob varias passiones, aut impetus dæmonum concurrebant, vltra non ferens, nec congruum esse ducens pati in eremo populos ciuitatum, sicque sibi magis incipiendum esse, vt cœpisset Antonius: illum quasi virum fortem victoriæ præmia accipere, se necdum militare cœpisse, reuersus est cum quibusdam monachis ad patriam. Et *paupertas,* parentibus iam defunctis, partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est; nihil sibi omnino reseruans. Atque ita nudus & armatus in Christo, in solitudinem, septimo à *Anno 15. e-* Maioma milliario distantem, annos iam natus *remum in-* quindecim, ingreditur. Cumque essent cruenta latrocinij loca, & propinqui amicique eius imminens periculum denunciarent, contempsit mortem, vt mortem euaderet. Mirabantur omnes animum, mirabantur ætatem, nisi quod flamma quædam pectoris & scintillæ fidei in oculis relucebant. Lenes erant genæ, delicatū corpus & tenue, & ad omnem iniuriam impatiens, quod leui vel frigore vel æstu posset affligi. Igitur sacco tantum membra coopertus & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum, inter mare & paludem vasta & terribili solitudine fruebatur; quindecim

*Vissus te-
uitas.*

*Tentationi
carnis vi-
riliter resis-
sit.*

*Carnem iei-
unijs & la-
pore mace-
rat.*

tantum Carycas post solis occasum comedens;
&, quia regio latrocinij infamis erat, nun-
quam in eodem loco mansitans. Quid faceret
diabolus? quo se verteret? Qui gloriabatur an-
te dicens: In celum ascendam, super sidera celi
ponam thronum meum, & ero similis altissi-
mo: cernebat se vinci à puero; & prius ab eo
calcatum fuisse, quam per ætatem calcare po-
tuisset, Titillabat itaq; sensus ipsius, & pube-
scenti corpori solita voluptatum incēdia sug-
gerebat. Cogebatur tyrūculus Christi cogita-
re, quod nesciebat: & eius rei animo pompam
voluere, cuius experimenta non nouerat. Ira-
tus itaq; sibi & pectus pugnis verberans, quasi
cogitationes cæde manus posset excludere: E-
go, inquit, aselle faciam vt non calcitres: nec te
hordeo alam sed paleis: fame te conficiam &
fiti; graui onerabo pondere; per æstus indaga-
bo & frigora: vt cibum potius quàm lasciui-
am cogites. Herbarum ergo succo, & paucis
post triduum vel quatrimum carycis defici-
entem animam sustentabat, orans frequenter
& psallens, & rastro humum fodiens: vt iei-
uniorum laborem labor operis duplicaret. Si-
mulq; fiscellas iunco texens, æmulabatur A-
gyptiorum monachorum disciplinam, & A-
postoli sententiam dicentis: Qui autem non o-
peratur, non manducet. Sic attenuatus, & in
tantum exeso corpore, vt ossibus vix hære-
ret, quadam nocte cœpit infantum audire va-
gitus; balatus pecorum: mugitus bouum: plan-
ctum

Etum quasi mulierum: leonum rugitus: mur-
mur exercitus: & rursus variarum portenta ^{Demonia}
vorum: ut antè sonitu, quàm aspectu territus ^{terrificum}
cederet. Intellexit dæmonum ludibria, & ^{menta} ^{spernit.}
prouolatus genibus Christi crucem signauit
in fronte: talique armatus casside & lorica fi-
dei circumdatus, iacens fortius præliabatur,
amodo videre desiderans, quos horrebat au-
dire: & sollicitis oculis huc illucque circum-
spiciens: cum interim ex improviso splenden-
te luna, cernit rhedam feruentibus equis su-
per se irruere: cumque inclamasset I E S V M,
ante oculos eius repentino terræ hiatu pom-
pa omnis absorpta est. Multæ insuper fue-
runt eius tentationes & noctu atque interdiu
variæ dæmonum insidiæ: quas si omnes narra-
re velim, modum excedam voluminis. Quo-
ties illi nudæ mulieres cubanti, quoties esuri-
enti largissimæ apparuere dapes? Interdum o-
rantem lupus ululans, & vulpecula ganniens
transiit; psallentiq; gladiatorum pugna spe-
ctaculum præbuit; & vnus quasi interfectus,
ante pedes eius corruens, sepulturam rogauit.
Oravit semel fixo in terram capite: & ut natu-
ra fert hominum, abducta ab oratione mens,
nescio quid aliud cogitabat: Insiliit dorso eius
festinus gladiator, & latera calcibus, ceruicem
flagello verberans: Eia, inquit, cur dormitas,
cachinnansq; desuper, cum defecisset, an hor-
deum vellet suscipere sciscitabatur. Igitur à
sextodecimo vsque ad vicessimum suæ ætatis
annum;

*Arham in
colit cellu-
lam.*

*Asperitas
vita.*

Penotio.

*Abstinētia
vigor.*

annum, æstus & pluuias breui tugurio lo decli-
nauit; quod iunco & carice texerat. Exstructa
deinceps breui cellula, quæ vsque hodie per-
manet, latitudine pedum quatuor, altitudine
pedum quinque, hoc est, statura sua humilio-
re, porro latitudine paulo ampliore quam
eius corpusculum patiebatur, vt sepulchrum
potius quam domum crederes. Capillum se-
mel in anno die Paschæ totondit: super nudam
humum stratumque iunceum vsq; ad mortem
cubitauit; saccū quo semel fuerat indutus nun-
quam lauans, & superfluum esse dicens, mun-
ditias in cilicio quærere. Nec mutauit alteram
tunicam, nisi cum prior penitus scissa esset.
Scripturas quoq; sanctas memoriter tenens,
orationes & psalmos quasi Deo præsentē reci-
tabat. A vicesimo primo anno, vsq; ad vicesi-
mum septimum tribus annis, dimidium lentis
sextarium, madefactū aqua frigida comedit, &
alijs tribus panem aridum cum sale & aqua.
Porro à vicesimo septimo vsq; ad tricesimum
herbis agrestibus & virgultorum quorundam
radicibus crudis sustentatus est. A tricesi-
mo autē primo vsq; ad trigesimum quintum,
sex vncias hordeacei panis, & coctum modicè
olus absq; oleo in cibo habuit. Sentiens autem
caligare oculos suos & totum corpus impeti-
gine obduci, ad superiorem victum adiecit o-
leum, & vsq; ad sexagesimum tertium vitæ suę
annum, hoc continentia cucurrit gradu; nihil
extrinsecus aut pomorum, aut leguminis, aut
cuiusli-

cuiuslibet rei gustans. Indè cum se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem à 64. anno vsque ad 80. pane abstinuit incredibili feruore mentis: vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Dei, quo cæteri solent remissius viuere. Fiebant autem ei de farina & comminuto olei forbitiunculæ, cibo & potu vix quinq; vncias appendentibus. Sicq; complens ordinem vitæ, nunquam ante solis occasum, nec diebus festis nec in grauissima valetudine soluit ieiunium.

*Ieiunium
perpetuum.*

PVERITIA S. EVERGISLI EPISCOPI

Colonienfis 24. Octob. Sur. Tom. 5.

S Euergislus nobili apud Tungros stemmate procreatus, & pereleganti corporis forma puerulus, à teneris quædam gratiæ ac virtutum insignia præseferbat. Hunc parentes, læti tam optata prole, Christi perpetuo seruitio addixerunt, vt in Clerum ascriptus, illi more Ecclesiastico deseruiret. Porro magna in puero discendi sedulitas, & præclara morum ornamenta spectabantur: præterq; teneræ ætatis modum, semper aut pij laboris occupatum exercitio, aut in preces incumbentem, vel sacris lectionibus intentum, lætæq; fidelis memoriæ commendantem videre licebat. Coætaneos pueros licet ætate pusillus pia viuendi ratione & morum probitate longè anteibat, ita vt quoddam scientiæ & magisterij priuilegium

*Morum
honestas.
Alacritas
in studijs.*

*Orij fuga.
Oratio.*

*Ieiunium**Misericor-
dia.**Mundi vni-
uersitatem
contemnit.*

priuilegium in eo relucere videretur, & tene-
ros annos quadam senilis etatis maturitate or-
naret, hominemq; perfectum benè moratę vi-
tę exēplis referret. Lēctioni magna animi cō-
tentione incumbens, nō sine parentum offen-
sione, prandium differebat in horam vesper-
tinam, cū sancto Daniele ciborum exosus lau-
ditiam, paruoq; contentus, sustentando potius,
quam alendo corpori seruiebat: id solitus in
pauperes cōferre, quod sibi deparserat. Sic
ille ætatula quidem tenellus, at religione grā-
deus, mūdi gloriam calcauit. Beatus vero Se-
uerinus Vbiorum antistes cum Episcopatus
sui visitandi gratia Tungros peruenisset, mi-
rasq; Euergisti virtutum primitias, intellexis-
set, accersitum ad se puerum collocutus spe &
expectatione sua maiora in illo sanctitatis
indicia deprehendit. Itaq; tenerimē illum di-
ligens, inter paternos cōplexus & oscula hor-
tatur vt secum proficiscatur. Non recusat sa-
cer Christi tyrunculus, diuinis se dedere ser-
uitijs, verum mundanas gloriolas fallacesq;
diuitias cōtemnens, diuinorumq; obedientię
mandatorum sese accommodans, simplici vi-
ctu & vestitu cōtentus, nihil extra Deum pos-
sidere curat. Immo iam sapienter discernens,
quid placeret Deo, quidue displiceret; iuxta
Apostolum, rationabile Domino impēdebat
obsequium, totumq; vitę cursum ad eius in-
stituēbat & exigebat voluntatem. Atq; inte-
rim bonę cōuersationis successibus vegetatus,
& diu-

& diuturnæ consuetudinis beneficio cōfirmatus, amore insatiabili cælestis sapientiæ fontibus inhiabat, & instar apis sedulæ, diuinorum eloquiorū floribus insidens, intra pectoris sui aluearium, fidei virtutumq; mella condebat.

*Amor sapi-
pientiæ*

MARTIRIVM PVERI QVINQVENNIS

& aliorum infantium in vita S. Arethæ martyris 24.

Octobris conscripta à Simeone Metaph.

Sur. Tom. 5.

Iustino Imperatore, felicem Arabiam imperio premebat impius quidam Hebræus nomine Dunaan: qui Christianæ religionis odio, in vrbe Nagra, maxima suæ statuit crudelitatis exempla. Principio enim sacerdotes, monachos, & consecratos Deo virgines, quin etiam feminas quæ vitam elegerant monasticam, contra iusiurandum morti destinat. Inter quos magna exorta est & præclara contentio, Moniales enim ratione eminentioris instituti, primas sibi præ cōiugatis ad fundendum sanguinem poscebant. At illæ contra nequam in præsentī secundas habere sustinebāt, Et vero mirabilior in infantulis balbutientibus feruor eluxit, qui anteuertere matres ardore patiendi, & carnifices ad mortem prouocare nō dubitabāt. Quæ res & spectatoribus copiose lamentationi, & ipsimet regi magnæ fuit admirationi. Postea vero quàm Arethas vrbis moderator vnà cū trecētis quadraginta socijs simili cōcertatione ad lauream cōtendentibus

*Fortitudo
animi.*

victi-

victoria ensibus colla subiecissent: quædam
 mulier puerum habens præcurrentem, annos
 iam natum quinque, cum videret ea quæ gere-
 bantur, & ad similem accensa fuisset æmula-
 tionem, citissimè accurrens, martyrum se fili-
 umq; tingeat sanguine. Ac dein regem ty-
 rannidis coarguens, quanta potuit maxima vo-
 ce pronunciat: Erit, inquit, Hebræorum regi,
 sicut Pharaoni. Quibus verbis acerrimè con-
 citatus Dunaan mulierem in ingentem pyram
 iactari mādauit. Puer autem, qui solus reman-
 ferat, dolebat, indignabatur, ægre ferebat, non
 secus ac recens pullus nō ferens matris absen-
 tiam. Porro oculos quaqua uersum circumfe-
 rens, & amicissima lingua matrem requirens,
 videt regem in sublimi sedentem solio, eumq;
 humi stratus cum lachrymis compellans, pro
 matre lingua balbutiente supplicabat. Rex
 autem eo accepto genibusq; imposito (erate-
 nim scitus admodum & elegans) rogabat qui-
 cum versari mallet, & quem magis diligeret.
 Ille autem ingeminatis vocibus matrem vo-
 citabat. Nam propter eam, inquit, ad te veni,
 ut soluator, meq; simul ad martyriū assumat;
 illa enim sæpe ad hoc me hortata est. Atten-
 dens autem rex verba pueri: Quid est hoc, in-
 quit, quod dicis martyrium? Respondit puer:
 Pro Christo mori & rursus viuere. Et Rex,
 Quisnam est hic Christus: Puer autem: Veni
 huc, inquit, ad ecclesiam, & eū tibi ostendam.
 Inter hæc visa matre, incredibili fletu & ei-
 latu

latu ad eam se deduci postulauit. Rex autem crepundijs & fructibus visu gustuque suauissimis eius lachrymas siltere nitebatur. Sed non poterat ullis munusculis eius dolor leniri, nec eiulatus sedari. Defixo enim in matrem obtutu, nihil nisi matrem ingeminabat. Cum vero cerneret eam in flamas iniici, totis visceribus inflammatus, acri dente, Tyranni mordit femur, Rege vero illū abijciente pelenteq; cursu ad matrem contendit, & in medium ignem insiliens, eam arctè est cōplexus, & sic demum in ipso complexu matris, extremum edens spiritum, pariter cum ea martyrij corona redimitus migravit ad cælos.

Mirus ardor martyrij.

MARTYRIUM SS. CHRYSANTHI ET

Daria 25. Oct. Extat apud Metaphrasten.

Sur. Tom. 5.

Vir quidam Alexandrinus in ciuitate sua illustris, ordinisq; senatorij nomine Polemius, Romam cū filio suo Chrysantho concessit. Qui à senatu Romano amicè acceptus, maximisq; honoribus ab Imperatore Numeriano auctus, sellam in Senatu Romanorum obtinuit. Hic filium vnicum Chrysanthum, quem disciplinis omnibus imbuendum curauerat, Philolophorum studio tradidit. Erat autem adolescens ingeniosus & ad discendum aptissimus. Cumq; omne scriptorum genus diligenter conquireret, in sacros Euangeliorum codices fortè incidit, eosque incredibili qua-

Ff

dama

dam veritatis indagandæ cupiditate euoluit. Interea ipsius animo lux quædam cælestis oboritur, atq; ad inquirendum aliquem propositæ veritatis ducem, quam suoapte ingenio inuenire non poterat, vehementer impellitur. Itaque ad sanctum Carpophorum presbyterum metu persecutionis in horrida spelunca latitantem perrexit: à quo peramanter acceptus, & paucis mensibus diuinas scripturas tam excellenter edoctus est, vt septimo à precepto baptismo mense Christum Iesum palam cunctis prædicaret. Hoc intellecto grauiter commotus Polemius filium obscuro ac fœdo carcere claudi ciboque sub vesperam saltem parcissimo nutrirî mandauit, vt eo squalore fractus, à fidei constantia resiliret. Verum illa corporis afflictione fortissimus iuuenis egregiè cõfirmabatur. Quare hortatu cuiusdam persuasus Polemius puellarum bladijs, carnisque voluptatibus filij animum enervare aggreditur. In triclinium igitur peristromate ornatũ è tenebricoso carcere Chrysanthus, pretioso corporis cultu exornatus deducitur. Dein speciosissimæ virgines è numero ancillarũ selectę, atq; eleganter comptę eodem immittuntur, quæ castissimi adolescentis animum ad fœdas & impuras carnis voluptates illicerent. Degebat itaq; inter puellarum lusus adeo casti tenax propositi Chrysanthus, vt & ciborum delicias contemneret, & virginum tanquã aspidum contactus euitaret.

Humi

*Castitas
viriliter
defensa.*

Humi assiduò stratus, Christi gratiam contra
 dæmones & carnis insidias cum lachrymis im-
 plorabat; puellarum blanditias, tanquam fa-
 gitras, fidei clypeo repellebat: clamabatq; ad
 Dominum. Quis ô Domine seuum hoc & im-
 manebellū ab aduersario excitatum sustine-
 at, nisi tua victrix præsto sit dextera? Errat qui
 se putat posse virtute propria libidinem supe-
 rare, & castitatem seruare, nisi misericordiæ
 tuæ imbre, carnis extinguantur incendia. Vo-
 luptas enim titillat animū, atq; instar impro-
 bæ feræ, in vitæ nemore latitans, animas deuor-
 rat. Cuius si quis morsus effugerit, est quod
 tibi Saluatori nostro ex animo gratias agat.
 Tuū est enim nos ab eiusmodi periculis libe-
 rare. Et nunc Domine supplex gratiam tuā de-
 posco, vt mihi aduersus immanes istas belluas
 opituleris, vt quemadmodum serpentes suauiter
 incantantiū voce sopore grauantur, sic & ipse,
 me precante somno opprimatur: ne mihi bel-
 lum libidinis inferre queant. Hæc illo orante,
 & lachrymis pectorisq; tunctionibus carnis ar-
 dorem, vt poterat, restingente, virgines om-
 nes graui adeo sopore oppressæ sunt, vt non
 nisi de triclinio exportatæ possent suscitari.
 Foris igitur cepere cibum: iterumque dein
 triclinium ingressas, arctius identidem som-
 nus inuasit. Cumque eam ob rem filium
 ceu mortuum deplorare cœpisset pater: à
 quodam amicorum admonetur: Chrysan-
 thum magicis inter Christianos artibus im-
 butum,

*Deiis opē
 sua athle-
 tam confis-
 mat.*

Ff 4 butum,

*Secundā cō
tra castitas
tem disijcit
machinā.*

imbutum, facile simpliciores puellas incantatione superasse: at si erudita aliqua, & prudentiæ opinione insignis, qualis inter Mineruæ virgines vna omnium præstantissima esset Daria, ad Chrysanthum perduceretur, huius illum venustate, acumine ingenij, prudentiaq; singulari, facili negotiō quolibet impulsū iri. Placet consilium patri. Vocatur Daria, à patre & amicis ad fraudem insidiasq; egregiè instruitur, ornatur, componitur: Ingressur deinde ad Chrysanthum audacter, blandisq; sermonibus, & dulci atq; ornata oratione, conatur adolescentem à proposito removere. Verum Chrysanthus Dei præsidio munitus, diaboli iacula scuto fidei reiecit, & Christi nomen ardenti spiritu precatus, sic ferè eam est allocutus. Si temporariæ coniunctionis causa, ô virgo præclara, tam elegantem ornatum, & dulcem orationis copiā adhibuisti, vt me hominem mortalem, alterius amore inflammatum, ab animi proposito abduceres, mētemq; immutares, quantò magis debes operam dare, vt immortalis Regis filij Dei tibi amorem concilies! quod quidem si volueris non erit difficile. Nam si animam simul cum corpore mundam, & ab omni macula puram integramque seruaueris, & cor tuum æquè ac corpus exornaris, & quemadmodum extrinsecus splēdes, sic mores tuos intrinsecus composueris, mox angelos fautores habebis, Apostolos & Martyres tui amore inflammabis: qui operam dabunt,

bunt, vt ipse Christus sit sponsus tuus: qui thalamum tibi pretiosis lapidibus & margaritis in cælo construet; delicias quas nulla mens creata capere valet præbebit; & deniq; iuuentutis florem largietur immortalem. His Daria verbis commota, nulla me, inquit amoris causa hoc modo ornatam huc adduxit; sed patris tui impulsa lachrymis huc accessi, vt te parenti restituerem, & ad deorū cultum reuocarem. Cumq; pro communi salute verba peramanter cōmutassent, & Daria diuinis Chrysanthi sermonibus inducta Christo credidisset, communi inter eos sententia constitutum est, vt simulato coniugio, virginitatem in Dei timore ad extremum vitæ spiritum seruarent. Cum igitur sub matrimonij nomine Chrysanthus summa patris volūtate & gaudio in pristinam libertatē restitutus esset, ante omnia Dariam domi suæ sacro fonte lustratam, breui eximia diuinarum rerum cognitione instruxit. Quæ suscepto virginitatis velo, admiranda sanctitate & castimonia enituit: & quemadmodum per Chrysanthum innumerabilis virorū multitudo, sic per Dariā incredibilis seminarum numerus ad Christi gratiam concurrebat, & multæ virgines dimissis sponis se Christo dicabant. Quam ob causam facta multitudinis seditione à Celerino præfecto comprehensi, Claudio Tribuno traduntur: qui iussit à militibus Chrysanthum vinctum cruciatibus torqueri: sed vincula omnia resoluta sunt: mox

Daria conuertitur.

Virginitatem paciscuntur.

compedes in quos coniectus fuerat confracti. Deinde bouis corio inclusum in ardentissimo sole constituunt: tum manibus ac pedibus catena constrictis in obscurum carcerem detruunt: vbi solutis catenis, clarissima lux locum illustravit. Daria vero in lupanar compulsa, leonis tutela dum in oratione defixa est, à contumelia diuinitus defenditur. Deniq; in arenariam quæ est via Salaria, vterq; deducti, effossa terra lapidibus obruti, parem martyrij coronam adepti sunt.

NOVEMBER.

EX VITA S. MARCELLI PARISIENSIS Episcopi, authore Fortunato Episcopo.

1. Nouemb. Sur. Tom. 6.

*Innocentia
& puritas
vita.*

Castitas.

Ieiunium.

Beatissimus Marcellus antistes Parisij oriundus, mediocribus quidem parentibus, sed meritis celsus, in vita præclare eluxit Cui hoc fuit nobilitatis insigne lumen, Christo sine culpa seruire. Itaque veros virtutum thesauros, fide casti pectoris asservans custodia, Deum mundo corde complectebatur. Ideoq; divinis sese impendens seruitijs, immo cum Christo regnans, pauper spiritu charitate diues, castitate comptus, conuersatione humilis, ieiunijque obseruans, ab ipsa infantia ita se totum cælesti tradidit disciplinæ, vt in corpore constitutus iam quasi à carnis concretione & contagio segregatus videretur. Vbi vero omni in-

nocentia

nocentia ac vitæ puritate transmissis pueritiæ
annis ad pubertatem peruenit, Lector in Ec-
clesia cōstitutus, mox crebris miraculis & sig-
nis cælestibus diuinitus illustratur: tandemq;
propter admirabilem sanctitatem Ecclesiæ
gubernaculis cum Episcopali authoritate præ-
ficitur.

PVERITIA S. AMABILIS CONFES-
soris 1. Nouemb. Sur. Tom. 6.

BEatus Amabilis conuenienti sibi nomen-
clatura diuino nutu ornatus, & à pijs pa-
rentibus apud Ricomagēses literarum studijs
eruditus, ne quam morum labem intra pueri-
tiæ annos incurreret, ad pietatem diligenter
formabatur. Cœperat enim iam tū in ipso Dei
amor gratiaq; succrescere, & mira cælestium
rerum cupiditate inflammari: proindeque in
tenera ætate aspernabatur ineptos puerorum
iocos: & cum Psalmista ad Dominum clama-
bat: Da mihi intellectū & scrutabor legē tuam
& custodiam illam in toto corde meo. Explo-
rabat adhæc ceu strenuus quidā miles, quibus
armis resisteret Diabolo; ne vllis nequitie eius
telis à Christo posset separari. Porro timorem
Domini, qui est initium sapientiæ, alta inpri-
mis mente reposuit, animoq; ad pietatis studi-
um obfirmato, nihil de pristino feruore, re-
misit. Atq; illa frequens in eius ore versabatur
oratio: Domine q me vocari voluisti Amabi-
lē, fac me tui perfectum amatorē, ne hostis me
huma-

*Morum
maturitas.*

*Timor
Domini.*

*Castitatem
tuetur tem
perantia
victus.*

Virginitas.

Charitas.

humani generis decipiat, quem tuus spiritus sanctificauit. Dehinc prudenter latam illam spatiosamq; viam, declinans, cum iam adolescentiæ metas attigisset, carnis lasciuiâ sobrietate domabat. Magna in illo erga Deum proximumq; emicuit charitas: qua fiebat, vt ne latum quidem vnguem à diuinarum legum præscripto recederet, essetq; totus Deo sanctisq; eius amabilis. Huc accedebat, quasi consertis se manibus prensans ceterarum virtutum chorus, grato pudici animi fruens contubernio. Cumq; id genus polleret animi ornamentis, per gradus ordinum ascendit, ad sacram sacerdotij dignitatem, virginitatis thesauro non amisso, quæ in eius pectore optatum Christo præstabat hospitium. Factus vero sacerdos, sæpe in orationibus pernoctans, pauperes munifica liberalitate fouens: cunctosq; ad amorem Dei suauissimis adhortationibus impellens, dignè Deo deseruijt, illud identidè inculcans: *Sanctorum charitatem non te pescere, sed in Christo crescere oportere.*

VITAS. EMERICI B. STEPHANI
Hungarorum Regis filij. 4. Nouemb.
Sur. Tom. 6.

Beatus Emericus nobilissima prosapia Stephano Hungarorum Rege & Apostolo, & Gysela S. Henrici Imperatoris sorore ortus est. Qui parentibus sanctitatis studio nequaquam inferior, somni parcissimus, cæteris dor-

Noctu ora-
tionibus
incumbit.

dormientibus, à secunda ferè noctis vigilia ad lucem vsque Dauidicos psalmos lectitabat: ad finem cuiusque psalmi corde contrito à Deo veniam postulans. Quod sanctus eius parens per rimam parietis sæpius cōtemplatus, apud se tacitum habuit, magna interim de filio spe concepta. Cum autem aliquando sanctus ille Rex Beati Martini monasterium in monte Pannoniæ ingenti sumptu à se fundatum orandi causa vellet inuisere, Emericum filium huius sibi itineris comitem adhibuit. Vbi autem ad monasteriū propius accessit, monachi honoris causa obuiam processere, vt Regem, quā par erat, reuerentia exciperent. Sed Rex præclarorum filij sui meritorum conscius, ipsum antecedere iussit, fratresque illos salutare; tum vt ea ratione illos honestaret, tum vt filio honor, ipsi paratus impenderetur. Veniens igitur ad fratres Emericus, osculatur singulos; nō tamen eodem modo omnes, sed pro ratione meritorum, quæ reuelante Dei spiritu cognouerat, alijs duo, alijs tria, plerisque quatuor vel quinque; vni Mauro septem oscula dedit. Quod cum cerneret pater eius, etsi filium nihil in ea re temerè fecisse existimaret, non potuit tamen ob rei nouitatem nō admirari. Itaque peracto sacrificio, familiariter & accuratè ex eo percunctatur, cur non ijsdem omnes patres osculis impertisset. Respondet ille, se pro ratione temporis quo singuli continenter vixissent, alijs plura, alijs pauciora oscula distribuisse. Eum

Ff 4

se. Eum

se. Eum autem quem septies osculatus esset, virginem permansisse ait: atq; ex eo septenario numero virginitatis præstantiam intelligi debere. Procedente dein ætate cum virtutum & meritorum simul incrementa caperet, nocte quadam Vesprinij in basilica B. Georgij martyris cum vnico famulo ante aram precibus incubens, apud se disquirere cœpit, quodnam posset Deo munus offerre gratissimum. Et ecce totâ Ecclesiâ immenso repente lumine completâ, vox cœlitus eiusmodi auditur: Præclara res est virginitas. Itaq; mentis & corporis integritatem Deo offerro, & constanti animi proposito in ea perseuerato. Hac voce mirificè exhilaratus, non suis sed Dei præficiens viribus: virgineam statuit puritatem ad extremum vsq; spiritum conseruare. Pater autem suo cupiens regno posteritatiq; consulere, virginem regio stemmate & forma corporis, morumq; integritate spectatissimam, ei despondit. Id etsi ille principio multum recusaret, tandem tamen paternis victus precibus, assensit quidem; sed ita tamen, vt sponsam ad eandem vitę castimoniam perduceret, Malebat enim pius adolescens, virtutum illam, quam liberorum fœcunditate pollere. Interea ne corpus lasciui ret & spiritui forsitan rebellionem excitaret, assiduis illud ieiunijs, alijsq; afflictionibus domabat: sponsamq; non alio quam sororis loco habens, in ipso iuuentutis flore ad beatam immortalitatem

Vouet virginitatem.

Præsidia castitatis.

tatem feliciter migravit. Trigesimo autem ab obitu eius die, tot tantisq; miraculis Deus sanctum suum illustravit, ut cunctis in vrbe regia, quam Abham regalem vocant, vbi sacrum eius corpus tumulatum est, non mœoris ille, sed gaudij dies videretur.

PVERITIA S. MALACHIAE EPISCO-

pi Hybernia, ex ea, quæ est per B. Bernardum

Ab. Claraval. conscripta. s. Nou.

Sur. Tom. 6.

Malachias nobili apud Hybernos ortus progenie, summa matris diligentia ad omnem pietatem erudiebatur: & ingenio admodum docili, atq; eximia indole in phrontisterio quotidianis magistro respondebat perfectibus: quæ res mira illi singulorum studia amoremq; conciliauit. Cumq; per ætaturæ suæ *Maturitatis* annos gradatim varia prudentiæ accessione *morum.* mularetur, senē referebat moribus, omnemq; *Pudicitia.* lasciuia puerilem adhuc puer declinabat. Et quamuis eam ob rem cunctis reuerentiæ atque stupori esset, nihilo tamē inde, ut assollet, insolentior, sed etiam ad obtemperandum inueniebatur facilior. Non impatiens magistrj, non fugitans disciplinæ, non lectionis fastidians, non ludorum denique appetens: quod vel maxime illa ætas dulce ac familiare habet. Literarum proinde peritia, æquales; morum vero disciplina virtutumque profectu.

*Pietas.
Tempe-
rancia.*

Humilitas.

Deuotio.

*De vita
statu deli-
berat.*

Cessum.

fectu, etiam docentes se superabat. Tum vero diuina excitatus gratia, etiam secretum pere-
re, anticipare vigilias, meditari in lege, refici
parcius, orare frequentius satagebat. Jamque
cautus declinare virus illud virtutum, inanem
gloriam, virtutis exercitationem, humilitatis
abdebat sipario. Vnde cum rus à magistro du-
ceretur, crebrius reducto post eius tergum
vestigio, figebat gradum, & ipso nihil suspi-
cante, expansis ad cælum manibus quasi iacu-
latam emittebat orationem. Ineunte vero a-
dolescentia tanto etiam prudentior quanto ge-
tate prouectior, de stabili vitæ genere matu-
riora tractat consilia. Videns enim mundum
in maligno positum, & insanis ad flagitium ra-
ptari cupiditatibus; suumq; è diuerso diuini-
tus acceptum cōsiderans institutum: Meus, in-
quit, ex Deo est spiritus, & scio quæ in illo do-
nata sunt mihi. Inde mihi interim adhuc inno-
centia vitæ, inde continentia decus, inde iusti-
tiæ fames, inde quoq; illa eò securior quo se-
cretior, gloria mea est testimonium conscien-
tiæ meæ. Nihil horum mihi tutum sub princi-
pe mundi. Deinde habeo thesaurum hunc in
fictili vase. Verendum ne impingat & franga-
tur, & effundatur oleum lætitiæ meæ q̃ por-
to. Equidem non impingere inter saxa & sco-
pulos distortæ & anfractuosa viæ & vitæ hu-
ius, difficillimum. Itane in momento perdam
simul omnes, quibus ab initio præuentus sum
benedictiones dulcedinis? Resigno illi potius
à quo

à quo sunt & me pariter. Et ego enim ipfius. Perdam igitur ipsam ad tempus animam, ne perdam in æternum. Et quod sum & quæ habeo omnia, vbi mihi æquè salua atq; in manu authoris? Quis ita ad seruandum sollicitus, ad retinendum potens, ad restituendum fidelis? Seruabit tutò, restituet opportunè. Quin igitur sine retractione me dedam ad seruiendum illi de donis suis? Itaq; deliberationem res atq; opus consequitur. Degebat in ciuitate Ardina-cha, Imarius quidam vir sanctus austerè admodum vitæ, & inexorabilis sui corporis castigator, atq; in cella quadam iuxta ecclesiam ieiunijs & obsecrationibus die ac nocte Deo deseruiens. Ad hunc se contulit Malachias, formam vitæ accepturus ab eo, qui viuum se tali damnauerat sepultura. Mirabatur omnes rem eò loci, insolitâ. Pleriq; humano affectu ducti dolere & plangere, quod dilectus omnibus delicatusq; adolescens duris se adeo laboribus mancipasset: Alij suspicati leuitatem propter ætatem, diffidere de perseuerantiâ, timere de casu: Nonnulli temeritatem causantes, indignari & fremere in eum, quod supra ætatem & vires rem arduam fuisset aggressus. Verum ille sine consilio egit nihil. Erat enim illi hoc propheticum instar omnium. Bonum est homini si portauerit iugum ab adolescentia. Et addit: Sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se supra se. Sic verè iustorum semita quasi lux quædâ terris oborta, crescit vsq; ad perfectum diem.

PVE-

*Auspica-
tur vitam
austera.*

PVERITIAS. GODEFRIDI EPISCOPI
Ambianensis. 8. Nouemb.

S Godefridus in pago Suefionensi Frodo-
nepatre, matre vero Elifabetha ingenuis
atq; optimis parentibus in lucem editus, ab ijs-
dem quinquennis ad Abbatem Godefridum
in signi morum integritate & generis nobilita-
te clarum perductus fuit: qui puerum exolu-
lans, habitum religionis ei tradidit, discipli-
nisq; tum liberalibus tum monasticis diligen-
ter erudiuit. At puer à magistro tradita auidè
Obediētia. hauriens, monitisq; obtemperans, factis æ-
Maturitas
morum. quare doctrinam, & re ipsa se talem præstare
Deuotio. auidius conabatur. Erat ei vultus propemo-
dum angelicus, morum vero tanta elegantia
atque maturitas, vt ijs non solum coæuos, sed
etiam natu grandiores anteeret. Erat in vigi-
lijs pernox, creber in precibus, scripturæ di-
uinæ studiosissimus, nec ex his quærens ina-
nis gloriæ iactantiam, sed interioris lucis sua-
uitatem, & lachrymarum largos imbres elici-
ens: dum se intelligentiæ pennis ad superna e-
rigeret, & quæ lectione didicerat mundorum
more animalium assidua cōmentatione rumi-
naret. Quamobrem cibi potusq; copiam velut
Tempe-
rantia. detrimenta intelligentiæ fugitans, non modo
superflua sed etiam necessaria corpori non ra-
rò subtrahebat, adeò vt plerumque fratribus
cibum capientibus, solus in templo medita-
Ieiunium. tioni, siue lectioni operam daret, atq; vsque in
noctem ieiuniū protrahens, cōfectum inedia
cor-

corpuseculum tum demum nō exquisitis epulis, sed pane & aqua reficeret. Os ab obtrectione & otiosis sermonibus perpetuo refrānauit, nec ad aures eiusmodi virus admittere voluit. Nō tantum superioribus & equalibus, sed etiam inferioribus, Christi Saluatoris exemplo, obedientem se ac morigerum prēbuit; vt etiā extrema quæq; ab illis imperata, haud secus, atq; si Christus iussisset, sine mora exequenda susciperet. Portionem vini, quæ illi apponebatur, nunquam visus est haurisse totam, sed plerumq; mediam, sæpissimè totam egenis impertijt, idem faciens de piscibus & alijs rebus esculentis. Cunctis deniq; ceu speculū ob oculos erat positus, vt facile quiuis in eo posset animaduertere, quantum à perfectionis culmine abesset.

Abhorret
detractio-
nibus.

Obediētia.

Vini fugi-
tans.

EX VITAS. MARTINI EPISCOPI TV-
ronensis, scripta à Seuero Sulpitio eius discipu-
lo 12. Nouem. Sur. Tom. 6.

EGregius planè & omni laudi dignissimus Martinus Sabariæ Pannoniarum oppido oriundus, sed intra Italiam Ticini altus, parentes habuit seculi dignitate nequaquā infimos, sed gentiliū nefariæ superstitioni miserè (pro dolor) deditos. Pater eius tribunitia dignitate honoratus, animi & corporis vires militari gloriæ consecrauerat, filiumque inuitum planè ad eadem stipendia primum sub Constantio, deinde Iuliano facienda adegit. Ipse enim

enim

*Decennis
fit catechu-
menus.*

*Propendet
ad statum
religiosum.*

*Inuitus
militat.*

Humilitas.

*Innocentiā
inter arma
tuetur.*

*Humilitas.
Frugalitas
in victu.*

*Miseri-
dia.*

enim à primis ferè annis insita pietate permo-
tus diuinam spirabat seruitutem: ita vt decem
annorum puer ad Ecclesiam confugerit, seq;
catechumenum fieri postulârit. Moxq; mi-
rum in modum diuino amore totus incensus
eremum concupiuit; fecissetq; votis satis, nisi
ætatis infirmitas obstitisset. Animo tamen
aut circa monasteria, aut ecclesias semper in-
tentus; meditabatur in ætate puerili, quod ro-
busta ætate vir egregiè adimpleuit: Sed cum
edicto regum caurum esset, vt veteranorum
filij militiæ nomina darent, prodente patre,
qui felicibus eius actibus inuidebat, cum esset
annorū quindecim raptus & catenis vinctus,
sacramento militari obstringitur; vno saltem
seruo comite contentus; cui tamen versa vice
dominus seruiebat, adeò vt plerumq; ei & cal-
ceamenta ipse detraheret, & ipse detergeret:
cibum vnà caperent, hic sæpius ministraret.
Triennium ferè ante salutare lauacrum in ar-
mis fuit, integer tamen ab his vitijs, quibus il-
lud hominum genus implicari solet. Multa il-
li circà commilitones benignitas: mira chari-
tas: patientia verò atq; humilitas vltra huma-
num modum. Frugalitatem vero in eo lauda-
re necesse non est: qua ita vsus est, vt iam illo
tempore non miles, sed monachus putaretur.
Quibus rebus ita sibi omnes commilitones su-
os adiunxerat, vt eum miro venerarentur af-
fectu. Necdum tamen regeneratus in Christo
agebat quendam bonis operibus baptismatis
candi-

candidatum: assistere scilicet laborantibus, o-
pem ferre miseris, egentes alere, nudos vesti-
re, nihil sibi ex militiæ stipendijs præter quo-
tidianum victum referuare. Itaq; nihil iam de
craftino sollicitus quodâ tempore, media hye-
me, quæ solito asperior inhorruerat, cum pau-
perem nudum in porta Ambianensium habu-
isset obuium, & miserum illum reliqui omnes
præterirent: ille solus armis & simplici mili-
tiæ veste tectus (reliqua enim iam in opus si-
mile cōsumperat) arrepto ferro chlamydem,
qua erat accinctus diuidit mediam, partemq; *Partē chla-
mydis dat*
eius pauperi tribuit, reliqua vero humeros su-
os rursus obuoluit. Nocte igitur insequenti
cum se sopori dedisset, vidit Christum chla-
mydis suæ, qua pauperem donârat, parte ve-
stitum, atq; ad angelos circumstantes clarè di-
centem: Martinus adhuc catechumenus hac
me veste contexit. Quo viso, vir beatissimus
non in gloriam est elatus humanam, sed boni-
tatem Dei in suo opere cognoscens, cum esset
annorum duodeuiginti ad baptismum prope-
rè conuolauit. Nec tamen statim militiæ nun-
tium remisit, tribuni sui precibus euietus, cui
contubernium familiare præstabat. Is enim
transacto tribunatus sui tempore, renunciatu-
rum se pariter seculo pollicebatur. Qua Mar-
tinus expectatione suspensus, biennio ferè à
suscepto lauacro solo scilicet nomine milita-
uit. Interea irruentibus in Gallias barbaris, Iu-
lianus Cæsar coacto in vnum exercitu, apud

Cg

Vangio-

*Recusat
pugnam.*

Vangionem ciuitatem congiaria cœpit militibus erogare. Cumq; ad Martinum ventum esset, ipse accedens ad Cæsarem: Haecenus, inquit, tibi militauim, nunc patere ut militem Deo: congiarium tuum pugnaturus accipiat alter: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tum vero aduersus hanc vocem Tyrannus infremuit; dicens eum metu pugnæ, quæ postera die erat futura, non religionis gratia detestare militiam. Martinus igitur illato sibi terrore constantior: Si hoc, ait, ignauia adscribitur non fidei, crastina die ante aciem inermis astabo, & in nomine Domini Iesu, signo Crucis non clypeo protectus, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur: facturus fidem dictis, ut inermis barbaris obijceretur. Postera vero die hostes pacis legatos miserunt, & se suaq; omnia dediderunt. Exinde relicta militia, sanctum Hilarium Pictauiensem Episcopum adiit, & aliquandiu apud eum commoratus, diuinitus admonetur, ut patriam parentesque quos adhuc gentilitas detinebat, visitaret. Quod cum periculoso itinere peruenisset matrem ab errorum tenebris vindicauit, patre in malis perseverante: ac dein Arrianæ perfidiæ pestilentissimè grassanti, vnus inter omnes gnauiter resistens, ac multis ob eam rem affectus iniurijs, publiceque virgis cæsus, ad extremum exilio mulctatus est. Verum è diuerso à Deo præamplis honoribus & Pontificiæ dignitati reservabatur.

Pr 1.

PVERITIA S. CUNIBERTI EPISCOPI

Colon. & Confess. 12. Nouemb.

Sur. Tom. 6.

S Cunibertus in prouincia Mosellensi pater
tre Crallo, matre vero Regina nomine
natus, magna adhuc puer virtute & animi sa-
gacitate præditus fuit. Cum enim pater eius
genere & dignitate clarus puerum elegantem
in primis Dagoberto Francorum regi nutrien-
dum ac prouehendum, inductus familiaritate
regia, commendasset, ipse mirum in modum
non tantum ab illicitis, sed etiam multoties à
licitis naturam compescuit, & cupiditate com-
pressa, animum ad studiū sapientiæ præclare
excitauit. Erat laudibus mansuetudinis & pa-
tientie egregiè ornatus; ingenio ita docilis, ut
magistrorū etiā industriā superaret. Comitas
eius grata erat omnib⁹; humilitas vero & p-
ptum omnibus benefaciendi studium cunctis
magnæ plane admirationi erat. Non enim Re-
gi tantum & maioribus iuxta personæ cuiusq;
dignitatem deferuire studebat, sed ipsis etiam
non raro seruorum vice, calceamenta detra-
here, eaque mundare solebat: quæ officia ita
exercebat, ut per ea inflatos sæpe nobili-
um animos ad humilitatis studium, humanæ-
que vitæ cognitionem mira dexteritate pro-
uocaret. Cum vero ab hoc primo exer-
citij gradu vellet illum Dominus ad altio-
ravirtutum incrementa conscendere, reue-
lare dignatus est regi, quanti apud ipsum

Tempe-
rantia.Mansuetu-
do.

Humilitas.

Gg 2 meri-

*Diuinitus
estenditur
eius inno-
centia.*

*Rex illum
in filium
adoptat.*

meriti puerilis illa simplicitas haberetur. Quadam enim nocte dum peruigil Rex in lecto quiesceret, vidit subito locum illum ubi sanctus puer dormiebat magno lumine resplendere, & futura pueri facta cælesti præfagio denotari. Manè igitur Rex miraculi nouitate perterritus, magnum futuræ sanctitatis argumentum intellexit. Itaque accitum ad sepulcrum solito familiariter allocutus est, & adoptatum sibi in filij locum, dulci amplexu exosculans, illustri coram omnibus testimonio pueri innocentiam prædicauit. Exin igitur literis apprimè eruditus ad Ecclesiasticos honores licet inuitus promotus est, quos excellentibus illustrauit meritis, & congruentibus adornare curauit obsequijs. Itaque auctus benedictione cælesti à Treuironum Archiepiscopo, Archidiaconatus officio sublimatus est. Vbi mirum quantum in Dei opere feruens, vitamq; hanc quodammodo exosus, solum animarum lucrum ob oculos sibi statuebat: vnicè huic rei intentus, vt plurimos Christo lucrificeret.

PVERITIA S. MACLOVII EPISCOPI

*& Confess. ex ea quam scripsit Sigebertus
Gemblacensis. 15. Nouemb.*

Sur. Tom. 6.

Maclouius in Britannia claris parentibus natus, ab ipsis infantia annis occupationi secularis vanitatis renunciauit, & Christiane

stianæ libertatis suauis iugo lubens se subdidit. Utq; uero plenius diuinæ sapientiæ ipsiusque Dei cognitionē hauriret: arctius se sacrarum scripturarum studijs inuoluit, sicq; præclara exercitatione mentis & otia propulsabat, & Deum perfectius contemplabatur, & futuræ fructus gloriæ, felici bonorū operum semente cumulationem faciebat. Desiderabat scientiam, non illam quæ animus uanitate inflatus turgescit, sed quæ charitatis atq; humilitatis ædificat adminiculis. Accedebat eodem in comprimendis affectibus salutaris seueritas, simplici enim victu uestituq; contentus, corporis frigora flocci faciebat, indignum ducens distendi ciborum copia, ne qua ratione dominaretur animæ suæ, per indulgentiam corporalis necessitatis, carnis petulantia. Ideo exceptis his, quæ simplex naturæ expetebat necessitas, reliqua omnia in eleemosynas congerebat. Euasit dein celebris diuino miraculo testata pueri innocentia. Cum enim ludendi gratia cum puerulis ad littus maris accessisset, alijsq; interim ludētib; fortuito somnum cepisset, ceteris ob reciproci maris æstū fuga dilapsis, solus relinquitur Maclouius iam iam circumfusus fluctibus suffocandus. Sed diuina ope protectus, succrescente inter undas ad summum usq; æquoris insula, stupentibus uniuersis, puer multorū saluti natus à præsentī exitio uindicatur. Deinde uero adhuc puerulus promissam mundis cordibus Dei uidendi beatitudinem

Temperantia.

Misericordia.

*Virginita-
tem coluit.*

dinem sedulo pertractans, ab ipsis pueritię rudimentis, munditię semet deuouit operibus. Volens enim placere Deo corpore iuxta ac spiritu, elegit omnem ætatem agere in uirginitatis cælibatu. Sicut enim testa recens, quo semel est imbuta, diu seruat odorem; ita & ei perutile visum est, rude sui corporis vasculum aptare quamprimum ad sanctificationem & honorem, ne carnalis desiderij vitaretur affectibus. Quod ut expeditius perageret, prompto pectore secundisque parentibus ad monasticen comigravit. Vbi sub regularis disciplinæ custodia, tanta præ cæteris obedientiæ promptitudine emicuit: ut ea de re æqualium suorum non paruam toleraret inuidiam. Præparabatur porro indies ad ueriores sublimis sacerdotij dignitatem: perque incrementa virtutum enitens ad perfectionis fastigium, & præclarè memor promissi, castitati conseruandę præcipuam nauabat operam; sciens, quia nisi syncerum vas fuerit, quodcunq; infunditur acefcit. Tum uero pio senore talenta gratiæ accepta cõduplicans, quoscunque potuit uerbo uel exemplo allicere ad propositum sanctæ conuersationis, socios sibi ad scandendum perfectionis iter conciuuit. Itaque temperantia moderationeq; uitæ, ita ad omnem honestatem examussim semet composuit, ut ad summum sanctitatis culmen feliciter peruolârît.

Castitas.

PVERITIA S. LEOPOLDI AVSTRICI

Marchionis & confessoris, ex oratione Francisci

Pataui 15. Nouem. Sur. Tom. 7.

BEatus Leopoldus cognomento Pius, & illustri stirpe procreatus, ab infantia non se *Pudicitia.* delicijs aut voluptatibus, quibus ætas illa maximè irretiri solet, permisit, neq; ijs quæ omnes faciunt pueri se accommodauit, aut corripit inter regios luxus opesq; constitutus; sed quod eiusmodi sese vanitatibus abdicasset, inter tot rerum omnium delicias, sobrius, cōtinens, abstemius, & in carne præter carnem viuere cernebatur. Adeo vt plurimi, qui eius vitam memorant scriptores eius innocentiam *Magna uirtus puritas & innocentia.* admirentur, solumq; adolescentem dicant earum rerum expertem quas fert adolescentia. Huic non equi non canes præcipuum fuere studium: sed diuina eloquia, veræq; fidei cultus assiduus, cognitioq; studiosissima placuerat. Sæpius enim sacris codicibus videbatur in *Amor contemplationis.* tentus, nec facilè à rerum diuinarum contemplatione, seu operatione vacuus inueniebatur. Genitore vita functo, regni habenis hæreditario iure susceptis, populos natura feroces ea moderatione animi gubernauit, vt eis non præesse sed prodesse curaret, & se rectorem & exemplum ad benebeatq; viuendum subditis præberet.

VITA S. EDMUNDI ARCHIEPISCO-
pi Cantuariensis. 16. Nouemb.

Sur. Tom. 5.

BEatus Edmundus patre Eduardo, matre vero Mabilia optimis integerrimisq; parentibus, pago Abendonienſi in hanc lucem editus eſt: Cuius futuram virgineam integritatem miro quodam omine Deus præoſtendit: quando præter communem naſcentium morem, nullam ei ex partu maculam adhæſiſſe obſtetrices ſtupuerunt: proindeq; cum baptizaretur, mater eum à munditia Edmundum voluit appellari. Hic ab ipſiſ propè incunabulis admodum religioſè à matre educatus, in tenera ætate didicit, quemadmodum poſtea etiam adultus in preces & ieiunia incumbere deberet. Nam vt ſua ſponte ſextiſ ferijs pane & aqua contentus eſſet, pia mater ei & promittere & largiri ſolebat munuſcula, quibus illa ætatula deliniri ſolet. Cum autem mitteret eum cum fratre Pariſios, vt liberalibus diſciplinis inſtituerentur, ne ex ignorantia laborentur in errores, duo eis cilicia dedit, iuſſitq; vt biſ vel ter qualibet hebdomade ea induerent. Timebat enim prudens & religioſa femina, ne poſtquam pubertatiſ annos attigiffent, per abrupta inſanarum libidinum præcipitia, incauti agitarentur. Itaq; ſpiritualium bellorum rudes & imperitos ſapienter præmunire ſtudit: ipſique Edmundo, quem præſcia ſanctitatiſ eiſ, præ cæteriſ filijs impenſius amabat, cum Lute-
tiæ

*Aſſueſcit
orationi &
ieiunijs.*

*Mater eum
cilicio do-
nat.*

tiæ literis daret operam, cum lineis indumentis etiam cilicium mittere solebat. Atque ille sanctus puer, omnem à se leuitatem repellens, choreas aliq; ludicra & spectacula deuittauit. Porro Dominicis & festis diebus, vt erat à matre edoctus, ante sumptum cibum totum perlegit psalterium. Eunti aliquando deambulatum, cum se celerius à sodalibus suis subduxisset, ne conscientie puritatem nugis puerilibus, ociosisue sermonibus contaminaret, puer Iesus illi apparuit, sic eum prior appellans: Salue dilecte mi. Ipso autem ad ignoti pueruli vocem admiratione defixo, puer Iesus pauidum illum atq; hæsitabundum, iterato compellat: sciscitatur num vel tenuem sui habeat notionem. Respondit ille columbina simplicitate. Neque ego vllam tui habeo notitiam, nec me abs te nosci puto. Tum puer Iesus: Et quinam, inquit, fieri potest, vt tam ego tibi ignotus sim, cum in scholis tuo sedeam lateri proximus, tibiq; indiuiduus vbiuis prelo sim comes? subiunxitq;: Respice in faciem meam & quid illic scriptum sit vide. Respexit ille, legitq; Iesus Nazareus, rex Iudæorum. Tum puer Iesus: Ist hoc mihi nomen est, quod te intimis visceribus recondere peruelim, semperque noctibus accuratè fronti tuæ imprimere. His dictis melle dulcior puer Iesus disparuit, & castum pueri pectus multa suauitate demulsit. Abhinc vero solenne B. Edmundo fuit, passionem Domini Iesu deuotissima me-

*Morum
maturitas.*

*Munditiæ
cōscientia.*

Gg 5 dita-

*Deuotio erga
passionē
Dōmini.*

ditione peruoluere : Cum vero festo quodam die multa negotiorum mole distentus, noctu recordaretur, se consuetæ meditationis pensum intermisisse, caputq; fessum quietem reposceret, sub auroram apparuit illi diabolus & ambabus prehensum manibus, ne se Crucis signo in frōte muniret, impediuit. Sed mox orante Edmundo in pauiētum cadens, à puero ipsi magnanimiter insultante profligatur. Postquam vero adolescentiæ annos attingit, sensus suos per vitæ spiritualis exercitia adeò rebus bonis & virtutū studio assuefecit, vt ex iugi consuetudine, deinde, quasi naturæ quodam genio, vitium omne exhorresceret. Atq; in eo præclaram posuit operam, vt in seipso velut in tabulis rasis prima duceret virtutum lineamenta, quo ab innocentiae exordijs, reliquus virtutū color, ad imaginem sui principij, feliciore conatu pingeretur. Carnis scēdas voluptates & delicias nō modo fugit, sed & prorsus abhorruit : & cum virtutū cæterarum esset apprimè studiosus, castitati tamen singularem nauauit operam, sciens illud Sapientis : Hominem Deo incorruptione fieri, p̄ximum : Vnde profectum est, vt vsq; ad supremū vitæ diem inuiolata in eo permāserit virginitas. Ne vero in ea tuenda, minus sibi sollicita esset diligentia, de consilio cuiusdā Sacerdotis, coram imagine perpetuæ Virginis sanctissimæ Matris Dei, castitatis nuncupauit votum, & illi singulari & incomparabili virgini se commendans,

Castitas.

Virginitas.

Voto castitatis obligat.

eam

eam sibi sponsam delegit. Atq; vt fœdus cum illa initum prorsus firmum & stabile fore declarâret, nouo quodam modo eam annulo suo tanquam arra sibi despondit, eumq; angelica salutatione inscriptum, imaginis eiusdem digito reuerenter infixit: alterum vero huic similem proprio digito aptauit, vt eū beatissimæ uirgo suum agnoscere spōsum dignaretur. Atq; ex eo tempore (pro vt ipse sub obitum aperuit) quoties illius clementissimæ Virginis implorauit opem, mox in tentatione exitum, in persecutione solatium, in afflictione remedium, in dolore gaudiū celeriter impetrauit. Posteaquam vero sorores suas à defuncta sibi matre cōmendatas in monasterio collocasset, leuatus curis secularibus Parisios redijt, liberalium disciplinarum cursum cōfecturus. Vbi sanè diligētissimè in literas incubuit, & magnā ex eis suauitatē percepit: discēdi quidē cupidus, sed rectè viuendi cupidior, ita studebat discere tanq̃ semper victurus; ita viuere, tanq̃ cras moriturus. Vnde fiebat, vt & studio benè discēdi sensus à reb^{us} friuolis & noxijs auocatos, facilius ad benè viuēdum accōmodaret: mentēq; synceræ cōscientiæ ac pietatis luce serenā & turbationis expertē, ad bene discēda subtilia purius & tersius applicaret. Acutè enim perspicendis rerū causis sic animū adhibebat suum, vt admirabili in doctrinis progressu, non studiōsis modo, sed etiam magistris & præceptoribus miraculi instar esset. Vertitur post hæc
ad

*Castita-
tem fortif-
simè tue-
tur.*

ad insidias cacodæmon, & castissimo adole-
scenti diuersas tentationum admouet machi-
nas. Itaq; puellam quandā hospite eius filiam,
illius amore inflammat, quæ cum signis ac nu-
tibus pudicitiam eius frustra tenta flet, apertis
tandem verbis cœpit agere, & multis modis ad
nefarios amplexus inuitare. Quam ille ceu pe-
stem quandā fugiens crebris obiurgationibus
castigabat. Verum cum nihilo secius pergeret
esse importuna, ad certā iubet horam adesse.
Venientem igitur ad se Edmundus & veste ex-
teriori exutam, virgis egregiè cecidit, adeoq;
à cupidinis impetu eā vindicauit, vt nunquam
se dein eadem tentatione pulsata fateretur.
Adhæc matrona quædā satis, vt videbatur ho-
nesta, oblati officij prætextu muneribus eodē
pellicere Edmundum conabatur: à quo inter-
rogata, num conscio marito id faceret; respon-
dit: id se clā marito esse optare, si quid hono-
ris gratia fecisset; Cui ille. Ego vero, inquit, in-
scio marito tuo dona tua nō recipiam. Abijtq;
illa cum muneribus voto suo frustrata, & vir
Dei ab eius infestatione liberatur. Postquam
ex adolescentiæ annis excessit, crescente cum
ætate corporis robore, creuit etiam inuisibilis
militiæ pugna. Quamobrem nō contentus ille
communibus cilicijs, quibus mater eum à te-
neris vti voluit, nouum cilicij genus effinxit,
quo carnem suam non tam domare quam ex-
cruciare studuit. Erat illud non ex tenuibus
pilis cōtextum, sed ex chordulis quibusdam,
instar

*Nota ar-
ma pudici-
tiæ.*

instar retis multa densitate inter se confertis
& intricatis confectum, cui multi inerant no-
duli humanæ carni prope intolerabiles: quod
ille fune à scapulis vsq; ad renes circumdato
adeo arctè corpori impressit, vt vix corpus
flectere, aut inflexum erigere posset. Addebat
porro etiam femoralia caligafq; cilicinas, qui-
bus assidue utebatur cum lorica illa, quam ma-
ter ei reliquerat. Cum artium magister effe-
ctus esset, præter morem eorum, qui tum pu-
blicè profitebantur. Missæ sacrificium audire
& preces Canonicas quotidie legere cōsuevit,
cuius hortatu atq; exemplo discipuli sacris pe-
rinde interesse assueuerunt. Deinde vero cum
post philosophicas exercitationes, animum
ad Theologiam appulisset non contentus ma-
nè sacrificio interfuisse, nocturnis insuper in-
tererat vigilijs, hisq; peractis in oratione cum
lachrymis & gemitibus ante aram B. Virginis
perseuebat, ac deinde nulla corpori quiete da-
ta, cum alijs ad scholas pergebat; iterumq; ve-
spertinis horis se præsentem exhibebat. In æ-
dibus sacris perquam reuerenter & piè se ges-
sit, & ibidem nunquam aut rarissimè voluit
assidere. Tanta autem auiditate sacras cōple-
ctebatur literas, vt in earum studio penè in-
somnes duceret noctes. Studijs intentus coram
se habebat imaginem eburneam Beatæ Mariæ,
in cuius circuitu depictum erat nostræ redem-
ptionis mysterium. Itaq; in Codice feruebat
lectio, in imaginis repræsentatione deuotio,
atq;

*Deuotio.**Alacritas
in studijs.*

atq; de vtrifq; contemplationis dulcedo. Quoties biblia sacra aperiebat, honoris causa reuerenter ea osculabatur. Breui autem mirè in Theologiæ studio profecit, ita vt intra paucos annos, multis magna contentione hortantibus, Doctoris titulo ornatus sit: sed id sanè inuitus, quod illo honore se indignum profiteretur. Abſtinentiam quam à puero studioſè coluerat, ita ſeruauit, vt ſolo pane & aqua ferijs ſextis contentus eſſet. Interdum ſolum panem edens nullum omnino potum admifit. Cibis veſcebatur vilioribus. Secundis & quartis ferijs, itemq; in ſeptuageſima carnis abſtinebat; ceteris diebus propè nihil è carnis vel piſcibus attingens. Initiatus tandem ſacerdotio duriori ſe abſtinentiæ lege obſtrinxit; ita vt rariffimè bis in die comederet, idq; non niſi honeſta ratione perſuadente. Quotidie triplices dicebat horarias preces, puta Canonicas, ſancti Spiritus, & perpetuę virginis Marię: addebatq; etiam officium defunctorum. Poſt primum exurgens ſomnum, mox ad precandum, vel meditando vel legendum ſe conſerebat. Lectum quidem habuit ſatis honeſtè compoſitum, nec tamen in illo cubabat, ſed in ſcabello, nonnunquam etiã nuda humo: quandoque vero caput pendulum ad lectum reclinabat: interdum etiam, vt dimidio tātum corpore quieſceret, ſedens capiebat ſomnum, idq; annis triginta factiſſe creditur. Tantum potuit à teneris inchoatus rigor temperantiæ.

PVE-

Abſtinentia.

Diligens oratio.

Somni paſſionia.

Lecti aſpectus.

PVERITIA S. COLVMBANI ABBATIS.

21. Nouemb. Sur. Tom. 6.

Columbanus in Hybernia, inter ipsa fidei
 Cillic nascentis primordia, oriundus, non
 sine futuræ sanctitatis præfagio in lucem pro-
 dijt. Eius namq; genitrix, iam prægnans, vidit
 nocte quadam rutilantem è sinu suo prodire
 solem, & mundo ingens lumen præbere. Por-
 ro Columbanus exactis infantiaë annis, pube-
 scente ætate grammatices atq; artium libera-
 lium studijs capaci inprimis ingenio operam
 nauare cœpit: eamq; ad virilem vsq; ætatem
 magna animi cõtentione psecutus est. Sed cum *Alacritas*
 eũ formę elegantia, & corporis cãdor, omnib; *in studijs.*
 gratum redderet, cœpit antiquus hostis letife-
 ra in eum tela vibrare. Lasciuas igitur puellas
 eius amore inflammat, quę præsertim venusta-
 te corporis infaustis possent cupiditatibus mi-
 seros fauciare atq; implicare. Itaque egregius
 miles tot se vndique telis appeti atque vrgeri
 conspiciens, sciens nihil esse tam sanctum reli-
 gione, tamq; custodia clausum, quo penetrare
 libido nequeat, contra immanes hostiũ cune-
 os ad pugnam sese accinxit, ne frustrato labo-
 re, quem in honestissimarum rerum studijs
 collocarat seculi illecebris occuparetur. Tum
 vero natale solum relinquere, & pio peregri-
 nationis studio peccandi euitare molitur ille-
 cebram. Mater itaq; se à filio deserri per mole-
 stē ferens, cum precibus nihil obtineret, limen
 occu-

*Fuga tue-
tur pudici-
tiam.*

*Constantia
animi.*

occupat, atq; humi prostrata eiulans exitum intercludit. At Columbanus defixis in Christum oculis, ac limen matremq; transiliens, orat ut æquo sit animo, magnum à Deo in cælis præmium pro ea re perceptura. Atq; sic patria demigrans, primo ad Senilem, qui eo tempore singulari religione, & scripturarum sacrarum eruditione inter suos pollebat, se cōtulit: Quo doctore præclarè instructus, sub Abbate Comogello regularis disciplinæ cultum auspicatur. Vbi in stadium perfectionis admissus omnes religiosæ obseruantia implebat numeros, & mortificationis studio cōtinenter intentus, orationibus & ieiunijs vacare gaudebat.

EXEMPLVM S. CAECILIAE VIRGINIS
& mart. 22. Nou. S. VII. Tom 6.

Virginitas.

CAecilia virgo Romana nobili genere nata, à prima ætate Christianæ fidei præceptis instituta, virginitatem suam Deo vouerat, & Euangelium Christi semper in pectore circumferens, eiusdem lectitare eloquia, opemq; feruidis precibus exorare nec noctu nec interdiu intermittebat. Cum vero Valerianus eximia corporis specie iuuenis, nihil non moliretur, ut cupitis eius nuptijs, summa parætum voluntate, potiri posset; Cæcilia quanquam auro gemmisq; ornata, mundo nonnihil seruire parentum iussu cogeretur, cilicio tamen ad nudā carnem induta, illicitos motus egregie refrænabat, animumq; Euāgelica lectione ad

*Carnē do-
mat cilicio.*

ad solius Christi amorem assiduè excitabat. Iam dies thalamis præfixus aduenerat, & omnia immodica lætitiæ significatione resonabant, cum interim Cæcilia, solo Christi amore ardescens tacito corde hæc sine intermissione Deo psallebat. Fiat Domine cor meum & corpus immaculatum, vt non confundar. Cumq; alij epulis ac lætitijs die nocteque operam darent, illa toto biduo triduoque ieiuna precibus lachrymisq; suam Deo castitatem commendabat: & sanctos sanctasq; omnes, vt perpetuam castimonie virtutem sibi à Christo impetrarent enixè rogabat. Aderat vero nox geniali thoro coniuges sociatura, cum Cæcilia virgineo pudore sponsum intuens blandoq; compellans alloquio: O, inquit, dulcissime charissimeq; adolescens, est mihi arcanum quod tibi aperiam: si tamen iureiurando affirmare velis, te omnia celaturum. Dedit sine mora fidem Valerianus, se nullis insidijs vel quacunque demum necessitate charissimæ sponsæ arcana proditurum. Tunc illa: Noueris, inquit, Angelum Dei me habere amicum, qui summo zelo corpus meum custodit. Itaq; si vel leuiter incesto me amore pollueretentaueris, is protinus iram in te suam expromet, floremq; pulcherrimæ iuuentutis tuæ disperdet. Si autem cognouerit quod simplici & immaculato mei amore tenearis, & virginitatem meam integram atq; impollutam custodias, ille pari te persequetur amore, & ineffabilem tibi gratiam

*Ieiunat tri-
duo inter
epulas.*

H h osten-

ostendet. His auditis Valerianus timore quodam non sine diuino nutu affectus: Si vis, inquit, me fidem verbis tuis adhibere, ostende mihi ipsum angelum. Sin autem alium virum amori nostro præponis, profecto te & illum mucrone confodiam. Tunc virgo castissima: Si velis, inquit, fonte salutari animum tuum expiare, certe poteris Dei angelum contemplari. Valerianus igitur hortatu virginis ad Vrbani Papam, qui propter persecutionem in martyrum sepulchris via Appia latebat, veniens ab eo baptizatur. Inde ad Cæciliam reuersus orantem & cum ea angelum diuino splendentem fulgore inuenit: qui binas tenens manibus coronas rosis & lilijs confertas, vnam dedit Cæciliæ, alteram vero Valeriano dicens: Has corde immaculato & puro corpore custodite, ex ipso paradyso Dei ad vos allatas. Nunquā marcescent, neq; suauitatem odoris amittent, neq; ab vllō mortaliū conspici poterunt, nisi cui castitas placet, quomodo probatum est eā vobis placere. Mox vero vt animum angelica pulchritudine obstupefactum collegit, Tiburtium fratrem ad se vocat: qui à Cæcilia Christi fide imbutus & ab eodem Vrbano baptizatus, ipse etiam eiusdem angeli, quem frater viderat aspectu potitus est. Vterq; autem paulo post Almachio præfecto constanter martyrium subiit. Qui mox Cæciliam comprehendendi imperat, ab eaque primum vbi Tiburtij & Valeriani opes sint exquirat. Cui cum

virgo

*Angelus
coronat
virgines.*

virgo omnia illorum pauperibus distributa esse respondisset, eo furore concitatus est, vt eam in ipsius ædes reductam, in balneo comburi iusserit. Quo in loco cum diem noctemque ita fuisset, vt ne flamma quidem illam attingeret, eò immissus est carnifex, qui ter securi ictam, cum caput abscindere non potuisset, semiuiuam reliquit. Illa triduo post, decimo Kalendas Decembris duplici virginitatis & martyrij palma decorata, euolauit in cælum.

PVERITIA S. TRVDONIS PRESBY-
teri & confess. 23. Nouemb:
Sur. Tom. 6.

S Trudo Austrasiorum ducum prosapia nobilis, adhuc puerulus præclarum de se specimen futuræ dabat sanctitatis. Videbatur enim celsitudinem stemmatis parui ducere, & non dubio paupertatis teneri affectu: adhæc nec ætati, nec teneritudini parcere, sed ieiunia quoad licebat amplecti, & vigilijs pro somno delectari: Quin etiam inter famulantium ceteruam positus, mira alacritate seruis dominus famulari, & alijs mollibus & duplici coopertis ille vnica & aspera veste gloriari. Accebat quoque ad eximiam formæ venustatem, interior animi cultus & præclara indoles, studiumque honestatis. Etsi interea quicquid in se virtutis nasceretur quotidie summo studio occultaret, timens quasi deprædari, si thesaurū piæ actionis non absconderet aureo pulati.

*Præclara
 sanctitatis
 initia.*

Humilitas.

H h 2

pulati.

Miseri-
cordia.

pulari. Tot tantisq; virtutum formulis, cum tenellus & adhuc puer, ceu mollis cera ad manum summi artificis signaretur, sigillo iā tunc expressæ sanctitatis honorabatur, & contemnebat: ab omnibus amabatur & solus se oderat. Præter cæteras vero animi dotes benignè faciendi studio erat admirabilis: ita prorsus, ut nunquam aut calore æstiuo aut hyemali frigore prohibitus sit, quin obuium sibi quemlibet nudum, aut dimidiata aut integra veste cōtegeret. Et cum à magistris frequens argueretur malè pauperem vestisse, qui de sua non erubesceret nuditate, aut nihil, aut illud beati Iob respondebat: Quia mecum creuit miseria, & mecum egressa est de vtero matris meę. Cum autem primos adolescentiæ annos attingeret, cælestia assiduo meditans, cœpit ex ingenti lapidum aceruo ludibundus quasi templum construere, compositisq; miro ordine lapidibus, totum se in oratione prostravit. Id conspicatā mulier quædam, familiare damonis mancipium, protinus aduolat, totamq; illam lapidum congeriem in formam templi compositam pede subuertit; fulminansq; cōuitia, pium adolescentem impostorem, & sub prætextu religionis simulatorem sanctitatis appellat. Eam contumeliam cum Trudo miracum grauitate perferret, mulier subita cæcitate percussa iram Dei vindicantis exhorruit: quam post dies aliquot sanctus adolescens, multorum precibus & lachrymis fatigatus pristi-

Cæcitas il-
luminat.

pristinæ reddidit sanitati. Pater vero qui affectu tenerrimo filium diligebat, toto conatu ad sæculi honorificentiam eum excitabat: suadebat coniugium: prædia spondebat: ostendebat familiam, hortabatur ad militiam. Adolescentes item & coæui nobiles, iaculari, equitare, venari, cæteraque id genus quotidie suadebant, & monachum in laico cum derisione reprehendebant. At ille istas Sirenum voces obturata aure pertrāsens, pro prædijs cælum respiciebat: pro coniugio cælibatum: pro familia angelos, pro militia deniq; Dei obsequium cogitabat. Et socios quidem liberrima gravitate redarguens docebat ociosum esse omne negotium, quod pietas diuino non destinaret seruitio. Deinde ad pauperum suorum notam conuersus cateruam, eos conciuēs, eos amplecti familiares, eorū conuentui frequens adesse, & vnumquemq; appellans ex nomine, diuisa pietate singulis famulari gaudebat. Quibus ita notus erat, vt misericordia cōuersa in consuetudinem, eleemosynam iam non peterent, sed magis vt debitum ab hoc suo stipendiario exigerent. Sed quanquam hisce & alijs admirandis virtutibus clarus esset, vna tamen cura stimulabat animum, quod omnis literaturæ planè rudis, Deum, quem in scripturis Evangelia loquuntur, prophetæ testantur, legendo non mereretur agnoscere. Itaq; crebris opem Dei implorans suspirijs ad beatum Remaclum Tungrensem Episcopum diuinitus monetur

Cōtemptus mundi.

Pauperum societate gaudet.

Literarum ignorantia angitur.

Hh 3 acce-

accedere. Qui simul vt propinquantem de via Deo reuelante cognouit, primum multis illi obuiam præmissis, vt eum honorificè adducât iubet: dein ipsemet obuiam vadens in chari hospitis obsequium se totum quasi inclinat. Cumque venientem integra humanitate susciperet, & amplectendus iuuenis sociæ humilitatis memor, reuerentiæ sacerdotali cedens, pedibus eius se dimitteret, data dextera cum benedictione erigitur, & frequenti amplexu post oscula ad sedendum attrahitur. Tum vero suscipis utrimque præ gaudio lachrymis, à beato Antistite, de vitæ suæ decursu atque Hasbanicæ gentis ad Christum per illum futura conuersione prophetice eruditur. Et quamuis diuini erga eum amoris ac prædestinationis donum B. Trudoni exposuisset, auream tamen doctrinam de sollicita integritatis custodia prudenter subiecit. De animæ interim tuæ, inquit, custodia atque puritate, de corporis non violabili virginitate, de formata iam in te omnis virtutis imagine, nihilo te minus suspectum velim, quam si in vrbe, hostem præforibus esse, nunciatur. Neque enim mors animæ tardat: intratque nisi virtus galeata opponitur. Tum hortatu B. Remacii ad Glodulphum antistitem Metas proficiscitur. Vbi fama prænunciatrix, maximum sui aduentus commouerat desiderium, adeo vt de intermedijs vicis atque oppidis effusus ad spectaculum populus multiplici infirmitatum cura-

Sollicita animi custodia.

curatione exultaret, festinantem morarentur,
 & fugientem magis quam abeuntem pia im-
 portunitate tenerent. Et quamuis eum latere
 cupientem, diuinæ bonitatis exaltaret confi-
 lium, id tamen suo more diligenter curabat,
 vt aduentum suum silentio tegeret, frustrans-
 que obseruantium excubias Metensem in-
 gressus ciuitatem, ad nobilem beati proto-
 martyris diuertit ecclesiam, vbi inter oran-
 dum agnitus, missis statim ab Episcopo pala-
 tinis & viris primarijs Ecclesiæ, cum officio-
 sa reuerentia ad colloquendum introducitur.
 Statimque primo aspectu ex operante in se
 gratia, indissolubili amoris vinculo colliga-
 ti, in mutuos ruunt amplexus, alter in pa-
 trem, alter in filium adoptatur. Atque interea
 facies Beati Trudonis commutata conceptæ
 in se gratiæ radijs collustratur. Tum angelica
 se reuelatione, & beati Remachi iussu aduenis-
 se declarat, vt illic tyrocinium ponat: moxq;
 fundis hereditarijs beato Stephano protomar-
 tyri per manus antistitis oblatis, ipsius se sub-
 dere magisterio exoptat. Quem Glodulphus
 viro cuidam primario, prudenti & religioso
 cum omni grauitate & diligentia erudiendū &
 de publico alendū tradidit. identidem incul-
 cans quā humilitate docendus, quā esset reue-
 rentia seruiendus, quī nihil aliud esset nisi vir-
 tus: cuius exemplaris vita, doctorū quoq; posset
 sufficiens esse doctrina. Cūq; hoc magistro ma-
 ximos in literis & eruditione fecisset pgressus,

Hh 4

a Glo-

à Glodu'pho sacerdotij honore initiatus, in Hasbaniam redijt, eamque ab idolis ad fidem Christianā Euangelij prædicatione perduxit,

DECEMBER.

DE S. ANNONE EPISCOPO COLO-
niensi, 4. Decemb. Sur. Tom. 6.

*Morum
honestas.*

Patientia.

S Anno generis & patriæ suæ decus, VVal-tero & Angela pijsimīs parentibus natus, bonæ suæ indolis generositatem moribus, ingenio, formaq; commēdans, cunctorum oculis atq; animis cœpit haberi amabilis: ipsūq; in primis parentem magno gaudio cumula-
bat. Qui tamen militaribus filium assuescere negotijs & ad summos honores optabat eue-
here. Itaq; pius puer inter arma crebras inc-
diæ, algoris, æstus ac vigiliarū perpeſsus aspe-
ritates, insignem animi exercebat fortitudi-
nem futuræ virtutis exercitationi perutilem.
Interea eius auunculus Babinbergensis Eccle-
siæ Canonicus patriam propinquos & nos inuisens, perspecta pueri educatione, ægrè fe-
rens tam egregiæ indolis infantiam mundanis
consecrari negotijs, explorata prius pueri vo-
luntate clādestinam illi fugam perſuasit: hor-
tans ut abiectis impedimentis domesticis, ex-
cellentes ingenij sui vires in spem & gloriam
totius generis sui, non modo temporalibus,
sed & æternis in cælo dignitatibus amplifica-
ret. Quocirca fugam præoccupans Anno, re-
uertē-

uertenti Babinbergam auunculo clàm se soci-
um adiunxit, atq; ibidem studia literarum au- *Alacritas*
spicatus, in humanarum diuinarumq; rerum *in studijs.*
cognitione per interualla temporum præcla-
ros fecit progressus, ingeniumque pariter ac
mores egregiè nobilitauit. Quicquid enim
vel exercendo ingenio habile, vel moribus
ornandis idoneum hauserat, alta mente repo-
nebat. Quamobrem postea scholæ Babinber-
gæ magister effectus, probitatis ac virtutum
cœpit fama passim florere, & Episcoporum ac
Principum virorum fauore atq; amicitia ho-
nestari. Quin etiam ab Henrico tertio Roma-
norum Augusto in palatium assumptus, breui
apud eum præ omnibus clericis, qui in aula
morabantur, primum gratiæ & familiaritatis
locum obtinuit, & demum Coloniensi episco-
patu donatur. Quem ille incredibili in Deum
pietate summa cum laude administrauit.

EXEMPLVM S. SABAE ABBATIS.

5. Decemb. Sur. Tom. 6.

SAbas magnus planè vir & ineffabili Dei a-
more incensus, è Cappadocia in vico Mu-
talaſca oriundus, parentes habuit Ioannem &
Sophiam, ambos genere & pietate claros. Na-
tus autem decimoſeptimo conſulatu Theodo-
ſij, cum quintum ætatis ageret annum, paren-
tibus eius Alexandriam neceſſario cômigran-
tibus, ipſe diuina prouidentia Hermiæ auun-
culo relictus fuit: cuius vxor mulier impudēs

Hh 5 & mo-

& morosa, cum frequentes adolescenti molestias excitaret, auunculo relicto ad patru usum Gregorium confugit: qui eum omni quidem humanitatis officio excepit, tractauitque benignè: sed orta mox inter patrum & auunculum eam ob rem dissensione, grauiore quam antè, pius adolescens animi ægritudine conflictari cœpit. Vnde arrepta occasione philosophico medicamine dolori suo medendi, statuit dimissis opibus mundi quæ delicijs, cælesti se totum tradere disciplinæ, & angelicam in humano corpore quietem æmulari. Neq̃ mora: Patria, cognatis, diuitijs, rebusq̃ alijs quæ maximè adolescentem delinire solent, relictis, ad monasterium Flavianæ, turissimum quietis portum confugit. Cum quæ à cognatis posita priore discordia ad deserendam monasticen, & patria hæreditate fruendum inuitaretur, maluit abiectus esse in domo Dei, quam splendido diuitiarum redundare apparatu. Videbat enim harum amatorem diuitem illum, vel sola egere gutta, quod quidem est paruum linguæ ardentis solatium: angustias autem & dolorum perpeffionem, ad beatum Abraham sinum atque interminatas felicitates deducere. Seipsum vero exercuit cum in alia omni abstinentia, tum vel maximè in ea, quæ ad gulæ pertinet compescendas delicias, & ventris nimiam curationem. Vnde cum hortum monasterij colens, pomorum delectabili caperetur aspectu, illectus cupiditate

*Abundum
deserit.*

*Abstinen-
tia.*

tate manu quidem pomum decerpfit, sed mox
 insidias maligni suspicatus malum humi abie-
 cit, & cum id pedibus conculcasset, cum po-
 mo pariter cupidinem conculcavit: dolensq;
 quod vel usque eò appetitioni obsecundasset,
 hanc sibi deinde legem imposuit, ut toto vitæ
 suæ tempore malo amplius non vesceretur.
 Atque ea admonitus cautione maligni deinceps
 suggestionibus confestim occurrebat: neque
 pestifera blandientis cupiditatis venena
 vel latum vnguem serpere patiebatur, ne mo-
 mento dilata vires caperent: quæ postmo-
 dum magnis laboribus vix superari possent.
 Ab illo ergo tempore perpetuo in summa o-
 mnium rerum vixit abstinentia, somni tantum
 capiens quantum naturæ satis erat. Manus
 vero Sabæ nunquam quiescebant, sed quando
 non eas ad orationem extensas habebat, per-
 petuo opere distinebantur: ne si vel parum
 per relaxaretur cogitatio, clam non animad-
 versus sensim irreperet inimicus, serviretque
 macerando corpori labor assiduus. Hac igitur
 prudentia totum vitæ cursum constanter
 moderatus ad consummatam monasticæ vitæ
 virtutumque omnium disciplinam peruenit:

& complurimis ante ac post mortem
 miraculis coruscavit.

*Cupiditas
 tem vincit*

Prudentia

Orij fuga

PVERITIA S. NICOLAI MYTRENsis
Episcopi 6. Decemb. Sur. Tom. 6.

S Nicolaum illustri loco Patarae in Lycia
natum, parentes à Deo precibus impetrâ-
runt. Cuius viri sanctitas quanta futura esset
iam ab incunabilis apparuit, Nam infans, cum
Ieiunium reliquis diebus lac nutricis frequens sugeret,
quarta & sexta feria semel duntaxat, idque ve-
speri sugebat: quàm ieiunij consuetudinem in
reliqua vita semper tenuit. Postquam vero è
Castitas. pueritia excessit, castissimos mores & discipli-
nam ab optimis acceptam parentibus in meli-
us redigens, novos quotidie honestatis & pie-
tatis fructus edidit. Inde ætate poscente, ad ex-
colendum animum traditur studio literarum:
Alacritas
in studijs. Vbi tum ingenij magnitudine, tum velocitate
discendi, breui admodum multâ ingenuarum
disciplinarû scientiam consecutus est. Ab om-
ni humanæ laudis cura abhorrebat. Aequali-
um vero sodalitates, conuiuia, consuetudines
vitabat omnino, ratus eas tantundem habere
intemperantiæ atq; periculi, quantum festiui-
Pudicitia. tatis atq; lasciuiæ. Mulierum non modo col-
loquia, verum etiam conspectum, tanquam
iuuenilis animi pestilentissimam labem fugi-
ens, totum se honestati pudicitiaque addixit.
Prudenter
tuetur ca- Libidinum vero & carnis incendia, quibus æ-
stitatem. stuare plerumq; omnes adolescentes solent,
quotidianis laboribus, ieiunijs, vigilijs extin-
guebat. Talibus igitur instructus præsidijs to-
tum

tum sese ad Christi seruitium contulit. Schola illi erat ac diuersorium Dei templum, ut se dignum Deo pararet templum, in quo ipse perdius ac pernox habitaret. Bonarum disciplinarum studijs aut legendo, aut audiendo, aut meditando assidue incumbibat. In quibus tantum excelluit, quantum magno futuro antistiti opus erat. Sed quod vita recta doctrinis omnibus longè maximè præstabiliior est, eò plus in componendis formandisque moribus nauabat opere ac laboris, quo iuuenilis fluctuantisq; ætatis inconstantiam senili quadam firmaret grauitate. Quem enim admodum non illud senium laudamus, in quo non emineat par senio & annis modestia: sic è diuerso solemus iucundè admirari, multaq; laude dignam existimare adolescentiam, quæ planè didicerit eiusce ætatis compescere motus, & senectutis grauitatem ac modestiam retinere. Est enim sicut iuuentus in sene turpis, ita pulcherrima in adolescente senectus. Habuit autem B. Nicolaus auunculū nomine Nicolaum, qui nepotem animaduertens religioni & sanctimonix deditum, mundo se penitus abdicasse, parentes hortatur, ut adolescentem sacerdotalibus sacris initiari permittant. Illi in sententiam venere faciles. Cur enim gratos homines pigeat reddidisse quod gratis acceperint, & fidelium more debitorum, æs alienum cum ipsa etiam vsura persolvere? Igitur factus sacerdos morum & vitæ seueritatem pariter cum

*Morum
maturitas.*

*Vita auste-
ritas.*

cum dignitate augendam putauit, & corpori suo bellum indixit; non quo illud necaret aut coteretur, sed quo domitum & omni petulantia exutum redigeret in seruitutem. Proinde somno & quotidiano cibo, quatum ratio permisisset, detrahebat, ieiunijs nocturnisque vigilijs solito amplius indulgebat, vino parcissimo utebatur, saepius aqua sola contentus. Crebrior illi fuit ad templa aditus: nulla penitus nisi sacrarum literarum lectio: in vultu & gestu modestia maior, sermo rarior, & grauis quidem, quiq; nihil haberet inanitatis & fuci: ut his praeditus ornamentis, videretur in corpore mortali immortalium vitam degere.

PVERITIA S. DANIELIS STYLITAE

11. Decemb. ex Simione Metaphraste.

Sur. Tom. 6.

*Duodennis
ingreditur
religionem.*

S Daniel, matre infecunda genitus, Deoq; ex voto promissus, cum a primis annis pietate atque innocentia vitae preclarum de se specimen virtutis edidisset, anno statim aetatis duodecimo tactus monasticae vitae desiderio, relictis parentibus, spretoq; delicatioris vitae blandimentis, clam ad asylum religionis confugit. Veniens enim ad caenobium quoddam duodecim a patrio vico distitum stadijs, atq; ad pedes Praefecti sacri gregis procidens, eius se consortio sociari, & monastico amictu vestiri optabat. Cum autem ille & corporis imbecillitatem & teneram aetatem obijciens, negasset eum mona-

monasticis laboribus sufficere, qui ipsis adeo
 viris perdifficiles sint, suaderetq; vt aliquanto
 adhuc tempore apud parentes moraretur, ille
 vehementius exorare; ego, inquit, ea huc
 mente accessi, vt sic quidem Christo viuā, mo-
 riar autem carni. Quod si inter hosce pulchros
 labores morte cōsumar, optatius esse duco sic
 emori, qua abire vacuū, & missa iā ad aratrum
 manu retrorsum cōuertere. Multis vero habitis
 vtrinq; sermonibus, cū Præfectus sacræ man-
 dræ puerilis desiderij impetum sustinere non
 posset, fratres adhibet in cōsiliū, nū puerum
 suscipere expediat. Illis vero pueri ingentem
 mirantibus cōstantiam, totumq; Dei nutu geri
 existimantibus communi consensu receptus
 est. Vbi cū assiduo labore solidissima sanctio-
 ris vitę fundamēta iecisset, animo maiora quo-
 tidie certamina appetens, tandem summa Præ-
 fectioni sui volūtate sacrosancta loca lustraturus,
 Simeonem in colūna degentem, & fama sancti-
 tatis toto orbe celeberrimum, conuenit: cuius
 nō modo exemplo sed etiam prophetia (cum
 se pariter non leuibus pro Christo laboribus
 exercendum audijisset) adeo ad simile vitę ge-
 nus exarsit, vt ægrē se ab illo auelli pateretur.
 Porro ad monasterium reuersus paulo post
 Præfecto è vita sublato, ad regimen votis pre-
 cibusq; omniū vocatus fuit. At ille honorum
 scopulos remis velisq; (q̃ aiunt) fugiens clam
 omnibus se inde proripuit, tādēq; ad exem-
 plum Simeonis illius diuino monitus oraculo
 colum-

Humilitas

*Rigor pœ-
nitentia.*

columnam conscendit, & contra omnes aëris iniurias patientiæ rigore obduratus, in summa vita asperitate opinioneq; sanctitatis ad octogesimum primum ætatis annum peruenit.

MARTYRIVM TRIVM FILIORVM S.

Theodotes, habetur in vita S. Anastasia. 25.

Decemb. Sur. Tom 6.

Cōstantia.

CUm in Bithyniam peruenisset Theodote, productus est ad tribunal proconsulis: Age, inquit, ille ô Theodote, iussis parens imperatoris dijs sacrificium offerito. Sic enim simul & filijs viues, & particeps eris multorum bonorum. Nam et si non tua, at filiorum certe tuorum causa æquum fuerit, ut id eligas quod tibi utile futurum intelligis. Ad has proconsulis voces sic primogenitus sanctæ Theodotes respondit Euodius: Ne exilima Præses hominum nos supplicia perhorrescere, quæ corpori quidem incorruptionem, animæ vere beatam immortalitatem conciliant: sed ijs, parum abest quin dicam, æquè ac conuiuium delectamur. Deum vero potius timemus, qui potest animam & corpus in gehenna punire. Quapropter puerum intuens proconsul: cum te, inquit, videam ætate tenerum, miror quomodo, & à quo hæc didiceris, quæ vix multi longo tempore & labore sunt consecuti. Cui puer opportunè respondit: Seruator noster & Dominus Iesus Christus, ipse est qui dixit: Quando ducemini ad reges & præsides, nolite cogita-

cogitare quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quod loquamini. Nunc ergo sunt hæc non mea, neq; humanæ sapientiæ verba: sed omnino quidem mea est lingua, apertè autem Dei sunt verba. Iudex vero veluti de matre & de primo eius filio spem abijciens, ad alios tentandos se transtulit, putans eos tãquam ætate inferiores ad suam traducendos sententiam. Postquam vero visi sunt rami nihil differre à generosa radice: sed ostenderunt pueri se illius quidem filios, huius vero esse fratres, se rursus transfert ad matrem eiusq; primogenitum. Cõuertimini, inquit, ad vestra viscera. Parcite teneris infantibus. Nolite videre eos ante vestros oculos malè pereuntes. Cum multa eiusmodi dixisset, & vidisset verba temerè fundi in aërem, iubet filium ante oculos matris crudeliter cædi virgis. Quod videns generosa mater, non modo nihil indecorum aut gessit, aut est locuta: sed etiam veluti gaudens plagis charissimi filij, astitit alacris, annuens oculis gestu incitans, verbis adhortans: Ne succumbas, dicens, ô fili: sta fortiter nate, has propter Christum plagas, honores & coronæ excipient. Quamobrem Proconsul animo vel maximè incensus maligni dæmonis suggestione improbum capit cõsiliū. Viro enim petulanti & ad amores incontinenti venerandam tradit feminam. Sed non erāt futurum insolentis hominis diuturnum gaudium. Nam postquam eam vel solum attigit Hyrtacus

Ii cus

cus (ita enim vocabatur) totus vultus martyris immutatus est, & nec concessum quidem est intueri martyrem sine timore. Magnaque voce Proconsulem affatus aiebat, se iniecta in Theodoten manu, vidisse mox iuuenem, vultu formosum & habitu decorum astitisse Theodote, qui ei incusso colapho nares contriuerit, multoque sanguine cruentaret. Sed nihil hac voce commotus Proconsul, rursus illam aggreditur, & nisi dijs sacrificet filiorum ante oculos necem, & grauissima quæque tormenta minitatur. Illa autem, vel hoc, inquit, olim maximè sitiebam. Sic enim cum meos filios viuens ad Christum præmisero, & tanquam in tuto portu constituero, deinde ego sequar è vestigio, vt apte illud canam: Ecce ego & filij mei quos dedisti mihi Deus. His magis conturbatus Proconsul, iussit eam cum filijs igne absumi. Postquam autem fornax fuisset accensa, citius quam iussum fuerat, illi tanquam fontem aquæ cum gaudio fornacem subiére. Et Deum quidem benedicebat mater: collætabantur autem filij, & sic cuncti alacres ac læti animas suos pro CHRISTO proiecerunt, æternos in cælis triumphos auspiciaturi.

PVERITIA S. THEODORI MARTIRIS,
 eiusq; fratris Theophanis 26. Decemb. ex Sim.
 Metaphraste. Sur. Tom. 6.

B Theodorus Hierosolymis pijsissimis na-
 tus parentibus, ab ipsa statim pueritia
 acerrimo præditus fuit ingenio, non illo qui-
 dem projecto ad res paruas & ludicras, quale *Morum*
 solet esse puerorum, sed ad pulcherrimos & *honestas.*
 honestissimos mores intento, in quibus animi
 cultura consistit. Nihil illi erat antiquius *Pietas.*
 quam in sacris ædibus demorari: Nullaq; re *Obedientia.*
 magis exultabat & gloriabatur, quam quod
 parentibus pulchrè videretur obediens. Si-
 mulac puerilem ætatem excessit, iubetur,
 grammaticæ operam dare. Vt vero cum disci-
 plinarum exercitatione, studium quoque vir-
 tutis coniungeret, presbytero cuidam in mo-
 nasterio sancti Sabæ erudiendus committitur.
 Habebat autem fratrem quoque Thophanem
 natu minorem, qui sancta fraternæ virtutis æ-
 mulatione accensus, in virtute secundas habere
 non sultinebat, sed optimos imitatus picto-
 res, fratrem imitandæ virtutis quasi exemplar
 observabat archetypum. Atq; illic quidem ver-
 sebantur utriq;: sed S. Theodorus cum esset a-
 cerrimi ingenij & exiguo temporis spatio om-
 nem absolvisset eruditionem, captus sublimio-
 rum amore disciplinarum, ad virum quendam eta-
 te prouectum atq; pereruditum se contulit. Vbi
 facilitate ingenij atq; acris studio, breui tēpore
 li 2 mule

*Alacritas
in studijs.*

multam sibi doctrinarum cumulauit sciētiam: quæ ex libris eius quos pro pietate conscripsit perspicuè cernitur: etiam si esset excelsior, quam ut ex eis ullam laudem ambiret. Dein vero ad pristinum se virtutis studium arctius obstringere cogitans, ad monasterium S. Sabæ reuertitur, & sua animi integritate dignis exerceatur laboribus. Hinc quis Theodoro quidem moderatior? Quis autem ad cōtinendam iram generosior? Quis minus propensus ad explendas cupiditates? Quis dicendi & tacendi tempus magis obseruabat? Quis sic carnem castigauit, & oculū frenauit, & cogitationum repressit impetus? Quapropter omnium qui eodem in monasterio degebant suffragio in sacerdotum numerum cooptatur, non multo post martyrum choris sociandus.

EXEMPLVM S. MARCELLI ABBATIS
monasterij Acemetorum 29. Decemb. ex Sim.
Metaph. Sur. Tom. 6.

Castitas.

*Maturitas
morum.*

Marcellus Apameæ nobili loco natus, genus quod à maioribus acceperat virtutis splendore nobilius reddidit. Nam cum iam in ipso flore iuuentutis amisisset parentes, & ætatem ageret iucundissimam, non sicut iuuenis declinauit ad voluptates: neque delectabatur iuuenum consuetudine, æqualis æquali volens placere, ut dicitur: sed in iuuenili corpore, imitabatur canitiei prudentiam & vitæ institutionem. Quanquam ei aderant diuitiæ quæ

quæ sunt materia ad explendas voluptates igni
 adolescentiæ. Sed nihil horum illum coëgit
 negligere temperantiam, quæ erat ei chara à
 pueritia. Sed & orbitas & ætas & diuitiæ, à pro-
 funda vincebantur prudentia. Deinde vero
 Antiochiam delatus, & præceptorem forti-
 tus egregium, propediem celeritate ingenij
 magnos fecit in doctrina progressus. Cum-
 que profanis affatim imbutus literis, sacræ
 item sapientiæ desiderio teneretur, Ephesum *Studium*
 commigrat. Vbi hospites nactus fuit integer, *virtutis.*
 rimosac moderatissimos, quæ res ei ad virtu-
 tem excitamento fuit. Interea præcipua illi
 cura erat, ea quæ honestate commendantur
 vndiq; colligere, & tanquam ex multis flori-
 bus sibi virtutis coronam contexere. Inerat
 Marcello inter cetera scribendi mira dexter-
 tas, itaq; scriptionis se labore occupans, & eius
 se mercede sustentans, quicquid deparcere *Misericor-*
 potuisset inter egenos partiebatur. Et hoc *dia.*
 quidem labore interdium distinebatur, noctem *Oratio.*
 vero, totam ferè orationibus trans mittebat. Si *Orij fuga.*
 vero parum quid somno quoq; tribueret pro-
 pter necessitatem corporis, ne hoc quidem e-
 rat remissum, sed laboriosum & castigatum.
 Sic ei vniuersum tempus erat laboribus ple-
 num & certaminibus. Atq; ita virtutis iaciens
 altissima fundamenta, euangelicæ perfe-
 ctionis illustrem structuram
 superimpofuit.

ADOLESCENTIA S. THOMAE ARCHIE-
piscopi Cantuariensis & martyris, 29. Decem.
Sur. Tom. 6.

Thomas Cantuariensis Antistes, inter alios, de quibus merito Anglia gloriatur, martyrio insignis, generis dignitate, opum gloria, eruditionis laude, & animi magnitudine clarus, Londini Britanniam suo ortu illustravit. Pater illi fuit Gillebertus, mater Mathildis: vterq; non opibus tantum & genere, sed quod multo præstantius est, morum integritate & innocentia nulli civium suorum secundus. Simulac vero per ætatem disciplinarum capax literis adhibitus fuit, breui mirificos in ijs fecit progressus, fecissetq; maiores: nisi fortunæ ludibriū spem cogitationum eius retardasset. Parentes enim in summa rerum omnium opulentia, crebris incēdijs, ac multis adversis afflicti casibus, sedulam filij sui instituendi curam remiserunt; atq; postremo morte ante tempus oppressi, magnam illi cum orbitate calamitatem reliquerunt. Neq; tamen idcirco concidit animo Thomas; sed Richerio cuidam viro opulento & nobili, qui patris hospitio frequenter uti solebat, sese adiūgens, factō cum Musis diuortio, venatione & aucupio ferè se oblectavit; canibus avibusq; ita gaudens, ut tamen virtutis studium nequaquam defereret, sed corpore & mente castus, & ab omni mendacio alienus, insitos pietatis igniculos

*Studium
virtutis.*

Castitas.

los fouebat. Cumque parentibus iam orbatus
 propria virtute emergere deberet, Osberno
 cuidam insigni prudentia, & diuitiarum glo-
 ria inclyto viro ei sanguine iuncto, toto ferè
 triennio adhæsit: cui in acceptis expensis ope- *Morum*
 ram suam summa fide nauabat. Erat adhæc o- *honestas.*
 ptimis moribus, præclaro ingenio, iucundo
 vultu, sed graui, grato sermone, formaq; ele-
 ganti. Iamq; adulta ætate ad honores & mundi
 huius dignitates aspirare videbatur, cum oc-
 culto Dei consilio in Theobaldi Cantuarien-
 sis Archiepiscopi notitiam familiaritatemq;
 deuenit: qui tanta eum beneuolentia, propter
 iucundam morum grauitatem & singularem
 animi prudentiam est complexus: vt suis eum
 consilijs & publicis priuatq; negotijs adhibe-
 ret. Tum vero ludis & omni penitus leuitate
 reiecta, sensu peruigil & consilio prouidus, ta-
 lem tantumque se Episcopo præstitit: vt ab eo
 multis magnisq; decoratus beneficijs, tandem
 Archidiaconus, adiuncta Beuerlacenſi præpo-
 situra crearetur, Rex vero cognita eius cõstan-
 ti virtute atq; prudentia, confestim totius reg-
 ni eum constituit Cancellarium, tandemque
 decedenti Theobaldo Cantuariæ in
 Archiepiscopali sede
 suffecit.

F I N I S.

Ii 4

NOMI

NOMINA SANCTORVM
quorum exempla hoc volu.
mine continentur.

IN IANVARIO.

<i>Basilii Magnus, Episcopus Cappadocia</i> 1. Ian.	1
<i>Fulgentius Episcopus Ruspenfis</i> 1. Ian.	3
<i>Rigobertus Archiepiscopus Rhemensis</i> 4. Ian.	6
<i>Eduardus Rex Anglorum</i> 5. Ian.	7
<i>Andreas Corsinus Episcopus Fesulanus</i> 6. Ian.	11
<i>Lucianus martyr</i> 7. Ian.	14
<i>Duo infantes martyres in vita S. Luciani</i>	15
<i>Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus</i> 8. Ian.	16
<i>Iulianus & Basilissa</i> 9. Ianuarij.	20
<i>Exemplum pudici adolescentis</i> 14. Ian.	26
<i>Ioannes Calybita</i> 15. Ian.	28
<i>Launomarus Abbas</i> 19. Ian.	36
<i>Tiburtius martyr P. Ianuarij</i>	36
<i>Agnes Virgo & Mart.</i> 21. Ian.	43
<i>Hildephonsus Episc. Toletanus</i> 23. Ian.	47
<i>Clemens Episcopus Ancyranus</i> 23. Ian.	49
<i>Ioannes Chrysostomus</i> 27. Ian.	53
<i>Exemplum probi adolescentis</i> 31. Ian.	55

IN FEBRVARIO.

<i>Duo pueruli martyres</i> 3. Febr.	56
<i>Rembertus Archiepiscopus Bremensis</i> 4. Febr.	57
<i>Paulus Episcopus Virdunensis</i> 8. Febr.	59
<i>Hilarinus puer mart.</i> 11. Febr.	64
<i>Antonius Patriarcha</i> 12. Febr.	65
<i>Martinianus Eremita</i> 13. Febr.	67
<i>Petrus Damianus Episc. Ostiensis</i> 22. Febr.	70
IN	

INDEX NOMINVM.

IN MARTIO.

VVinvalocus Abbas 3. Martij.	72
Thomas Aquinas 7. Martij.	75
Melito martyr 9. Martij.	80
Euphrasia virgo 13. Martij.	82
Cuthbertus Episc. Lindisfarnensis 20. Martij.	87
Benedictus Abbas 21. Martij.	90
Simon puer Tridentinus mart. 24. Martij.	92
Ludgerus Episcopus Monast. 26. Martij.	95

IN APRILI.

Richardus Episcopus Cicestrensis 3. Aprilis.	97
Vincentius Ferrerius 5. Aprilis.	100
Hermannus Ioseph 7. Aprilis.	104
Aibertus monachus 7. Aprilis.	116
VVernerus puer mart. 19. Aprilis.	118
Anselmus Cantuariensis Archiepisc. 21. Apr.	120
Theodorus 22. Aprilis.	122
Georgius mart. 23. Aprilis.	129
Sexdecim pueri martyres 28. Aprilis.	138
Petrus Mediolan. mart. 29. Aprilis.	141
Catharina Senensis 29. Aprilis.	145

IN MAIO.

Antonius Archiepiscopus Florent. 2. Maij.	155
Marculphus Abbas 1. Maij.	154
Bruno adolescens 4. Maij.	158
Ioannes Damascenus 6. Maij.	161
Stanislaus Episcopus Cracouiensis mart. 8. Maij.	164
Gregorius Episcopus Nazianzenus 9. Maij.	168
Pancratius martyr 12. Maij.	171

16 5 Petrus

INDEX NOMINVM.

Petrus Adolescentulus martyr 15. Maij.	171
Petrus Celestinus Papa 19. Maij.	174
Bernardinus Senensis 20. Maij.	178
Andreas de Chio 29. Maij.	187

IN IVNIO.

Ponticus puer mart. 2. Iunij.	191
Medardus Episcopus Nouiomensis 8. Iunij.	192
Antonius de Padua 13. Iunij.	195
Vitus puer martyr. 15. Iunij.	197
Landelinus Abbas 15. Iunij.	204
Febronia virgo & mart. 15. Iunij	207
Quiricustriennis puer 16. Iunij.	212
Aloysius Gonzaga 20. Iunij.	214
Ioannes Baptista 24. Iun.	292
Anshelmus Episc. Bellicensis 26. Iunij	295

IN IVLIO.

Gallus Episcopus Aruernorum 1. Iulij.	297
Gregorius Thaumaturgus Episcopus 3. Iulij.	299
Pracopius mart. 8. Iul.	301
Disibodus Episcopus 8. Iulij.	312
Felicitas cum 7. filiis 10. Iulij.	313
Tres pueri martyres 13. Iul.	318
Alexius confess. 17. Iul.	321
Fridericus Episcopus Traiectensis 18. Iulij.	327
Daniel cum 3. pueris 21. Iulij.	329
Pantaleon mart. 27. Iulij.	333
Nazarius & Celsus pueri 28. Iulij.	343

IN AVGVSTO.

Fides, Spes & Charitas 1. Aug.	347
--------------------------------	-----

Septem

INDEX NOMINVM.

173	Septem pueri Machabai 1. Aug.	356
174	Iustus & Pastor pueri mart. 6. Aug.	360
178	Albertus de monte Drepano 7. Aug.	361
187	Laurentius Martyr. 10. Aug.	365
	Stanislaus Koska e Societate Iesu 15. Aug.	366
	Mamas puer mart. 17. Aug.	382
191	Maximus puer m. 17. Aug.	388
192	Agapitus puer 18. Aug.	389
195	Ludouicus Episc. Tolosanus 19. Aug.	391
197	Niuardus frater D. Bernardi 20. Aug.	392
204	Symphorianus adolescens 22. Aug.	393
207	Claudius, Asterius, & Neopueri. 23. Aug.	396
212	Ludouicus rex Francorum 25. Aug.	399

IN SEPTEMBRI.

214	Nicolaus Tolentinas 10. Septemb.	404
219	Guido confessor 12. Septemb.	406
227	Aichardus Abbas 15. Septemb.	408
229	Lambertus Episcopus Tungrensis 17. Septemb.	411
231	Cyprianus & Iustina 26. Septemb.	413
233	Archippus 29. Septemb.	418
238	Ripsime virgo mart. 30. Septemb.	419

IN OCTOBRI.

241	Franciscus 4. Octobris.	422
247	Bruno 6. Octobris.	426
249	Iacobus Alemannus 11. Octob.	431
253	Offa confessor 12. Octob.	434
258	Burchardus Episcopus Herbipolen. 14. Octob.	435
267	Iustus puer mart. 18. Octob.	438
274	Hilarion Abbas 21. Octob.	442
278	Euer.	

INDEX NOMINVM.

<i>Euergisus Episcopus Colonien.</i>	<i>24. Octob.</i>	447
<i>Martyrium pueri quinquennis</i>	<i>24. Octob.</i>	449
<i>Chrysanthus & Daria</i>	<i>25. Octob.</i>	451

IN NOVEMBRI.

<i>Marcellus Episc. Parisiensis</i>	<i>1. Nouemb.</i>	456
<i>Amabilis confessor</i>	<i>1. Nouemb.</i>	457
<i>Emericus regis Hungariae filius</i>	<i>4. Nou.</i>	458
<i>Malachias Episc. Hiberniae</i>	<i>5. Nouemb.</i>	461
<i>Godefridus Episc. Ambianensis.</i>		464
<i>Martinus Episc. Turonensis</i>	<i>12. Nouemb.</i>	465
<i>Cunibertus Episc. Colonien.</i>	<i>12. Nouemb.</i>	470
<i>Leopoldus Austriae marchio,</i>	<i>15. Nouemb.</i>	473
<i>Edmundus Archiepiscopus Cantuarien.</i>	<i>16. Nou.</i>	474
<i>Columbanus Abbas</i>	<i>21. Nouemb.</i>	481
<i>Cecilia Virgo & mart.</i>	<i>22. Nou.</i>	482
<i>Trudo presbyter</i>	<i>23. Nouemb.</i>	485

IN DECEMBRI.

<i>Anno Episcopus Colonien.</i>	<i>4. Decemb.</i>	490
<i>Saba Abbas</i>	<i>5. Decemb.</i>	491
<i>Nicolaus Myrensis Episc.</i>	<i>6. Decemb.</i>	494
<i>Daniel Stylites</i>	<i>11. Decemb.</i>	496
<i>Tres filij sanctae Theodotes</i>	<i>25. Decemb.</i>	498
<i>Theodorus martyr eiusq; frater Theophanes</i>	<i>26. Decemb.</i>	501
<i>Marcellus Abbas</i>	<i>29. Decemb.</i>	502
<i>Thomas Archiepiscopus Cantuariensis</i>	<i>mart. 29. Decemb.</i>	504

INDEX.

INDEX VIRTVTVM.

Amor contemplationis.

In vita Luciani pag. 15. Remberti 58. Pauli 60. Herman. 110. Thom. Aquin. 76. Aloysij 222. 227. 228. 248. 249. 252. 265. Catharinae Senen. 149. Stanislai 379. Leopoldi 473. Nicolai Tol. 405. Francisci 424.

Alacritas in operibus pijs.

Herm. 109. Bernardini 185. 187. Catharinae Sen. 149. Aloysij Gonzagæ 216. 222. 227. 249. 252. Stanislai Koska 380. Iacobi Ale. 432.

Alacritas in studijs.

Herm. 108. Chrysost. 53. Ioan. Chalyb. 28. Thom. Aquin. 76. Vincentij 100. Richardi 98. Ludgeri 96. Remberti 58. Antonini 156. Bernardini 179. Ioan. Damasc. 161. Stanif. Episc. 165. 166. Greg. Nazianz 270. Disibodi 313. Burcardi 435. Mamantis 383. Euergisli 447. Leopoldi 473. Edmundi 477. 479. Columb. 481. Annonis 491. Nicolai 495. Marculphi 154. Malach. 461.

Amor paupertatis.

Luciani 14. Ioan. Calyb. 33. Pauli Episc. 59. Aloysij 260. 261. 262. 271. 273. 276. 286. Guido. 406. Trudo 487.

Benignitas.

Aloysij 220.

Castitas.

Basilij 1. Luciani 14. adolescentis 27. 56. Iuliani

INDEX VIRTUTVM.

liani 20. Petri Dam. 71. Thom. Aquin. 78. Euphras. 83. 86. 87. Benedicti 90. 92. Ludger. 95. Richardi 98. Petri Mediol. 143. Stanislai 165. Bernardini 179. Andreæ de Chio 187. Medardi 192. Aloysij 218. 262. Ioan. Bapt. 296. Galli 297. Gregor. Thaum. 300. Disibodi 312. Alexij 322. Stanislai Koska 370. Ludouici 391. Iacobi Alem. 434. Hedvvig 437. Hilarionis Amabilis 458. Emerici 460. Malach. 462. Maclouij 471. Leopoldi 473. Edmundi 476. Columbani 481. Nicolai. Marcelli 456. Cath. Sen. 147. Agneris 49. Ripsimes 419.

Castitatis tuenda media.

In vita Luciani 14. Laurentij Iust. 19. Iuli. 20. Andr. Cor. 13. Launomari 37. Pauli 63. Euphra. 83. Benedicti 92. Aiberti 116. Petri Med. 144. Cathar. Senen. 148. 151. Antonini 158. Stanislai Episcopi 167. Petri Mo. 177. Anton. Pad. 196. Viti 199. Aloys. 219. Febro. 207. Ioan. Bapt. 296. Galli 298. Alexij 322. Alberti 364. Ludo. 392. Nico. Tol. 405. Guid. 407. Aichardi 410. Iustinæ 414. 416. Archippi 418. Ripsi. 419. 420. Iaco. Ale. 434. Hilar. 44. Chrysan. 453. Amab. 458. Emeri 460. Maclouij 471. Edmun. 474. 476. Columb. 481. Nicol. 494. 496. Burchardi 436. Cæcil. 482. 483. Ripsimes 419.

Cultus B. Virginis.

Hildep. 47. Vincentij 101. Herm. 105.
Ioan,

INDEX VIRTVTVM.

Ioan. Damasc. 163. Cathar. Sen. 146. Bern. Sen.
182. Aloys. 217. Stanislai 373. 379. Edmundi
476. 477. 479.

Castitas in pueris.

Rigob. 7. Adolescentis 27. Eduar. 7. Iuliani
20. Hildephon. 47. Euphras. 82. Ludg. 95. Petri
Med. 143. Herm. 104. Cath. Sen. 146. V. Verne-
ri 118. Bern. Sen. 179. Anto. Pad. 196. Aloysij
219. Stanisl. 370. Disibodi 312. Ludo. 391. Hi-
lar. 444. Marcelli 456. Malach. 462. Leopold.
473. Nicolai 494. Antonini 157.

Custodia sensuum.

Aloys. 229. 237. 238. Iacobi Al. 434.

Contemptus diuitiarum.

Greg. Thaum. 299. Frid. 328. Euerg. 448.
Sabæ 492.

Consultatio de vita statu.

Fulgentij 4. Pauli 60. Antonij 65. Petri 71.
Ansel. 120. Bernardini 186. Ant. Pad. 196. A-
loysij 230. Malach. 462. Brunonis 431.

Communio.

Aloys. 224. 241. 243. Alexij 324. Stanisl.
374. 375. 377. Ludo. 392.

Charitas Dei.

Aloys. 266. Francis. 423. Anton. Patri. 66.
Amabilis 458.

Con.

INDEX VIRTVTVM.

Confessio.

Aloyf. 219. 224. 265.

Constantia animi.

Fulgent. 6. 2. puerorum 16. Agne. 44. 46.
Clem. 51. 52. Hilarini 64. Tho. Aq. 77. Georg.
131. 132. 134. 16. puerorum. Cathar. Senen. 149.
Pancrat. 172. Petri 173. Andr. 189. 190. Viti 198
201. 203. Febro. 209. 210. 12. puerorum 320.
Procop. 305. 310. 311. Felici. 319. Maiorici 319.
Pantaleo. 338. 342. Naza. 346. 7. Macha. 356.
359. Fid. Spei. Cha 351. 353. 354. Iusti. 360. Laur.
367. 369. Mama. 384. Claudij 397. 398. Iusti 441
Columb. 482. Theodotes 498. puerorum
449. 451.

Conuersio.

Andr. Cors. 12. Landelini 206.

Deuotio.

Vincent. 101. Herm. 110. Theodori 126.
Cath. Sen. 149. Aloyf. 251. Stanislai Koska 373.
379. Ludo. 392. Francif. 424. Malach. 462. Ed-
mun. 476.

Eleemosyna.

Eduard. 10. Luc. 14. 10a. Chalyb. 33. Pauli
59. Launom. 36. Theod. 126. Marculphi 155.
Stan. Ep. 166. 167. Medardi 192. 193. Bern. Sen.
178. Guid. 405. Lam. 412. V Vinvvaloci 74. A-
loyfij 214. 282. Nicol. Tol. 404. Francif. 422.
Euerg. 448. Mart. 467. Trud. 486. Iusti. 439.
Maclou. 471.

Fuga

INDEX VIRTVTVM.

Fuga otij.

Petr. Mart. 145. Alberti 364. Iacob Ale.
434. Burchardi 435. Euergisli 447. Maclouij
471. Sabæ 493. Edm. 477. Marculphi 154.

Humilitas.

Eduardi 9. Chrysoft. 53. Thom. Aq. 80. Eu-
phra. 83. Richardi 98. Medar. 194. Aloysij 216.
229. 235. 239. 243. 245. 258. 279. 281. Ioan. Da-
mas. 162. Alexij 323. Stanisl. Kof. 372. Francis.
425. Malach. 462. Mart. 466. Trud. 485. Cu-
nib. 469. Daniel. Styl. 497.

Ieiunium.

Andr. Cor. 13. Iuliani 20. Lucia. 14. Laur.
Iust. 30. Ioan. Chalyb. 33. Launomari 37. Eu-
phrasæ 83. Vincé. 101. Aiberti 116. 117. Theod.
123. Petr. Med. 144. Bernardini 179. Medar.
194. Landel. 206. Aloysij 226. Frid. 328. Sta-
nisl. 377. 380. Aichardi 409. Marculphi 155. An-
ton. Pad. 197. Ioan. Bap. 293. Alberti 364. Iac.
Alem. 434. Hilarion. 444. 446. Euerg. 448.
Marcelli 456. Godef. 464. Edmundi 480. Ni-
colai 494. Emerici 460. Trudo 485.

*Innocentia, & conscientie
puritas.*

Vincent. 102. Theodo. 122. Petri Med. 144.
Aloyf. 216. 229. 246. Cath. Sen. 151. Ioan. Bap.
293. Greg. Thaum. 300. Frid. 328. Stanisl. Kof.
370. 378. Sympho. 393. Ludou. Reg. 399. Iacob.
Kle. Ale.

INDEX VIRTVTVM.

Ale. 432. Hedvvig. 437. Iusti 438. Marcelli
456. Cuniberti 469. Leopoldi 473. Edmundi
476. Martini 466.

Laus castitatis.

In vita Agnetis. 44. Febronix 208.

Laus vitæ religiosæ.

In vita Aloysij 225. 230 in vita Fulgentij 4.

*Mortificatio, siue pœnitentia
rigor.*

Andr. Cor. 13. Luciani 13. Lauren. Iust. 18.
Ioa. Chalyb. 30. 33. Benedicti 91. Pauli 63. Her-
man. 111. Aiberti 116. Dan. 329. Ludou. Reg.
400. Nicol. Tol. 405. Theodori 127. Stanisl.
165. Petri Med 144. Cath. Sen. 147. 148. 149.
Antonini 158. Bernardini 183. Febro 207. Pe-
tri Mor. 176. Ioan. Bapt. 296. Aloysij 227.
Frid. 328. Alberti 364. Archippi 419. Hila-
rion. 446. Edmundi 478. 479. 480. Emer.
460. Godef. 464. Colub. 482. Dan. Styl. 498.

Misericordia, vide eleemosyna.

*Morum maturitas, honestas,
& suauitas.*

Basilij 1. Laur. Iust. 17. Launom. 36. 37. Rem-
ber. 57. Ludg. 95. Richardi 97. Vincen. 100.
Herma. 104. Theod. 122. Ansel 120. Antonini
153. Marculphi 154. Stanisl. Ep. 165. Greg. Naz.
168. Bernard. Sen. 179. Anton. Pad. 195. Greg.
Thaum.

INDEX VIRTVTVM.

Thaum.299. Frid.327. Anthel.295. Stanislai
Kof.370. Galli297. Ludouici391. Maman-
tis383. Sympho.393. Lamb.412. Iacobi Ale.
435. Burchar.435. Francisci423. Hedvvig.
437. Euergisli447. Amabilis457. Edmundi
475. Nicol.495. Marcel.456. Aloyfij229. Ma-
lach.461. Godefr.464.

Obedientia.

Fulgen.3. Euphras.85. Herm.104. Stanisl.
Kof.380. Aloyfij220.245.260. Godef.465.

Oratio.

Eduar.7. Luciani14. Iuliani20. Ioa. Cha-
lyb.30. Tho. Aqu.76. Cuthberti89. Theo-
dori126. Herm.110. Antonini155. Medardi
194. PetriMor.177. Aloyf.214. PetriMor.177.
Aloyf.214.227.228. Stanisl. Kof.379. Ludoui.
392. Francif.424. Chrysanthi459. Malach.
462. Godefridi464. Edmun.479. Marcelli
456. Euergisli447.

Patientia.

Andr. Cor.14. Lucia13. Laur. Iust.20. Ioan.
Chalyb.33. Cathar. Sen.149. Thom. Aqu.78.
Greg. Thaum.300. Alexij324. Aloyfij144.
Stanislai Kof.373. Francisci425. Chryfan.452.
Dan.498.

Pietas.

Eduardi7. Luciani15. Laur. Iust.19. Ioa.
Chalyb.30. Pauli Episc.59. VVinvaloci72.
Kk 2 Tho.

INDEX VIRTVTVM.

Tho. Aq. 76. Ludg. 96. Vincentij 101. Petri
Mor. 177. Viti 200. Stanisl. Kos. 373. 379. Frid.
327. Aloyfij 214. 227. 228. Ludo. 391. Ludou.
Reg. 399. Nicol. Tol. 404. 405. Lamberti 412.
Archippi 418. Francisci 424. Burchardi 435.
Euergisli 448. Emerici 460. Malach. 462. Ed-
mundi 479. Godef. 464.

Praue societatis fuga.

Tho. Aq. 76. Richar. 97. Anton. 157. Mar-
culphi 154. Bernardini 180. Nicol. Tol. 404.
Iacobi Alem. 433. Edmundi 475. Nicol. 494.

Pudicitia.

Bernardini 179. Anton. Pad. 195. Aloyf. 215.
Stanisl. Episcopi 165. Gregor. Naz. 168. Petri
Med. 143. Stanislai Koska 370. Guid. 407.
Francis. 422. Hedvvig. 437. Malach. 461. Edm.
475. Nicolai 494.

Prudentia.

Aloyfij 234. Sabæ 493. Nicolai 494. Ia-
cobi Ale. 434.

Somni parsimonia.

Luciani 15. Herm. 110. Antonini 157. Sta-
nisl. Episc. 166. Petri Mo. 177. Guid. 407. A-
mab. 458. Emer. 458. Malch. 462. Trudo 485.
Nicol. 496.

Silentium.

Catha. Sen. 151. Aloyf. 239.

Tem.

INDEX VIRTUTVM.

Temperantia.

Richar. 99. Antonini 158. Marculphi Stanisl. Episc. 166 Bernardini 183. Med. 195. Anto. Pad. 197. Aloysij 222. Ioan. Bap. 292. Alexij 324. Trium puerorum 330. Euerg. 448. Amabilis 458. Malach. 462. Maclo. 471. Ripsimes 419. Hilarionis 444. Euergisl. 448. Godef. 464. Cunib. 469. Edm. 480.

Virginitas.

Eduardi 10. Laur. Iust. 18. Iuliani 20. Ioan. Chalyb. 30. 34. Agnetis 43. Tho. Aq. 79. Euphras. 83. Petri Med. 143. Cath. Sen. 147. Antonini 157. Stanisl. Episc. 167. Aloys. 218. Disibodi 312. Ioan. Bapt. 296. Iaco. Al. 434. Chrysanthi 455. Stanislai Kos. 370. Malach. 462. Macclouij 472. Edmundi 476. Amabilis 458. Emerici 460. Cæcil. 482. Trudo. 488.

*Virginitas & castitas diuinitus
defensa.*

Agnetis 45. Dariæ 456. Eduardi 9. Theodotes 450. Chrysanthi 453. Cæcil. 483.

Verecundia.

Herman. 108. Aloys. 221. 258. Stanisl. Episc.

Zelus animarum


Iuliani 27. Antonij 66. Cuthberti 89. Cath. Sen. 148. Frid 328. Chrysanthi 455. Aichardi 411. Cunib. 470. Aloys.


Errata sic corrige.


Pag. 12. lin. 2. pro cum lege eum. p. 25. lin. 1. tolle interpunctionem. p. 27. l. ult. lege suffecisset. p. 3. l. 15. lege veste. p. 45. l. 10. à fine lege lupanar. pag. 47. l. 9. infantia. p. 58. l. 1. lege paucos post dies. p. 78. l. 3. lege concitati. p. 107. ad ultimam lineam adde, Monasterio. p. 121. linea penult. lege tandem q; p. 124. l. 17. lege verberibus. pag. 126. l. 1. lege assistere. pag. 129. lin. penult. inanissimas. p. 150. l. 9. perrexit. ibidem lin. ultima, incredibile. pag. 159. lin. 5. vbi. p. 162. l. 9. pro si lege se. pag. 188 l. 9. pro sit lege vt, & linea seq. constantia. p. 218. l. 17. asseuerent. p. 163. l. 20. incredibili. p. 167. l. 9. à fine, dubitabat. p. 131. l. 11. lege His. p. 143. l. 5. antagonista. p. 240. l. 11. à fine, animiq; p. 295. l. 6. à fine non pro nam. p. 261. l. 11. à fine, nota. p. 296. l. 2. accipiens. p. 310. l. 1. agitat. p. 353. l. 3. à fine, excitauit. p. 377. l. 17. plorans. pag. 430. l. 1. victricia. p. 461. l. 4. Albam. p. 483. lin. penult. prosequetur. pag. 497. l. 8. lege, quam.


ein-
lege
tia.
i.p.
nea
ag.
p.
ag.
lit
nt.
i.
a-
c,
fi-
a.
g.


















Th

2427